

MEMORIÆ CÆSENATES SACRÆ, ET PROFANÆ

Per ſęcula diſtributæ.

Cum Figuris Æneis Malateſtarum, aliorumque Principum qui Cæſenæ Dominati ſunt, ac nonnullorum Civium illuſtrium.

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA BRASCHIO

Archiepiſcopo Niſibeno.

OPUS POSTHUMUM

Eminentiſſimo; ac Reverendiſſimo Principi

THOMÆ RUFO

S. R. E. CARDINALI

A

CAROLO TESTA

Decano Canonicorum Lateranenſis Eccleſiæ

DICATUM.







ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Typis Anſillioni propè Eccleſiam Regiam S. Jacobi.

SUPERIORUM FACULTATE.





EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.



REGORIUS *Nazianzenus cognomento Theologus cum egregias Magni Athanasii Prærogativas sibi extollendas proponeret, sic est Orationem exorsus*: Athanasium laudans [a] virtutem laudabo; idem enim est Athanasium dicere

[a] Oratione Panegyrica de S. Athanasio.

dicere, ac virtutem prædicare. *Simili certe modo nunc mihi ordiri, atque auspicari liceat; RUFUM laudans, virtutem laudabo; idem enim est RUFUM dicere, & virtutem prędicare. Quid enim de te [Pręclarum sęculi nostri Decus, & ornamentum] loquar? aut quid non loquar?*
ib. Ipse palam facis Disciplinam Doctrinæ
9. tuæ, & in lege [a] testamenti Domini gloriaris. Collaudant, & collaudabunt omnes sapientiam tuam, & usque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria tua, & nomen tuum requiretur a generatione in generationem. Sapientiam tuam narrabunt gentes, & laudem tuam enuntiabit Ecclesia: *Præsertim verò Ferrariensis, quam ruentem ad interitum ingenti ære tuo excitasti, augustiorem, pulchriorem, ac magnificentiorem fecisti.* Complevit Salomon Domum Do-
.Re- mini [b], & prosperatus est. *Multo ma-*
.p.3. *gis Tu quidem prosperatus es, qui non solum Archiepiscopalem Ædem ruentem ad interitum excitasti, perfecisti, verum*

etiam

etiam Palatium Archiepiscopo Ecclesiæ Dei, quam magnificentissimum ædificasti. Multo magis, inquam, es prosperatus. Nunquam enim divina Bonitas, ac Liberalitas majori, atque excellentiori prosperitate amplum animum Tuum donavit, quàm ut tibi super candelabrum aureum posito duas lucernas ardentes traderet operis, & doctrinæ, alteram, quo ascendas in montem excelsum, & exaltes in virtute vocem tuam, evangelizando Sion, alteram, quò per bona opera, lucis exempla demonstres. Lucet, & lucet lux tua coram hominibus, qui vident opera tua, & glorificant Patrem nostrum, qui in cœlis est. Videt Urbs, & Orbis, videt Bononia, videt Ferraria Basilicas, & Altaria, quæ erexisti, & consecrasti: & glorificat Patrem nostrum, qui in cœlis est: Videt Seminarium; quod cura maxima, atque munificentia propria quidem magnanimi Principis fundasti, ut non modo eorum, qui Christo dant nomen, delectum habe-

res,

res, & uniuscujusque ingenium, virtutemque dignosceres, verum etiam, ut & ipsi, quibus moribus exornandi sint, quibus literis erudiendi, quibus muneribus addicendi, perdiscerent. Videt Ferraria *à* Te *erectum collegium S. Justinæ, in quo Virgines à pompa sæculi, & illecebris abstractæ, & abductæ puritatis lilia cœlesti Agno, qui pascitur inter lilia, facilè, tutòque conservant. Hæc videt, suspicit, ac sentit* Ferraria, *quam etiam ad Archiepiscopatus apicem Auspiciis tuis amplissimis evexisti: videt, & glorificat* Patrem *nostrum, qui in cælis est.*

Quot autem, & quanta documenta clementiæ tuæ, ac misericordiæ latent, & lucent! quot eleemosynas pauperibus elargiris, atque profundis dextera, quas nescit sinistra! Omnia certe bona tibi cælites donavere, nihilque magis a Te *longius abest, quam fastus, nihil a sapientia tua, quàm ostentatio:* Præclaro *sanè temperamento modestię, vigilantię, liberalitatis, atque beneficentię, sustines potiùs,*

quàm

quàm deguſtas dulcem dignitatis fulgorem. Majeſtas enim Proſapiæ, magnitudo fortunę, humilitatis evangelicę altitudo Te finxerant ad pietatem, munificentiam, gravitatem, temperantiam, ad omnes denique virtutes excelſum. In Te quidem miſeris, jacentibus, & afflictis commune perfugium eſt, nihil denegas, quod bono dignum ſit: conſilio libero pro ſupremę, Sanctę, & Apoſtolicę Sedis, ac Religionis gloria tantopere laboras, ac vigilas, ut hanc ſolam omnium querelam merueris, quod nihil commodis tuis, nimium indulgeas alienis. Nihil de te dicam aliud: Poſteritatis intererit res tuas prǽclarè geſtas efferre; erunt multis poſt ſæculis Judices, qui de te prǽclarius, & uberius, quàm ego; at certè non incorruptius judicabunt.

Eſto igitur ſingularis benignitatis tuæ peculiare, ac proprium non dedignari publicam duraturam animi mei venerabundi teſtificationem. Cum enim Joannes Baptiſta Braſchius Archiepiſcopus de

Reli-

Religione Catholica optimè meritus multa monumenta ad tuenda jura Ecclesiæ, ad extollendam S. Sedis auctoritatem, & ad augendum divinum cultum aptissima luci publicæ consignasset; moriens, mihi tamquam executori Testamentario demandavit, ut hoc posthumum opus ejus: Memoriæ Cæsenates Sacræ, & Profanæ per sæcula distributæ *committendum Typis curarem: Hoc ipsum opus, Tuum invocat immortale Nomen, cujus splendore, & amplitudine, auctoritateque fulgeat, & grandescat; meque pro singulari magnanimitate tua, & insita bonitate excipere ne graveris. Atque utinam vota hominum superum decretis concordent, ut in grande, ac publicum Religionis Catholicæ incrementum, Orbis, & Urbis felicitatem perennes.*

IN-

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

* *mana*

CAP. XVI.

nae

APPROBATIO.

LEgi, mandante Reverendissimo P. Nicolao Ridolfo S. Apostolici Palatii Magistro, Librum inscriptum, *Memoriæ Cæsenates*, *Auctore Illustrissimo Præsule Jo: Baptista Braschio Archiepiscopo Nisiben.*, nihilque deprehendi Christianæ Fidei, aut bonis moribus adversum.

Ex Collegio Clementino hac die 10. Augusti 1739.

D. Jo: Franciscus Baldinus Cl. Reg. *Congregazionis Somaschæ*.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Ph. Spada Archiep. Teodosiæ Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magister Ord. Præd.



MEMORIÆ CÆSENATES

CAPUT I.

De origine Civitatis Cæsenæ. Ac de illa sub *Umbris*, & *Etruscis*, dominantibus Provinciæ Romandiolæ: quos secuti sunt *Galli*.

SUMMARIUM.

1 *Quanam de causa, & occasione, incæperint ædificari Civitates in mundo?*

2 *Origines antiquiorum Civitatum indagare laudabilis est res, ast valdè difficilis.*

3 *Ipsius Romæ nesciuntur certa principia: multò minùs ergò aliarum Urbium sciantur inita.*

4 *Nonnulli de originibus suarum Urbium non tam historias, quàm fabulas commenti sunt.*

5 *Næniæ quorumdam de ædificatoribus suarum Urbium, etiam quandoque idealibus.*

6 *Civitates non à loco, vel conditore, sed à claritate suorum Civium, splendorem accipiunt.*

7 *Cæsenæ origo incerta est. Antiquitas in Urbibus commendabilis. Gallia Togata quænam sit?*

8 Um-

8 Umbros *fertur ædificasse Cæsenam, sic dictam à nomine Cæsennii eorum Regis.*

9 *Quousque protenderetur antiqua Umbria? Plures Urbes refectæ, dicuntur ædificatæ.*

10 *Post Umbros Cæsenam tenuerunt* Etrusci: *quo anno, & sub quo nomine?*

11 *Etruscis subtracta fuit ab antiquis* Gallis. *Et hi quonam irruperint in Italiam?*

12 *Discordant Scriptores circà hoc tempus. Non omnes Galli uno, & eodem tempore simul venerunt.*

13 *Etrusci, & eorum Rex occurrentes Gallis advenientibus, debellati fuerunt.*

14 *Quinam, & quales hi Galli fuerint, ac qua occasione se Italiæ infuderint?*

15 *Bellovesus erat horum ductor. Et hi tractim transgresso Apennino, Insubriam occuparunt.*


16 *Quinam ex eis priores advenerint? ac alia plura de illis. Bellovesus ubinam obierit?*

17 *Galli Boii primo Padum ratibus trajecerunt. Senones ultimi eorumdem Gallorum venerunt.*

18 *Hi à Vitifluminе usque ad Æsim diffusi sunt. Primi ergo Senones Cæsenam occuparunt.*

19 *Qualitates Gallorum Senonum. Brenno duce venerunt: Quo anno incertum est.*

20 *Et quidam illorum Italiam advenerunt invitis aliis Gallis, qui prius huc accesserant. Quædam de Brenno.*

1 X quo in Mundo incæperunt homines nasci, atque multiplicari per universas Regiones; incæpisse quoque inter eos vitam socialem coli, & haberi civile consortium, suaptè natura notum omnibus esse potest (1): cum necessitas communicandi simul, & hinc inde participandi pluribus in rebus, eosdem ad commercium ultro citroque ineundum, simultaneasque actiones, reciprocos tractatus, alternata nego-

(1) *Aristotel. Politicor. 1.*

negotia, vicissim denique permixta colloquia; nedum allexerit, sed & quodammodo coegerit, vel invitos (2). Occasione igitur hujusmodi simultaneæ consociationis, & mutui consortii hominum in iis, quæ pertinent ad commune commodum, & ad vivendi rationem, sociali, atque civili modo peragendam, paulatim quoque fuerunt mansiones, & *domicilia coniuncta, quas Urbes dicimus* (3).

(2) *Vid. Theatr. Vit. Hum. V. Civitas.*

(3) *Cicero pro Pub. Sestio* 22.

2 Cum itaque veram Civitatibus originem nonnisi dederint familiarum familiis, domorumque domibus adjunctiones,& multorum hominum utriusque sexus copiosę coadunationes,ad simul in eodem loco versandum,& ad participandam de commoditate,atq; utilitate socialis,civilisque vitæ; in densioribus tenebris vetustatis requirere sinceras origines Urbium antiquiorum, est aggredi rem non pavum difficilem, & implexam: quæ fovet quidem nobile desiderium, alienæ, vel *suæ Patriæ originem, progressus, & quæcumque illi per superiora tempora contigerint, non ignorandi* (4); verum haud rarò accidit, multos multa pro eorum libito excogitare: ac respectu ad initia suarum Civitatum referre, non quod re vera fuit; sed quod fuisse fabulosa ipsi recensione comminiscuntur.

(4) *Leonardus Aretin. de bell. Goth. in proem.*

3 Profectò de alma Roma, quâ nulla unquam fuit Civitas pręclarior,potentior,& Scriptorum pręconiis uberius conclamata, nesciuntur certò certiùs vera principia; ut ex Plutarcho liquet (5) Strabone (6) Dionysio Halicarnassæo, & aliis (7). Quoniamque obscura erat illius genuina origo, propter varias memorias historicas temporum remotiorum, inter se minimè convenientes; prævaluit quidem opinio, quod Romulum habuerit conditorem anno 3. vel 4. sextæ Olympiadis (8); verum hæc ipsa opinio, neque incertitudinem exclusit; neque fecit, quin alii aliter censuerint. Et sanè inter Antiquos, Cajus Sempronius literis apertissimis testatum reliquit, Romæ fundationem ultrà octingentos annos ætatem Romuli præcessisse. Ac nostris temporibus,Petrus Sebastiani librum edidit, cui titulus, *Roma avanti, e dopo Romolo* (9). Multò minùs

(5) *Plutarc. in Romul., & in libel. de virt. mulier.*

(6) *Strab. Geograph. lib. 5.*

(7) *Dionysius Halicarnas. histor. lib. 1. Ouphr. Pancin. de Urb. Rom.*

(8) *Petau. Ration. temp. p. 2. l. 3. c. 2.*

(9) *Impres. Romæ anno 1679.*

ergò facilè est certas origines aliarum Civitatum, antiquitate magna præstantium (sed non velut Roma celebrium) adamussim attingere.

4 Quantumlibetque à nobili genio proficiscatur:&(prout scripsit Bellisarius Totilæ Gothorum Regi apud Procopium) *inventum virorum sit cordatorum*, *suis ornamenta Urbibus nova addere* (10); nutant nihilominus penès viros prudentes, & scientificos, ipsarum origines Urbium, resque ad illas pertinentes, non tam historiis, quàm fabulis, usque ad stuporem Legentium infartæ, atque vaniloquiis inquinatæ (11). Ac revera nedum infarciunt, verum etiam inquinant potius, quam exornant Civitates, illi, qui earundem *exordia*, (*quæ plerumque latent*) *magnificis*, *sed falsis originibus*, *& phaleris amplificare* nituntur (12). In quem scopulum impegisse patet per plures excogitatores originum antiquarum aliquot Urbium: qui pro veracibus historiis;commenta fictitia proponentes; non metuerunt quot verba tot pene mendacia, vel ineptias effutire (13).

5 Ridendum est quoque cum quidam Historici municipales, ad conciliandum inane decus propriæ Patriæ, fabulantur, Evandrum,Priamum,Theseum,Anchisem, Paridem Athlantem, Herculem, Æneam, Turnum, Hectorem, Phætontem,Achillem,& alios hisce similes (ipsosque interdum tales, qui vel ad sæculum pertinent fabulosum, vel præseferunt nomina idealia, & à Poetis ad usum suæ cantilenæ conficta) de Asia, de Græcia, de Colchide, aliisque de remotissimis Regionibus abiisse, atque demum sive data opera, sive casu appulisse, progressosve ad hunc, vel alium esse locum Italiæ, aut hujus, vel alterius Provinciæ, sive Regionis: ibique talem, talemve, imò plures, ac multiplices Civitates ædificasse. Quasi Urbes construere, sit opus unius hominis, & unius diei: sit conatus parvi sumptus, & exigui momenti: denique sit molimen tritissimæ facilitatis, imparati compendii, & extemporaneæ operationis. Cum tamen ætate nostra cernamus, ad nodum rarò construi

(10) *Procop.de Bel.Gotbic.l.3.*

(11) *Jo. Barclai Icon. Animor.cap.6.*

(12) *Murator. Rerum Italic. tom.11. f.534.*

(13) *Vide Gio. Villan. lib.1. cap.7. 17. 38. 50. & 52.*

strui posse novas Civitates, & nonnisi à magnis, quinimò & maximis Principibus, ac sumptibus inexaustis, defatigantibus æraria etiam Regum, quantum vis opulentissima.

6 Desipiunt itidem, qui sibi suadent insulsè, Civitates debere primarium suum splendorem, vel à prærogativa loci, vel ab antiquitate Conditorum, potius quam à suorum Civium claritate reposcere. Ac eo citiùs Anticyram sunt mittendi (14); quo chimericos, peregrinos, & ignotos Ædificatores ostentant: hoc modo non honorificantes Patriam, sed magis dehonestantes: dum effutiunt vaniloquia, vel figmenta, solita cachinnis, & derisionibus per cordatos viros, unà cum suo relatore percelli. Viri, non parietes, Civitatesve faciunt (15). Cives, non Ædificatores illustrant Urbes (16). Denique quandocumque Civitates coalverint, sive citius, sive serius: & à quocumque conditore originem acceperint; sibi sufficiunt: neq; indigent laudibus fabulosis, honoribus commentitiis, atque nutantis conspicuitatis exordiis, quando claritatem, & encomia datur illis ex meritis suorum Civium promereri (17).

(14) *Nizol. & Calep. V. Anticyra.*

(15) *Censorin. apud Appian. in Libisca.*

(16) *S. Joann. Chrysost. homilia 17. ad pop. Antioch.*

7 Cæsenam esse Urbem antiquissimam, nemo unquam, quod noverimus, in dubium revocavit. A' quonam autem, sive quibusnam, & quo tempore fuerit primo constructa, nihil aggredimur statuendum: rati, quod de illius initiis vix quidquam certi valeat definiri. Et, utendo verbis Lipsii; de illius origine *fatemur ingenuè, ob paucitatem Scriptorum, aut incuriam, aut etiam imperitiam; tenebras, & ambages adesse, nulla unquam cura satis ad certum, aut liquidum perducendas* (18). Sed hæc ipsa originis obscuritas facit, ut nostra Civitas de sua antiquitate sibi possit valde blandiri: nostrumque munus erit, in ea *revereri gloriam veterem: quæ in hominibus venerabilis, in Urbibus sancta est* (19). Nihilominus breviter quoque referemus id, quod monumenta nostra recensent. Verum prius audiendus est Plinius, de Gallia Togata (quæ juxta Ptolemæum, ab Ancona se protendebat usque ad Padum)

[17] *Pignor. Orig. di Padova cap. 16.*

(18) *Just. Lips. de Magnit. Roman. in not. ad lib. 4. cap. 11. f. 223.*

(19) *Plin. jun. lib. 8. epist. 24.*

dum) ita loquens : *Ab Ancona, Galliæ ora incipit , Togatæ Galliæ cognomine . Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere &c. Umbri eos expulere , hos Etruria , hanc Galli. Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur &c. Tercenta eorum Oppida Tusci debellasse reperiuntur &c.* (20) . Quorum Coloniæ fuerunt inter cæteras Urbes, Ariminum , & Ravenna (21) .

[20] *Plin.hist. natur.l.3.c.14.*
(21) *Vide Murator. rer.Ital. tom. 10. fol. clxxxiii. n.91.*

8 Dicunt ergo monumenta nostra , quod *Umbri* armis acceptis , Liburnos, & Siculos debellarunt, atque à pristinis Italiæ sedibus papulerunt,sè sè diffundentes per varias Regiones , in quibus nonnullas Urbes , & Oppida construxerunt . Cumque Provinciam quoque nostram occupassent ; in ea Cæsenam ædificaverunt , sic à *Cæsennio* eorum Rege denominatam: quam propugnaculum ipsorum ditionis , & potentiæ deputarunt , amplo Præsidio , & statione numerosa ibidem suorum Militum constituta (22) . Umbrorum ditionem usque ad Sapim flumen pervenisse,(quod penè lambit mœnia nostræ Civitatis) conclamat Silius Italicus, de illis accinens

[22] *Chronic. M. S. Cæsen. f.1.3. & 4.*

Hos Æsis, Sapisque lavant, rapidusque sonanti
Vertice contorquens undas per saxa Metaurus (23) .

(23) *Silius Italicus lib.8.*

9 Consentit & Strabo, de Umbris , eorumque ditione ita scribens : *Ipsam per se Umbriam usque ad Ravennam protendi, in confesso est apud omnes* (24) . Nec discors est Plinius, qui memorans Umbrorum regionem citrà,& ultra Montes Apenninos extensam , dividentes partem Italiæ meridionalem à septentrionali ; collocat in ea *Sarsinates* (25) lateri Sapis fluminis adhærentes . Ergo si gens Umbrorum, versus Occasum , usque ad Sapim flumen, ad Sarsinatum tractum , & ad civitatem Ravennæ , suæ extensionis spatia prolatabat ; optimè se habere valet, quod in medio loco(Sarsinam inter,& Ravennam)construxerint urbem Cæsenæ,quæ occidentales limites earum ditionis à conterminis populis tueretur . Huic tamen sensui locus erit,dummodo re vera subsistat suppositum , nempè quod Cæsena non fuerit antè Umbros,nostro terrarum tractui dominantes:

[24] *Strabo Geograph. l.5. nu. marg.226.*
[25] *Plin. ubi supr. l.3. c.14.*

tes: & quod ipsi non illam, jam primùm conditam, occupaverint; sed primi excitaverint à fundamentis. *Monere namque omninò necessè est, plures Urbes dici quandoque ædificatas, quæ re vera fuere tantum refectæ: quæque metu bellorum desertæ, quasi novæ Coloniæ deductæ fuerunt* (26).

10 Utcumque sit; Umbri per hæc loca diffusi, Cæsenam quoque tenuerunt, donec per *Etruscos* depulsi sunt (27). Quos itidem certum est dominatos esse Regioni nostræ: testante Livio: *Etrusci in utrumque mare vergentes, incoluere Urbibus duodenis, terras priùs cis Apenninum ad inferum mare: posteà trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, Coloniis missis, quæ trans Padum loca omnia, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris usque ad alpes tenuere*. Civitatem principem Etruscorum vergentium ad mare superum, fuisse Bononiam, olim Felsinam appellatam, statuit Plinius (28). Ipsaque monumenta nostra recensent, Cæsenam cum aliis conterraneis Urbibus, Oppidis, populorum receptaculis, & Castris fuisse sibi subactam ab hisce novis Conquisitoribus: qui & ipsam obsidione quassatam, atque actionibus bellicis devastatam, successivè restaurarunt, vallisque superadditis roborarunt: & auctam ædificiis, ampliori numero incolarum habitabilem reddiderunt: & à nomine Flavii Papii, eorum Regis, Ducisve, *Flaviam Papiam* imposterum vocitandam esse sanxerunt. Idque contigisse ferunt anno quarto secundæ Olympiadis (29). Quæ periodus recidit in mundi annum 3286. antè Christi adventum 767. ac præcedenter ad æram Romæ conditæ 16. juxtà computum Joannis de Busieres (30): licet aliter ab aliis initium Olympiadum computetur (31).

11 Præfatæ periodo superadde tempus, quo nostra Civitas præventivè parverat Umbris (à quibus primo fuisse conditam, refertur ut suprà): & deteges quam prolixiori annorum decursu Cæsenæ origo antecedat almæ Urbi initia, conditæ à Romulo, ut supponitur: ac simul Æram

Chri-

(26) *Murator. Rer. Ital. to. 10. f. ccxc. n. 135.*

(27) *Sigon. de antiq. jur Ital. lib. 1. c. 16.*

(28) *Plin. lib. 3 cap. 15.*

[29] *Chronic. M. S. Cæsen. f. 7. 8. & 10.*

[30] *Jo: de Busieres Flosc ul. Hist. p. 1. f. 48.*

(31) *Dionysius Petav. Ration. tempor. p. 2. l. 2. c. 1. §. Primum*

Christianam! Post Umbros ergo fuit sub dominio *Etruscorum*: hisque obtemperavit per duo, vel tria circitèr secula; donec ipsis quoque depulsis, transivit in potestatem Gallorum: de quibus Livius, *Galli Tuscos expulerunt*(32). Gallos autem, consentaneè ad mox recensitum calculum, in Italiam se infudisse anno V. G. 372. antè Christum 380. cecinit Antonius Astesanus hisce carminibus:

Sed tercentum annis, & septuaginta duobus
Exactis postquam condita Roma fuit.
Seù tercentum annis, atque octuaginta priusquam
Exortus Christus Virgine matre foret (33).

12 Revera tamen tempus ab Astesano signatum, non cohæret calculo aliorum Scriptorum. Sed & nec omnes Historici consentiunt in assignando initiali anno irruptionis Gallorum in Italiam: his unam, aliis aliam statuentibus epocham talis eventus, juxtà diversas rationes, & exordia computi, per eos citiùs, aùt seriùs inchoati. Taliter ut de ipso vero tempore nihil, vel vix quidquam certi valeat definiri: sed solummodo id, quod scribit hic, vel ille, referri, relicta in suspenso veracitate præcisa periodi æræ adventus antiquorum illorum Gallorum, qui Etruscos depulerunt, & Italiam Cisalpinam usque ad Æsim fluvium occuparunt: non simul omnes, & eodem tempore venientes; sed tractim, & per successivas paulatim demigrationes.

13 Quod hi vetusti Galli expulerint Etruscos, adstruit Plinius(34). Nec desunt recensentes, quod illis advenientibus, *Rex Tuscorum juxtà flumen Ticinum potenter occurrit, ac transire prohibebat. Tandem Tusci fugantur, & tota Lombardia in dominium Gallorum devenit* (35). De qua sic occupata Regione Frater Stephanardus quoque aliquando metricè cantitavit (36)

Hanc tenuit forti Gallorum Marte juventus,
Thuscis expulsis, patriis prius ipsa fugata
Sedibus, haud patiens fraterni pondera belli.

Etrusci ergò cum jam per bina, vel terna secula dominio Italiæ, Regionisque nostræ, potiti essent supervenientibus

[32] *Liv. l. 37. circa fin. f. 309.*

[33] *Ant. Astesan. de Variet. Fortun. l. 2. c. 5.*

[34] *Plin. l. 3. cap. 14.*

[35] *Galvanus Flamma Manip. flori c. 13.*

(36) *Apud Murat. Rer. Italic. tom. 11. f. 247.*

bus Gallorum armis, & potentia debellati, victorum fortunæ cedere adacti sunt.

14 Quinam verò fuerint hi *Galli*, tradit Paulus Walnefridus de gestis Longobardorum (37). Ex cujus ore tota summa historiæ illorum est ista. Regnante Romæ Tarquinio Prisco (& in Judæa filiis Josiæ (38) secundùm Genebrardum) imperabat Galliæ Celticæ Ambigutus. Qui exuberantiam hominum sui Regni prævidens nondiù sinè seditionibus, & intimis commotionibus duraturam, binis nepotibus suis ex sorore, *Sigoveso*, & *Belloveso*, persuasit, ut vexillis erectis cum quotquot possent commilitonibus Gallis aliò migrarent, quæsitum loca, in quibus possent & lares figere, & dominium exercere. Abiere anno Mundi 3416. (39), juxtà vulgatam supputationem: (cum qua tamen alii Chronistæ nequaquam conveniunt). Primusque *Sigovesus* ad tractum Rheni profectus est ultrà Silvam Hercyniam.

15 Ast verò *Bellovesus* iter Italiam versùs arripuit, & eam cum suis sequacibus inundavit: occupans illam partem, quæ ab Alpibus apenninis, & à littore Adriatici Maris conterminata, triangularem refert figuram (40). Irruperunt in illam primo Bituriges, Arverni, Santones &c. Deinde Cenomanes: postea Boii, & Lingones, omnes natione Galli (41). Ac bellica non minus fortuna, quam strenuitate, pro more illorum temporum, Thuscis expulsis, Incolisque plurium Provinciarum subactis, in Italia sedes proprias posuerunt: & annorum progressu ædificaverunt, ac respectivè restaurarunt plures Civitates (42): De quarum nonnullis Astesani musa modulata est (43)

Galli Veronam struxerunt, atque Cremonam,
Et Comum, & Brisciam, Bergomeumque solum &c.

16 Irrumpentium in Italiam Gallorum iter ita describit Galvanus, sivè Galvaneus Flamma: ***Bellovesus nepos Ambiguti Regis Caltarum, quæ est tertia pars Galliæ, per Taurinos montes, Juliasque alpes faciens transitum in Italiam venit. Fueruntque cum eo Eudones, Biturices, Alverni,***

[37] *Paul. Diacon. l. 2. c. 22.*

(38) *Genebrardus Chronic. l. x f. 145.*

[39] *Mezeray Hist. Francor. tom. 1. l. 1. n. 3.*

[40] *Scip. Claram. Hist. Cesen. in Apparat. p. 1.*

(41) *Sigon. de jur. antiq. Ital. l. 1. c. 24. f. 164.*

(42) *Paul. Merula Cosmogr. p. 2. l. 4. cap. 19. & 33. fol. 805. & 1232. Meceray loc. cit.*

(43) *Ant. Astesan. de Variet. Fortun. l. 2. c. 3.*

ui, Senones, Ambianates, Carmines, Aluchi, Boii, & Cenomani, ac populorum, & militum exercitus copiosus. Addit, quod Rex Tuscorum se perperam illis opposuit: quod totam Lombardiam occuparunt: & quod Bellovesus Rex Mediolani mortuus est, regnavitque pro eo filius illius nomine Sigovesus (44). An ullum patiatur deliquium narratio hujus Historici, alii considerent: nostrum namque non est nunc talem articulum ventilare.

[44] *Galvan. Flamma Manip. Flor. c.13. & 15.*

17 Certè Galli, ut innuimus, non simul omnes venerunt in Italiam, sed successivè diversis velut agminibus: & ita se per Insubriam diffuderunt; ut ab initio intrà Padi limites constiterint. Deinde Galli Boii, pars non modica ipsorum, transgresso illo flumine, sese ulteriùs per tractum, non tamen totum, Romandiolæ dilatarunt. Nec modò Etruscos, verum etiam Umbrorum reliquias quascumque ibidem adhuc superstites, pepulerunt. Denique postremi omnium Gallorum in Italiam Senones descenderunt (4): procedentes primo usque ad Athesim (46): deinde ulterius fines proprios prolatantes. Hinc Titius Livius: *Boii &c. cum jam inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto, non Etruscos modò, sed etiam Umbros agro pellunt: intrà Apenninum tamen sese tenuere.. Tum Senones recentissimi advenarum, ab Utente flumine, usque ad Æsim fines habuere* (47).

[45] *Polib. Hist. lib.2.*
(46) *Idem Gual van. Flam. c.13*
[47] *Tit. Liv. Histor. lib.5.*

18 Fere totidem verbis Carolus quoque Sigonius inquit: *Tum Senones recentissimos advenarum ab Viti flumine usque ad Æsim fines habuisse &c. Atque hic quidem post Gallorum irruptionem antiquus hujus Regionis status fuit, ut ea trans Padum à Laiis, & Lebeciis &c. præteread ab Insubribus, & Cœnomanis: cis Padum autem ab Ananis, Boiis, Lingonibus, & Senonibus teneretur &c.* (48). Flumen autem Utens Livii, est idem ac Vitis Sigonii, quod vulgari voce dicitur *il Roneo*, decurrens inter Cæsenam, & Forum Livii: ac apud Ravennam aquas exonerans in Adriatico (49). Primi ergò Galli, qui (occupata Occidentali parte Italiæ vergente ad Aquilonem) pervenerunt ad locum

[48] *Sigon. de antiq. jur. Ital. l.1. c.24. f.164.*
(49) *Ferrar. & Baudrand. Lexic. Geogr. V. Vitis Calep. eadem verb. & V. Roneo.*

cum, ubi Cæsena sita est, & indè ulterius perrexerunt usque ad flumen Æsim, fuerunt Senones.

19 Horum qualitates ita describit Jornandes, verbis ex Lucio Floro desumptis (50): *Galli Senones gens natura erox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perindè ac armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, Urbiumque stragem videretur* (51). Cumque novissimi omnium Gallorum irruperint in Italiam; attamen incertum est, quo præciso tempore advenerint, rem diverso modo narrantibus, qui de ipsa tractarunt. Alicubi scriptum legitur: *Anno secundùm peritissimos Calculatores antè Incarnationem Domini 444. Brenno Dux Gallorum, inlectus delitiarum aviditate, quæ sibi ab Italiæ ubere fuerant delatæ, ex Senonis regni sui urbe progressus cum plurimis Senonum Gallorum agminibus, cunctas captivas Italiæ oras occuparunt* (52).

20 Alibi hoc refertur ad annum 569. antè Divinæ Incarnationis Epocham: & quod Brennus veniens invitis aliis Gallis Celticis, qui priùs Insubriam occupaverant, horum tertium Regem Brunisendum vi, & armis prostravit (53). Quidquid sit autem hac de re, atque de illius æra, unum est, quod

Tempore, quo Galli Senones in Martis amore
Florebant, Italum petierunt Regna furore.
Dux erat his Brennus, gladio; metuendus, & hosta
Cujus ad aspectum nutabant oppida vasta.
Dicitur hic urbes Italum posuisse per arva
Et validus arces, & non munimina parva (54)

De Senonibus Gallis, & Brenno illorum duce, seù rege agunt Cimarellus (55), & Joannes de Carmenate (56): quos consultat qui plura de hac materia desiderat. Intueatur quoque Tabulam Geographicam Italiæ, adpositam primo Tomo recentis Operis, cui titulus: *Rerum Italicarum Scriptores:* & inveniet, fines tractus ditionis Gallorum Senonum respondere limitibus fluminum Vitis ab Occasu, & Æsis ab Ortu.

(50) *L. Floru. epit. hist. l.1. c.13.*

(51) *Jornand. de Regnor. successi.*

(52) *Opusc. de situ Civit. Mediol. post initiū.*

(53) *Gualvanus Flamma Manip. Florum cap. 17.*

(54) *Moyses Bergomensis de Laud. Bergom. cap. 1. n. 13.*

(55) *Vinc. Maria Cimarellus Hist. Gallorum Senon.*

(56) *Jo. de Carmenat. Histor cap. 2. & seq.*

CAPUT II.

De Civitate Cæsenæ (olim Sena) sub *Gallis Senonibus*. Et de *Brenno* ipsorum Gallorum Rege, seù Duce.

SUMMARIUM.

1 *Sena Urbs primaria Gallorum Senonum, non erat Urbs Senarum existens in Etruria.*

2 *Neque Senogallia Piceni, sed Cæsena, prout ex Livio constat, recensente occursum Consulum Asdrubali.*

3 *Occursus idem contigit ad Senam; Prælium verò consertum est ad Metaurum, ob dolum Asdrubalis.*

4 *Ex loco Prælii liquet, quod Sena Livii non erat Senogallia Piceni, sed Cæsena.*

5 *Polybius quoque memorat Senam à Romanis captam, quando Gallos Senones debellarunt.*

6 *Has non profligarunt ad Senogalliam Piceni; sed in Tribu Sapinia, ubi est Cæsena.*

7 *Distantia Senogalliæ à loco excidii Gallorum Senonum, non cohæret verbis Polybii.*

8 *Affertur* Textus *Strabonis, loca describentis ordinatim à Placentia, usque ad Ariminum sita.*

9 *Sena ibi posita, non est Senarum Urbs in Etruria, neque Senogallia Piceni, sed Cæsena.*

10 *Adducitur alius Textus Strabonis, de Sena, & Senogallia contemporaneè loquens.*

11 *Quæ nomina diversa, & in diversis locis posita, non unam, sed diversas Civitates significant.*

12 *Situs, quem Polybius dat Senæ benè congruit Cæsenæ, non verò Senogalliæ.*

13 *Campi, Italiæ, de quibus Polybius; terminum habent ad Cæsenam, non ad Senogalliam.*

14 *Strabo, & Polybius, non de eodem tractu planitiei Italiæ loquuntur, sed de diversis.*

15 *Bini characteres Senæ Polybii congruunt Cæsenæ. Antiqua Senogallia erat alibi, quam sit recens.*

16 *A' Plinio Cæsena ponitur in octava Regione Italiæ, Senogallia verò in sexta.*

17 *Cæsena sedes primaria Senonum, eos tuebatur à Boiis. Senogallia eis proderat contrà Romanos.*

18 *Senonum nomen transivit in titulum honorificentiæ apud Cæsenates.*

19 *Brennus I. Rex, Duxve Senonum, resedit Cæsenæ. Illius effigies. Duo fuerunt Brenni, unus post alium.*

20 *Ejusdem Brenni I. exhortatio ad suos Milites, ut aggrederentur præclara opera bellica.*

21 *Instante Arunte obsidet Clusinos: Vincitque Romanos horum adiutores ad Allium flumen.*

22 *Invadit, diripit, inceditque Romam: obsessum tamen Capitolium non expugnat.*

23 *Manlius eum dejecit; & abeuntes Senones post venditatum recessum, Camillus attrivit gravi prælio.*

24 *Ejusdem historiæ recensio breviter, & summatìm verbis Dionysii Petavii.*

25 *Quid factum sit de ipsomet Brenno, & ejus exercitu. Senones fuerunt pluriès infesti Romanis.*

26 *Brennus II. invasit Græciam: prælio vicit Regem Macedonum: diripuitque Templum Delphicum.*

27 *De infelici fine bujusce Brenni Secundi, atque Senonum illum sequentium in bello.*

28 *Ab horum nomine dicta est Gallogræcia. Senones Italiæ tandem Romanæ potentiæ succubuerunt.*

1 URbs primaria, & caput, præcipuaque sedes illorum Gallorum, qui Senones dicti sunt, & qui primi à Viti flumine, usque ad Æsim se diffuderunt, ut dictum est Capite præcedenti; fuit *Sena*: quemadmodum ex Trogo tradit Paulus Merula (1): & sug-

(1) *Paul. Merul.Cosmograf. p. 2.lib.4.c.19., & 33. fol. 305. & 1232.*

(2) Silius Italic. lib. 15.

(3) Sigon. de antiq. Jur. Ital. l. 1. c. 16. f. 148.

(4) Titus Liv. lib. 27. circ. fin.

[5] Vide hic infr. c. 6. n. 17.

suggerit quoque Silius Italicus metro sequenti (2)

Pœnus inundavit Campos, qua Sena relictum
Gallorum à populis servat per secula nomen.

Nunc videndum est, quænam sit ista *Sena*. Et procul dubio ea non est Sena Etruriæ, trans Apenninum sita versùs Mare Tyrrhenum, seù inferum, & solita latinè plurali numero nuncupari Senæ Senarum. Nam Sena Gallorum Senonum, regnantium propè littus Adriaticum, seù Mare Superum citrà Apenninum, à dicto Viti flumine, usque ad Æsim (3) intrà hujus Regionis limites debet necessariò collocari: non in Etruria requiri.

2 Dubium ergo restringendum erit ad perscrutandum, an præfata Sena metropolis Gallorum Senonum, sit illa Civitas, quæ nunc dicitur *Cæsena*, in Provincia Romandiolæ constituta: an verò alia sita in Piceno, & dicta communiter Senogallia. Esse autem Cæsenam evidentissimè constat ex Tito Livio, ubi narrat, quod venienti ab Alpibus per Insubriam Asdrubali (ut pergeret in Apuliam cum copiis, quas ducebat, easque conjungeret legionibus sui fratris Hannibalis, ibi eum expectantis in castris) ivit obviam Livius Salinator unus ex Consulibus Romanis: deinde Claudius quoque Nero alter Consul Salinatoris Collega.

3 Exprimit Livius, quod *ad Senam castra alterius Consulis erant, & quingentos fermè passus Asdrubal aberat* (4). Non ibi tamen conflixere, quia Pœnus, declinata pugna, clam vaferrimè abivit nocturno tempore, atque itinere festinato. Quo dolo mane comperto, Consules fugientem prosecuti sunt, & ad flumen Metaurum corripuerunt, coegeruntque ibi ad prælium, in quo Carthaginenses interierunt. Notandum quod Senogallia distat à Metauro tredecim mille passibus ad Orientem. Cæsena verò ab eodem flumine distat per spatium 57. mille passuum ad Occasum. Item Prælium inter Romanos, & Carthaginenses non contigit à parte Orientali, sed ab Occidentali Metauri (5).

4 Sena ergo, quam nominat Livius, non erat Senogallia, sed Cæsena. Quoniam si Asdrubal ex Insubria veniens,

niens, & prælium Consulum devitans, ut in Apuliam proficisceretur ad fratrem, jam pervenisset ad Senogalliam; certè non retrocessisset postmodum indè per tredecim milliaria, ut pugnaret cum iisdem Consulibus se insequentibus ad Metaurum: sed recto tramite prosecutus fuisset suum iter versùs ipsam Apuliam. Pugna item in tali casu non accidisset, (proùt re vera conserta fuit) in margine occiduo, sed in orientali ejusdem fluminis. Sena ergo Livii, à qua non nisi per *quingentos fermè passus Asdrubal aberat*, necessariò erat Cæsena. Etenim præter Cæsenam, & Senogalliam, nulla est, nec unquam fuit alia Civitas ad tractum maris Adriatici sita, cui possit adaptari nomen *Senæ*: quamquam Senogallia nunquam ab Antiquis dicta fuit Sena simpliciter, sed semper compositè Senogallia.

5 Idipsum evincitur ex verbis Polybii, recensentis ultimum Senonum exterminium; qui post superatos Romanos in agro Aretino; illorum quoque Legatos occiderunt, in Galliam Senonicam transmissos, ad redimendos captivos. *Quo scelere (inquit Polybius) indignati acritèr Romani, novo delectu habito, penetrare in Galliam aggrediuntur. Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt. Hos collatis signis è vestigio aggressi superant, magnam partem interficiunt: si qui superfuerant sedibus fugant, regione potiuntur: novam ipsi in urbem Coloniam inducunt: eam veteri nomine, quod primo à Gallis habitata fuerat, Senam appellant* (6).

[6] Polyb. Histor. lib. 2.

6 Sanè Romani euntes ad profligandos Gallos Senones, non incesserunt per viam Flaminiam versùs Picenum ubi est Senogallia; sed per agrum Aretinum versùs Tribum Sapiniam perexerunt, ubi est Cæsena (Tribus namque Sapinia, una ex 35. Tribubus Romanorum, illa Regio dicta fuit (7), quam interluit flumen Sapis). Per hanc Regionem, *quam Sapis Cæsenæ flumen cursu suo findit &c. Senones Romanorum cognito adventu, maxima si qua unquàm ira incensi &c. intrà fauces montium ingenti militum multitudine obviam inimicis vadunt &c.* Quæ *intrà montium*

[7] Brasch. de Vero Rubicone c. 29. à n. 2.

angustiis obstricta, postquam longa, & diutina pugna iræ furor elanguit, Romanæ disciplinæ, & fortunæ cessit: non fugiens, aut cedens; sed ubi constiterat, ibi mortem oppetiens, ut celebris imperii finem pulchra saltem morte honestaret (8). Ad tractum ergò fluminis Sapis conserta est pugna fatalis, quæ Senonum potentiam subvertit. Huicque flumini Cæsena adjacet immediatè: Senogallia verò distat ab ipso per septuaginta circitèr mille passus.

(8) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 2. f. 92. & 93. & in Appar. 1. f. 12.*

7 Attende quoque, à Polybio peculiariter exprimi, quod *parum processum erat, cum eis* (id est Romanis) *Senones occurrunt*. Si Romani per viam Flaminiam perrexissent usque ad Senogalliam, non *parum* procedendum eis fuisset, ut obvios haberent Senones, sed *multum*, & per prolixum valde iter. Quia verò per agrum Aretinum, ac Tribum Sapiniam incesserunt versùs Cæsenam, parum eis procedendum fuit, ut occurrentes Senones invenirent; quandoquidem inter agrum Aretinum, & initium Sapiniæ Tribus, non nisi modicus tractus, Alpinæ quidem, sed facilir, ac tritæ viæ adest, ferè directo tramite superandus. Inter agrum verò Aretinum, & locum antiquæ Senogalliæ, immanis coacervatio montium imperviorum assurgit, per transversum transiliendorum, & decades plurimas viæ abruptæ complentium, prorsùs incommodæ incessui militari. Sena ergò Gallorum Senonum, quam Polybius tradit fuisse à Romanis occupatam, non fuit Senogallia Piceni, sed Cæsena (tunc Sena) penès flumen Sapim erecta.

8 Est audiendus nunc Strabo, qui opportunè loquitur ad rem nostram, dum sequentia loca describit ordine progressivo ab Occasu ad Orientem, à Placentia usque ad Ariminum: Inquit enim: *Cis Padum, circumque Padum, celeberrimæ sunt Civitates Placentia, & Cremona media ea regione propinquissimæ. Inter has, & Ariminum sunt Prema, Mutina, Bononia. Propè Ravennam, in harum medio, exigua quædam jacent Oppida, per quæ iter est Romam: Acara, Rhegium Lepidi, Nacri Campi, ubi quotannis Forum con-*

conficitur, Cliterna, Forum Cornelii, Faventia, Sena Isapi fluvio propinqua, & Rubiconi, hæc proxima sunt Arimino (9).

(9) Strabo Geograph. lib. 5.

9 Duo hisce verbis exhibentur argumenta, disiunctivè ostendentia; & copulativè, usque ad evidentiam convincentia, quod Sena Gallorum Senonum Sedes, Caput, & Metropolis, est illa, & eadem, quæ nostris temporibus nominatur Cæsena. Sumpto namque argumento à circumstantibus Civitatibus, ponit Strabo, quod Sena interiacet Arimino, atque Faventiæ? Deinde ducta ratione à conterminis fluminibus, inquit idem, Senam esse Isapi, idest Sapi fluvio, & Rubiconi propinquam. Verùm intermedia Faventiæ, atque Arimino; ac propinqua Sapi flumini, & Rubiconi, non est Sena Etruriæ, neque Senogallia Piceni: sed urbs Cæsenæ, olim Sena nuncupata, nunc vero (veluti per figuram Prothesis, aucta priori syllaba, *Cæ*) dicta Cæsena. Ergo non Sena Etruriæ, nec Senogallia Piceni, sed Cæsena Romandiolæ, est Sena Strabonis: eademque Caput, & Metropolis Italicæ ditionis Gallorum Senonum.

10 Crescit adhuc magis firmitas, & evidentia hujus veritatis, prosequendo textũ ipsiusmet Strabonis: qui (loquens de *Umbria*, Transapennina respectu ad Romam, Cisapennina verò respectu ad nos, qualem eam nominat Paulus Merula (10): & ad mare Superum, seù Adriaticum versa est: de qua etiam sermonem habet Plinius (11) in Regione sexta Italiæ) ait: *Thusciæ applicatur ex parte Orientis Umbria, quæ ab Apenninis incipit, & ultrà etiam ad sinum Adriaticum: hic enim à Ravenna incohantes, propiora deinceps tenent Sarsinam, Ariminum, Senam, Camerinum: ibi & Æsis fluvius, & Mons Gingunus, & Sextinum, amnisque Metaurus, & Fanum Fortunæ; In his namque locis priores fuere Italiæ termini, atque Galliæ ad quamdam maris ejus partem: licet Imperatores sæpe numero transportaverint: antea quidem Æsin terminum faciebant, rursus Rubiconis fluvium*. Et paulò post: *Æsis inter Anconam labitur, & Senogalliam* (12).

(10) Merul. Cosmogr. p. 2. lib. 4 fol. 1084.
(11) Plinius hist. natur. lib. 3 cap. 14.
(12) Strabo Geograph. lib. 5 fol. 347.

11 Vide in uno, & eodem contextu Strabonis, tam *Senam*, quàm *Senogalliam*, diverſis nominibus, diſſitisque in locis contemporaneè memoratas, *Senam* propè Sarſinam, & Ariminum; *Senogalliam* verò apud Anconam, & Æſin: ut apertiſſimè pateat, & intelligas, diverſas, diſtinctas, prorſusque diſcrepantes urbes fuiſſe, hinc *Senogalliam* Piceni; & inde *Senam* Gallorum Senonum, aliàs Cæſenam Romandiolæ, fluminibus Sapi, & Rubiconi propinquam. Adde quod Senogallienſis urbs, ut innuimus, nunquam dicta fuit à Scriptoribus vetuſtis ſimplicitèr, & abſolutè *Sena*, ſed ſemper compoſitè *Senogallia*: Civitas verò noſtra temporibus antiquis dicta fuit ſimpliciter *Sena*, prout vidimus ex Livio, & Strabone; ac magis infrà patebit capite ſubſequenti.

12 Redeamus ad Polybium: ſitus, quem dat *Senæ* Gallorum Senonum Polybius, nullatenus congruit, quadratve Senogalliæ, ſed optimè Cæſenæ. Scribit enim iſte Hiſtoricus, quod campi magni Italiæ, *omnis Europæ maximi*, *atque uberrimi* (continentes planitiem Inſubriæ, ſeù Longobardiæ, uſque ad majorem partem Romandiolæ) formam triangularem referunt: cujus *baſis locum tenet latus maris Adriatici*. *Ejus magnitudo eſt à Sena urbe uſque ad intimum ejus maris ſinum*, *&* *duorum millium*, *&* *quingentorum ſtadiorum ſpatio continetur*. Deindè addit: *Sena &c. in littore Adriatici maris ſita*, *ubi campi Italiæ terminantur* (13): Hunc eundem limitem dat Longobardiæ Antonius Aſteſanus, de illa concinens

Quæ Pedemontanis, ut fertur, ab alpibus uſque
Tenditur exiguas ad Rubiconis aquas (14)

Ut meliùs verò Polybianæ dimenſionis vis percipiatur, ſupponendum eſt, quod quælibet octo ſtadia correſpondent menſuræ mille paſſuum (15); ſicque 2500. ſtadia implent numerum 312. milliarium cum dimidio.

13 Sena igitur à Polybio memorata, diſtat ab intimo ſinu maris Adriatici 2500. ſtadiis, ſivè 312. mille paſſibus cum dimidio: Et hæc diſtantia vera comprobatur adamuſſim

(13) *Polyb. Hiſtor. lib. 2.*

[14] *Anton. Aſteſan. de variet. fortun.*

(15) *Vide Calepin. V. Stadium.*

ſim in Civitate Cæſenæ: non verò in Senogallienſi. Tum quia iſta ſecunda longè à Cæſena versùs Orientem eſt 560. ſtadiis, ideſt 70. mille paſſibus: & conſequenter ab intimo ſinu Adriatici, non 2500. ſed 3160. ſtadiis diſtat. Tum etiam quia eadem Sena Polybii ea in extremitate baſis triangularis locatur, ubi *Campi Italiæ terminantur*: & equidem talis eſt Cæſena: non verò Senogallia: quandoquidem hæc longe ab angulo dictæ baſis triangularis diſtat per 560. ſtadia, ſive 70. mille paſſus. Ac præterea non terminat dictos campos, tamquam ab eiſdem extranea: necnon habens poſt ſe longe ulteriorem planitiem 20. mille paſſuum, protenſam uſque ad Anconam (16).

14 Nec opponas, dimenſionem Italicæ planitiei aliter fuiſſe computatam, quoad longitudinem à Strabone (17): quia Strabo non limitavit ſuam dimenſionem ad cuſpidem Trianguli Polybiani, ſed eam ulterius extendit uſque ad totam regionem, quam Galli Senones tenuerunt versùs Anconam: ſicque Strabo, & Polybius non diſconveniunt, velut non de uno, & eodem tractu terræ loquentes, ſed de diverſis (18): Et quoniam Polybius non de Sena in abſtracto, ſed de illa Sena ſermonem habet, à qua Galli Senones exacti fuerunt, quando M. Curius Conſul Romanus eoſdem debellavit, ſedibusque fugavit (19); Hinc quoque patet, Senam eorumdem Gallorum Senonum Caput, & Metropolim fuiſſe Cæſenam, non verò Senam Etruriæ, neque Senogalliam Piceni.

15 Dices fortè, quod Sena Polybii ſic ab eo denotatur: *Eſt autem ea urbs &c. in littore Adriatici maris ſita, ubi campi Italiæ terminantur*. Ergo non eſt Cæſena, quia hæc non eſt ſita in littore maris. Verum attendendum, quod Polybius non unum, ſed duos ponit characteres Senæ à ſe nominatæ. *Primò* quod ſit in littore præfati æquoris. *Secundò* quod ubi ſita eſt, ibi campi Italiæ terminantur. Uterque autem character correſpondet Cæſenæ, ac neuter Senogalliæ Piceni, neque Senis Etruriæ. Situm enim, ubi terminantur iidem campi, adamuſſim reſpondere ſitui Cæ-

(16) *Scip. Claram. Hiſtor. Ceſen. in Appar. p.1. f.9. & 11.*

(17) *Strabo Geograph. l. 5.*

(18) *Vincent. Caſinas de Rubicon. antiq. ſectio 3. c.4. f.28. & 31.*

(19) *Polyb. Hiſtor. lib.2.*

senæ, ac nihil convenire cum situ Senogalliæ, neque Senarum, hucusque patefecimus evidenter. Quod item ipsæmet Senæ Etruscæ non adsint littori maris Adriatici, patet ad sensum, quippe ab illo distant per 150. circiter mille passus. Et licet Senogallia Piceni nunc sit in crepidine dicti maris; tamen hæc non est illa, quæ vigebat ætate Polybii. Ut enim audivimus ab indigenis, antiqua Senogallia erat inde distans per aliquot millia passuum, traducta successivè in locum, ubi ad præsens reperitur. Sicque verba Polybii non quadrant situi Senogalliæ sui temporis, quæ non extabat ad mare. Cum verò situi Cæsenæ benè respondeat, ut diximus, secundum distinctivum Senæ Polybii, scilicet terminatio ibi camporum Italiæ; sat correspondet etiam primum, nimirum propinquitas ad mare, quia sufficienter adjacet mari, cum ab eo modicum distet: cum suum agrum extendat ad mare: cum denique suo portu subeat in Adriaticum æquor. Et alioquin Polybius non ibi connotavit littus æquoreum, physica, & rigorosa proprietate verborum, sed morali, & circumlocutiva expressione.

16 Omittenda quoque non est distinctio, quam suggerit Plinius, collocans Civitatem Senogalliæ in sexta regione Italiæ; Cæsenam verò (quæ est Sena Polybii, & Strabonis, ut patet ex dictis) ponens in octava regione (20). Quamobrem satis elucet, Senogalliam Piceni toto cœlo differre à Sena Romandiolæ (nunc Cæsena) regia Urbe, ac Metropoli Gallorum Senonum. Non impugnamus nihilominus, quod antiqua Senogallia originem sui nominis ab ipsismet Gallis Senonibus habuerit (21): sivè quod ab illis condita fuerit: quippè concinit Antonius Astesanus, quod Galli plures Civitates condiderunt

Ac Senogalliensem terram, Mutinam, atque Tridentum
Quasque alias urbes enumerans grave est (22):

Cum tamen Cæsenam, non Senones ipsi ædificaverint, sed ab Umbris, inde ab Etruscis antecedenter possessam, sibi subjecerint: & pro sede præcipua eorum regiminis, cum Senæ nomine deputaverint.

(20) *Plinius Hist. natur. l.3. cap.14. & 15.*

[21] *Claram. Histor. Cæsen. lib.1. fol.50.*

(22) *Astesan. de variet. fortun. lib.2. c.3.*

17 Qua-

17 Quare pro ſede præcipua ſui regiminis? quia proximos habebant ab Occaſu Gallos Bojos(contrà quorum,aliorumque Gallorum propoſitum venerant, in Italiam, ſicque magnos progreſſus fecerant militares, ut ſuprà dictum eſt. QuamobremSenones,ut ſuſpectam habere propinquitatem, & potentiam Bojorum;ſic & præcavere inſidias debebant;& ſemper eſſe parati ad ipſorū invaſiones bellicas retūdendas. Ac quemadmodum *Cæſar duobus in extremis Provinciæ ſuæ finibus duo Fora videtur conſtituiſſe,unum in ulteriore Gallia, alterum in citeriore &c. quæ ab ejus nomine dicta ſunt* (23); ità nil mirum,quod & Galli Senones nomen ſuum dederint duobus urbibus, hinc inde poſitis in extremitatibus propriæ ditionis, à Viti flumine uſque ad Æſim protenſæ: nempè Cæſenæ propè ipſum Vitim ſitæ: ac Senogalliæ propinquæ præfato Æſi: quarum hæc ſecunda vires eorum firmaret contrà Romanos, ſibi à ſolis ortu conterminos:& illa prior Bojorum Gallorum impetum cohiberet, quos habebant conlimitaneos ab occaſu (24).

18 Alia de Cæſena,quod ſit *Sena* Gallorum Senonum ad Senogalliæ differentiam, inferiùs referentur (25). Et alia quoque in idipſum tendentia legere eſt apud Scipionem Claramontium (26). Hicque interim enunciabimus, quod adeo infixa eſt animo Cæſenatum,imago, ac memoria eorum antiquæ relationis ad Gallos Senones, deſcendentiæque illorum ab iſtis; ut indelebiliter propagata fuerit, adhucque noſtra ætate permaneat, denominatio quædam honorificentiæ inde ſumpta. Senonum namque nomen tranſivit in titulum honorificentiæ Civium præclariorum:ſic ut Decuriones gerentes Magiſtratum Civitatis, & Primates, atque Conſiliarii,corpus ipſiuſmet urbis componentes, haud rarò conſueſcant Senones appellari: & dici, hic eſt unus ex Senonibus, ille eſt ex numero Senonum &c. videlicet eſt unus ex Conſiliariis, vel Decurionibus &c.


19 Ex hucuſq; autem recenſitis coniici poteſt,hic,apud Cæſenam,inquam, olim Senam,reſediſſe quandoque *Brennum* I. Gallorū Senonū Regem,ſeù Ducem,atq;Ductorem, poſt-

(23) *Sigon. de Antiq. jur. Ital. l. 2. c. 15. f. 105.*

(24) *Cluver. Ital. Antiq. fol. 273.*

(25) *Vide infrà c. 6. à n. 15. &c. & c. 7. à n. 13.*

(26) *Claram. Hiſtor. Cæſen. in Appar. p. 3.*



postquàm per aliquod tempus antecedenter permanserat in Italia inter Alpes,& Padum: pluraque præclara gesserat opera, sua digna virtute. De quo Brenno ità cecinit mox fatus Antonius Astesanus

Gallorum nostras Brenno duce venit in oras
Exquirens sedes copia magna novas.
Brennus enim secum Gallorum millia duxit
Tercentum, priscis testibus Historicis.
Brennus Dux Senonum, de quo mihi mentio facta est
Cum gente innumera venit in Italiam (27).

Cavendum est attamen, quod non unicus, sed bini fuerunt Brenni Gallorum ductores: primus, & secundus: quorum alter alteri præcessit 110. circiter annis (28): nec acta unius confundenda sunt cum gestis alterius. Primi effigies ea est, quæ sequitur, sumpta ex Promptuario numismatum antiquorum (29).

(27) *Ant. Astesan. de Variet. fortun. l.2. c.5. & 6.*

(28) *Morer. Diction. Histor. V. Brennus Theat. Vit. Hum. V. Bellū f.150. A.*

(29) *Promtuario de le Medaglie par.1. pag. 125.*



Ioan. Petroschi Sc.

20 Brennus profectò I. non contentus primis victoriis, felicibusque successibus, quibus ab initio in regione Transpadana profecit: ubi & aliquot Oppida, Civitatesque munivit, aut condidit, aut restauravit; & haud parvam regionem suo dominio subjugavit; ad majora in dies incrementa inchoatæ jam ditionis anhelans; ut nova bella fortiter aggrederentur; suos Milites incitabat. Unde quidam

Ut virtute sua Brennus munimina facta,
Arvaque cuncta sibi vidit vicina subacta,
Nunc, ait, socii tempus majora movere
Nunc mihi credo viam quaqua declino patere
Nàm validæ nobis vires, animique vigentes

Et

Et superi nostris curis, cæptisque faventes.
Ergo viri fortes, & jàm mihi sæpe probati;
Quam citò (tempus enim nunc) armis este parati
Dux ego, manu vos, consilioque juvabo,
Vobiscumque mori, si sors ferat atra, parabo.
Quam tamen haud vobis opus est aliunde timere
Nàm vis nulla potest nobis, casusve nocere (30).

21 Ejus intentioni (postquam sedem jam constituerat apud Senam, nunc Cæsenam) famulata est, non minùs opportunè nata, quam inexpectata occasio Aruntis Etrusci, Senones accersentes, ut illorum adjutorio ultionem sumeret de Clusinis hostibus suis. Advolavit illuc Brennus, caterva stipatus 70. millium Bellatorum, ex ditione Senonica collectorum (31): Clusium auxiliario nomine obsedit. Huicque incumbens operi à Romanis Clusinorum fautoribus lacessitus, obsidione dimissa, movit arma contrà ipsosmet fautores: quos ad Alliam flumen fudit 15. Kalendas Augusti (32): adeò terribili clade, ut *Alliensis dies* transiverit in proverbium pro funestissimo die (33)? de quo cecinit Ovidius

Hæc est in fastis, cui dat gravis Allia nomen (34).

22 Tum festino gressu Romam profectus, illam cæpit, horroreque, ac cædibus implevit: solo Capitolio, fatis resistentibus, non subacto (35): & arctatis Romanis ad sponsionem ingentis ponderis auri pro vexatione redimenda tametsi posteà illa pactio evanuerit ob vim supervenientis Camilli (36). Audiendus Auctor Miscellæ: *Galli Senones Duce Brenno, exercitu copioso freti, & robusto nimis; cum urbem Clusium obsiderent, obsidione dimissa, totis viribus Romam contendunt. Hos ità dire irruentes, Fabius cum exercitu Consul excepit, nec tamen obstitit: imò potiùs hostis ille impetus Romanos quasi aridas segetes succidit, stravit, & transivit. Testatur hanc Fabii cladem fluvius Allia, sicut Cremera Fabiorum. Non enim facilè aliquis similem Romanæ militiæ ruinam recenseret, etiam si Roma insuper incensa non esset. Patentem Urbem Galli penetrant, trucidant*

(30) *Moyses Bergomen. de Laud. Bergom. c.13. à n.307.*

(31) *Theat. Vitæ Hum. V. Indulgentia f.187 Q.*

(32) *Servius in Virgil. lib. 7. Æneid.144.*

(33) *Cicero ad Attic.l.9.epl.4*

(34) *Ovid. in Ibin.*

(35) *Tit. Liv lib.5. Dec.1.*

(36) *Plutarc. in Camil. Diodor. lib.14.*

dant rigentes simulacrorum modo in suis sedibus Senatores, eosque incendio domorum crematos, lapsu culminum suorum sepeliunt universos (37).

(37) *Hist. Miscell. l.1. in fin.*

23 Notat Jornandes ex Lucio Floro, diuturnam fuisse obsidionem Capitolii, protractam usque ad sex menses: quibus Galli Senones *circà montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti*: quos *tamen Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe dejecit &c.* Demùm *cum jàm obsidio sua*, inquit, *Barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, subitò aggressus à tergo Camillus, cecidit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret* (38). Fusiùs prosequi hanc historiam non est necesse. Legat cui placet S. Augustinum de Civitate Dei (39), Plutarchum in Problematibus, & in Camillo (40), Titum Livium (41), Lucium Florum (42), Paulum Orosium (43), Eutropium (44), & alios his recentiores (45).

24 Brevitèr totam seriem facti recenset Dionysius Petavius his verbis: *A' Gallis victrix ipsa Roma postmodum est deleta: qui cum anno* Urbis conditæ 363. *Clusium obsedissent, ac Romani Legatos ad ipsos misissent Fabios tres: ijque contrà jus gentium primi in acie pugnare conspecti essent; omisso Clusio, ad Urbem advolarunt. Primo impetu fusi, fugatique ad Alliam Romani, qui obviam iverunt. Urbs deinde capta, & incensa. Capitolium, quo se flos juventutis receperat, obsessum, & absque Manlio fuisset captum. Clangore anseris excitatus Manlius, ac deinde reliqui, subeuntes per acclive Gallos egere præcipites. Interim Camillus, qui Ardeæ exulabat, collectis copiis Romam adveniens, inde Gallos ejecit* (46).

[38] *Jornandes de Regnorum successión.*
(39) *S. Aug. de Civit. l.2. c.25. & l.3. cap.17.*
(40) *Plutarch. in Problem. 24. & in Camillo.*
(41) *Tit. Liv. lib.5. Dec.1.*
(42) *Luc. Florus l.1. c.13.*
(43) *Paul. Orosius Histor. l.2. cap.19.*
[44] *Eutropius Histor. l.1.*
(45) *Mezeray Histor Francorum lib. 1. Cimarell. Histor. Gallor. Senon., Joann. de Carmenat. Hist. c.2. & seq.*
(46) *Petav. Ration. Temp. p.1. l.3. c.12., & p.2 l.3. c.21.*

25 Ex tunc quid factum sit de Brenno I. Senonum Rege, sive Ductore, à Romanis (quos ad Alliam flumen fuderat, inde in alma Urbe prostraverat), denique armis victricibus debellato; ac quisnam fuerit exitus vitæ illius; res incerta esse videtur. Auctor Miscellæ tradit, quod *in alpibus nivibus oppressus*, quum Roma recederet, *Brenno cum omni*

omni suo exercitu deletus est (47). Sunt & qui referunt, ipsum à Romanis arctatum inter prærupta montium, & ad restituendum aurum, quod exegerat, coactum; confusione plenum ex Italia procul abscessisse (48). Sive autem ipse obierit, sive abierit, profectò alii Galli Senones, qui domi remanserant, & Cæsenæ, atque in Senonica ditione, à Viti flumine usque ad Æsim commorabantur; progressu temporis invaluerunt contrà Romanos, & eosdem præliis gravissimis fatigarunt, proùt infrà videbimus (49).

(47) *Histor. Miscel. lib.* 1. *in fin.*

(48) *Gualvan. Flamma Manipul. Florum cap.*17.

(49) *Vide infrà cap.*5.

26 Atque quâ conjecturâ de Brenno I. diximus; eadem quoque verosimiliter cogitari poterit, apud Cæsenam resedisse, atque ab ea, tunc Sena, primaria Senorum sede, iter suum suscepisse, alterum item Brennum, in ordine II. ipsorum Senonum ductorem, qui 110. circiter annis post primum, nova expeditione suscepta, cum strenuorum bellatorum agmine numeroso, irrupit in Græciam (50), ubi varia opera præclare fortitudinis peregit, ac militari sese gloria cumulavit: conflictu inter cætera terribili congressus cum Ptolemæo Ceramno Rege Macedonum: quem & in eodem prælio nedum fudit; sed & illius caput amputatum, hastæque infixum, circumferri fecit per sua castra (51). Deinde invaso Templo Delphico Apollinis, totum per orbem celeberrimo, illud expilavit: sed brevi pœnas luit patratæ direptionis, de qua Propertius (52):

Torrida Sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

(50) *Sabell. l.*1. *Ænead.*4. *Mezeray Hist. Franc. tom.* 1. *l.*1. *n.*3.

(51) *Doglion. Teat. de Prencipi ann.*3679.

(52) *Propertius l.* 3. *Eleg.* 13.

27 Senones præfatam expeditionem componentes, inquit Petavius, fuerunt *victi primùm ad Termopylas, tum ad Parnassum, quo potiundi Delphici Templi, ac spoliandi gratia perruperant. Brennus ipse multis acceptis vulneribus, largius hausto mero vitam spontè finiit. Ea Gallorum calamitas notatur à Pausania, Arthonte Anaxicrate, hiemis tempore: hoc est anno secundo Olympiadis* 125. *antè Christum* 279. (53). Sunt qui dicunt, hunc Brennum propria manu sibi mortem intulisse: ac sequaces ejus, majoremve ipsorum partem, ingenti segmine montis Parnassi dilapso super

(53) *Dionys. Petav. Ration. temp. p.* 1. *l.*3. *c.*16. *f.*129.

per illis, obrutos, & collisos, pœnam luisse patratæ impietatis, & sacrilegii (54). Utcumque res fuerit, Brennus æque, ac ejus exercitus infelicem exitum incurrerunt.

28 Ab hujusmodi Senonibus Gallis nomen accepisse tradit Svidas, regionem Gallogræciæ, sive Gallatiæ, quo se receperunt superstites illi asseclæ Brenni II., qui præfati pseudonuminis iram evaserunt, quantumvis alii aliter sentiant (55). Senones verò, qui manserant in Italia, principatum sub diversis Ducibus propagarunt, ac per successiva tempora sese variis bellis implicuerunt, modo soli, modo aliis populis juncti (56): donec tandem, & ipsi communi omnium Italorum fato succumbentes; potentiæ Romanæ Reipublicæ paruerunt (57). Qua de re infrà erit sermo capite quinto: ubi, & de anno agetur, quo eorum contigit profligatio (58).

(54) *Valer. l. 1. c. 1. Justin. l. 2. & 24. Theatr. Vit. Hum. V. Impietas f. 96. & V. Sacrilegium f. 54.*

(55) *Cornel. à Lapid. in argum. Epist. ad Galat.*

(56) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 1. 2. & 3.*

(57) *Mezeray Hist. Francor. tom. 1. l. 1. n. 3.*

[58] *Vide infrà c. 5. à n. 1. ad 5.*



CA-

CAPUT III.

Quibus *Nominibus* per diverſa tempora Civitas Cæſenæ fuerit appellata.

SUMMARIUM.

1 *Nomina rerum deberent illis congruere. Tamen ſunt ad libitum imponentis, & mutabilia.*

2 *Plures Civitates, veteri nomine relicto, aliud acceperunt. Cæſena diverſis nominibus vocata eſt.*

3 *Tempore Umbrorum appellata fuit* Cæſena. *Dominantibus Etruſcis dicta eſt* Flavia Papia.

4 *Regnantibus Senonibus nomen obtinuit* Senæ: *Teſtimonium Benevolentii de ipſomet nomine.*

5 *A' Livio item, Polybio, & Strabone, nuncupata legitur nomine* Senæ.

6 *Strabo dictione Senæ non ſignificat unam Provinciam, ſed unam Civitatem, quæ eſt Cæſena.*

7 *In diverſis æditionibus Strabonis, & aliorum, modò Sena dicitur, modò Cæſena.*

8 *Jàm plurimis ab hinc ſeculis denominatur communiter Cæſena: & unde hoc nomen illi advenerit.*

9 *Quorumdam Poetarum, & Scriptorum dictatus, de ratione hujus nominis. An dicta fuerit quoque* Cæſemnia?

10 *Opinio Claramontii de nomine Cæſenæ. Triumviratus Romanus, quo tempore coaluerit?*

11 *In Itinerario Antonini, eadem urbs dicitur* Curva Cæſena: *Aliquando etiam dicta eſt* Stella.

12 *Alicubi nominatur* Flavia Curva Papia. *Et hoc nomen ad quam ætatem referri debeat?*

13 *Aliquot innuuntur, Urbes olim parantes ſubſidia contrà Græcos. Reges Longobardi dicti Flavii: reſidebant Papiæ.*

 14 *Ab*

14 *Ab ipsis Longobardis forte Cæsena denominata fuit Flavia Curva Papia.*

15 *Multis in locis legitur scripta non cum una, sed cum duplici N.* Cæsenna.

16 *Antiquitus modo cum 1. modo cum 2. N. scribebatur. Et nunc munita diphthongo, nunc sine illo.*

17 *Multoties item in scripturis vetustis reperitur nominata &* Cæsina *in singulari, &* Cesinæ *in plurali.*

18. *Qua pariter forma pluralis numeri,* Cæsenæ Cæsenarum, *quandoque legitur exarata.*

1 Quoniam Tullio referente, *Nomina sunt tanquam rerum notæ* (1) non nisi propria, & adaptata singulis rebus inesse deberent. Et quamvis esse possint arbitraria quoque ad beneplacitum imponentis; attamen, ut in pluribus, non sine proprietate solent imponi. Unde versus.

(1) Cicero 5. de Finibus 129.

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Hinc & Urbes, prudenter cogitandum est, ab initio non nisi nomen congruum, & bene adaptatum sortitas esse, tametsi præ antiquitate minime constet de pluribus earum,

Dicta sit unde dies, quæ nominis extet origo (2).

(2) Ovidius 5. Fast. 89.

Adaptatum, inquam, & significativum: non tamen taliter, ut primum nomen non potuerit subinde, vel Principis auctoritate, vel voluntate Civium, aut gravis alicujus eventus contingentiâ commutari.

2 Veteri relicto nomine, novum sibi progressu temporis assumpserunt, Costantinopolis, ab initio vocata Byzantium. *Neapolis*, antea dicta Partenope: *Bononia*, pridem appellata Felsina. *Patavium*, præcedenter nuncupatum Antenore. *Narnia*, olim Nequinum. *Terracina* quondã Anxur. *Capua*, dudum Sicopolis. *Cervia*, prius dicta Ficocle. *Britinorium*, vocitatum antiquitus Petra. *Parma*, cui nomen quandoque fuit Chrysopolis. *Imola*, priscis temporibus notata nomine Fori Scyllæ. *Papia*, quondam di-

cta

cta Ticinum. Denique legatur Ioannes Villanius, & eum recensere invenietur, quod *Aretium*, olim dicebatur Aurelia. *Pisis* nomen erat Alphea. *Luca* vocabatur Fidia. *Viterbium* Vegentia. *Volaterra* Artonia (3). Quid plura? *De Placentia* refertur, quod aliquando Valeria denominata fuit, aliquando Vallis nobilis, aliquando Plagentia, aliquando Paventia (4) Et generaliter de prisca ætate memoriæ tradidit historicus Dio, quod Civitatum *unaquæque sibi nomina quotquot vellet deligebat* (5). Vnde nullam concipiet admirationem quicumque audiet, Cæsenam diversis nominibus fuisse per successionem diversorum temporum nuncupatam.

(3) Gio: Villan. Hist. Florent. l.1. cap.47.48. 49.50., & 55.
(4) Chron. Placent. in tom.16 Rer. Italicar. fol.563.
(5) Dio. Hist. Rom. f.54.

3 Quodnam fuerit primum, & vetustius nomen illius: ac quot, & quibus occasionibus, una denominatione relicta, sibi assumpserit aliam; est res adeo profundæ antiquitatis tenebris involuta, ut eam velle prorsus dilucidare, sine difficultate non transeat, vix totaliter extricabili. Ne tamen laboremus totaliter in incertis, en quæ de hujusmodi negotio summatim possunt, reservato veritati loco, referri. Tempore Umbrorum, eo ipso nomine appellata fuit, quo nunc vocatur: juxta recensita superius, à Cæsennio ipsius gentis rege, obtinuisse denominationem *Cæsenæ* (6). Deinde mutavit appellationem ea ætate, qua Etrusci dominati sunt provinciæ nostræ. Tunc enim Cæsena, à Flavio Papio ipsorum Duce nomen obtinuit *Flaviæ Papiæ*, atque ita reperitur alicubi nominata (7).

[6] Vide suprà cap.1. n.8.
[7] Andreas Agn: l. Pontifical. par. 1. in Vit. S. Felic. cap.3.

4 Postmodum adepta est nomen Senæ, non deductum à prisco nomine Cæsenæ, veluti per figuram Apheresis, mutilata priori syllaba *Cæ*; sed à Gallorum Senonum novo dominatu: qui Etruscis debellatis, & exactis, hanc Civitatem constituerunt caput, primariam sedem, & metropolim ipsorum ditionis, à Viti flumine usque ad Æsim protensæ, proût superiori capite dictum est, & infra quoque rursus dicetur (8). Ubertus Benevolentius Senensis, videns à nonnullis in dubium revocari, an Flo-

(8) Claram. Histor. Cæsen. lib.4. f.155.

rianus, unus ex Patribus Concilii Lateranensis, habiti anno Christi 313. in Causa Cæciliani Antistitis Carthaginensis, esset Episcopus Cæsenæ, proùt apud Optatum Milevitanum habetur (9) vel potiùs Episcopus Senarum Etruriæ, ingenue fatetur, fuisse Episcopum Cæsenatem, concludens: *Ego vero nihil video, de quo sit dubitandum, quoniam antiquitus Cæsena Sena appellabatur* (10).

(9) *Vide suprà cap. 2. à n. 2., & infrà cap. 6. à n. 15.*

[10] *Card. Baron. ann. 313. n. 25.*

5 Ex Livio item, & ex Polybio, superius recensitis, ostendimus, quod Sena ab ipsis memorata, illa ipsamet civitas est, quæ nunc denominatur Cæsena (11). Sed si omnes hæ probationes deessent, una pro mille valet Strabonis auctoritas inconcussa, de hac eadem urbe dilucidissime proferentis: *Sena Isapi fluvio, & Rubiconi propinqua* (12). In antiquis profectò codicibus, etiam editis Strabonis, legitur *Sena*. Et in vetusto manuscripto Vaticano ejusmet Auctoris, itidem expressum stat *Sena* (13). Sic quoque apud Procopium, postquam scriptum priùs fuerat Cæsena, seu Cæsina, deinde legitur *Sena*, seù & Sina (14).

(11) *Optat. Milev. l. 1. adversùs Parmenii.*

[12] *Ubert. Benevol. in not. ad Ughel. t. 3. f. 527.*

(13) *Vide hic suprà c. 2. n. 2. & 5.*

[14] *Strabo Geograph. l. 5.*

6 Textui Strabonis vim facere, illiusque veram significationem nuper subvertere nixus est Petrus Maria Kavina (15): dum contempta versione ipsiusmet magni Geographi Stabonis ex Græco in Latinum idioma, quæ vulgata est, omnibus obvia, & à cunctis admissa, (solitaque pa ssim adhiberi) aliam ex se commentus est fictitiam, & idealem, autumans, quod Strabo per voces *Faventia, & Sena*, non significet binas Urbes, sed totidem Provincias, eorundem nominum. Cum tamen ipse Strabo, sermone procedens ordinatim ex Occasu in Orientem, à Placentiâ, usque ad Ariminum, evidentissime loquatur, non de Provinciis, sed de Urbibus, existentibus à Pado usque ad Ariminum, ibi individuè nominatũ. Verba Strabonis retulimus capite præcedenti numero octavo.

(15) *Codex manuscrip. Vatican. 308. fol. 103.*

7 Ac ne dubitetur, quin per verbum *Sena* Latinè, ac *Sina* Græcè, Strabo intelligat illam Senam, quę sita est inter urbes Faventiam, & Ariminum, atque inter fluvios Sapim,

Sapim, & Rubiconem, ideſt de civitate Cæſenæ; attende, quod in editione Atrebatenſi Strabonis anni 1587. p. 150. & ex codice Romano Bibliothecæ Leonis Allatii, exiſtente in Collegio Græcorum: necnon in editione Pariſienſi ejuſdem, anno 1620. pag. 207. litteris rotundis non ſcriptum legitur *& Sena*, ſeu Sina, ſed apertiſſimè, *ac Cæſena*: ibi: *Tum Faventia, ac Cæſena ad Sapim fluvium, & Rubiconem*. Nec omittendum eſt hic, quod relativè ad varietatem nominum, quibus hæc civitas fuit pro diverſitate temporum appellata, Philippus Cluverius obſervat, eam à Græcis Auctoribus nuncupari, modo Cęſine, modo Cuſine, modo Cæſena (16). Et Caſaubonus quoque notat, quod in aliquibus codicibus Strabonis nominatur Ciſena (17).

8 Profectò hæc ipſamet Civitas jam per multa ſęcula, chiliandas annorum implentia, nuncupatur Cæſena: vel jure poſtliminii, recuperato priſco nomine temporis Umbrorum. Vel per figuram Protheſis, aucto nomine temporis Senonum, acceſſione prioris ſyllaba *Cæ* ad duas poſteriores, & ex Sena, denominata Cæſena. Vel etiam forte ſic dicta à verbo *Cædo*, ideſt divido, & ſcindo: eo quod Cæſa ſit à parvo amne, qui eam dividit in duas partes quaſi *Sena* ab eo *Cæſa*, uti ſentit Paulus Merula (18) vel denique à nomine ipſiuſmet amniculi, eandem interſecantis, qui vocatur *Cæſis*, & per idiotiſmum *Cæſaula*: quo in ſenſu Darius Tibertus civis noſter, & poeta, quandoque modulatus eſt.

Urbs Cæſena mihi patri eſt, quam dividit unda
Cæſis, & à patrio flumine nomen habet (19).

9 Idipſum opinatus eſt Nicolaus Perottus Præſul Sipontinus inquiens: *Sunt qui exiſtimant, Cæſenam quoque Flaminiæ urbem à cædendo appellatam, quod exiguo intus amne Cæſa, hoc eſt diviſa ſit. Vel quod ager ejus duobus fluminibus Sapi, & Rubicone ſit diviſus* (20): Conſonat his Hexaſticon Joannis Franciſci Raynaldi Cæſenatis, ita metrice concinentis.

(16) *Procop. Rerum Gotbic. lib. 2. & 3.*

(17) *Ravina Faventia Rediviva p. 7. &c.*

(18) *Cluver. Ital. antiq. l. 1. f. 295.*

(19) *Iſaac Caſaub. in Strab. loc. cit. edition. Pariſien. anno 1620. f. 207.*

(20) *Paul. Merul. Coſmogr. p. 2. l. 4. c. 33. f. 1236.*

Quæ

Quæ duplici fluvio Sapi, & Rubicone secatur;
Cæsena, & binas clauditur inter aquos.
Cæsa velut geminis Tellus fluvialibus undis,
Ex se nacta suum nobile nomen habet.
Clara suis agris, felixque liquore lyei,
Fæcundi præbet læta theatra soli.

Sunt & qui arbitrantur, dictam esse Cæsenam, quasi *Cæsemniam*, idest ab amne Cæsam (à præfato nempe fluviolo, qui ut diximus idioticè vocatur Cæsaula, & illam interfecat). Non secus ac Interamna ita dicta est, ex eo quod jacet inter duos amnes. Et Mesopotamia sic apellatur à verbo Græco Potamos, quod significat flumen: ac ipsa regio à duobus celeberrimis fluminibus Tigri, & Euphrate, hinc, atque inde lateraliter coaretatur.

10 Verum Scipio Claramontius historicus noster, suspicatur, Cæsenam sic dictam postremo fuisse ab excidio, quod hæc urbs passa est circa tempora consulatus Syllæ cum Metello (21): qui recidit in annum V.C.674. ante Christi ortum 80. (22). Aitque: *Accisio forte, & excisio Senæ novo nomini occasionem præstitit, quasi scilicet Cæsa Senarum diceretur, in Cæsenam duæ voces coaluerunt. Incidit autem ejus restitutio in id tempus, cum Triumviratus Lepidi, Antonii, & Octaviani imminebat.* Qui sane Triumviratus coaluit anno V. C. 711. ante Christianam Æram 43. Consulibus Hirtio, & Pansa (23). Eadem porro Claramontii conjectura suo digna est honore. Veruntamen verosimilior videtur alia Darii Tiberti paulò superiùs recensiti, consonans cum illa Perotti, & Raynaldi.

(21) *Dar. Tibert. de Legit. amor. lib. 1.*
(22) *Nicol. Perott. verb. Occido.*
(23) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. l. 4. f. 125. & 126.*

11 In Itinerario Antonini, ab Arimino usque ad Civitatem Derthonæ ducto, urbs nostra denominatur *Curva Cæsena* (24). Quam *Curvæ* appellationem ferunt sortitam esse Cæsare Imperatore: eo quod quandoque ibi consistens idem Princeps (occasione meandi ultro citroque per provinciam sibi concreditam, quæ quoad partem Cisalpinam se protendebat usque ad Rubiconem, intra quem ultima Ciuitas erat Cæsena) cum hanc urbem cerneret in clivo-

(24) *Fast. Consul. Anonym. post Noris Et poc. Tyromasid. f. xii.*

clivoso tunc Garampæ colle positam, speciem quamdam curvitatis referre; adjectionem *Curvæ* ipsiusmet urbis nomini copulativè duxerit adhibendam (25). Interdum quoque denominata fuit *Stella*: hocque nomen fortasse deduxit a figura suæ structuræ: quæ licet nunc referat schema Scorpionis, (vel in sensu aliorum Draconis); antiquitus tamen imaginem sideris exhibebat, de suo corpore septem radios emittentis, quot erant suburbia, per totidem vias divaricatas huc, & illuc diducta (26).

(25) *Itinerar. Antonin. apud Sigon. de Regn. Ital. iu fin.*

[26] *Chronol. Manuscr. Cæsen. f. 2. M.*

12 In vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis, hæc ipsamet urbs nominatur *Fluvia Curva Papia* (27): quod advertit etiam Paulus Merula (28). Ita quoque vocatur, ut innuimus, in vita Sancti Severi pariter Antistitis Cæsenę. Quod non bene subsistere contendit Scipio Claramontius: & nomen istud, si unquam illud habuit Cæsena, referri debere ad ætatem Etruscorum, qui provinciam Romandiolæ quandoque tenuerunt sibi subjectam: & a quorum rege Flavio Papio fertur fuisse *Flaviam Curvam Pàpiam* appellatam (29). At forte improbabile quoque non erit, si dicatur, triceps istud nomen ad valde posteriora tempora opportune posse referri (30) nimirum ad tempora Longobardorum, qui dominati sunt per Italiam.

[27] *Surius Vit. Sanctor. tom. 7.*

(28) *Merul. Cosmogr. p. 2. l. 4. c. 33. f. 1235*

(29) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. l. 4. f. 155.*

(30) *Cæsar Brissio Relatio Cæsen. p. 11.*

13 Attendatur namque, quod istud nomen triplex reperitur insertum vitæ S. Severi Cæsenatis, qui floruit sæculo Christi sexto. Et ex antiquioribus Auctoribus, memoratur ab Aguello Ravennate (31) loquente de urbibus provinciæ Romandiolæ, quibus adsignata fuerunt subsidia militaria paranda contra imminentem invasionem bellicam Justiniani Rhinotmeti Grecorum Imperatoris, qui eis præfuit sæculo septimo, regnantibus in Italia Longobardis. Ab his ergo idem nomen fortasse originem habuit. Certum est etenim apud Historicos, quod omnes Reges Longobardicæ gentis, post Flavium Autharim tertium eorum Regem, sibi susceperunt prænomen *Flavii* (32). Regni quoque sui sedem primariam statuerunt apud Papiam, notissimam urbem Insubriæ: quæ du-

(31) *Agnel. Raven. Pontifical. par. 2. in Vit. S. Felic. cap. 3.*

(32) *Paul. Diacon. de Gestib. Longob. lib. 3. cap. 16.*

cen-

centis annis, & ultra, Metropolis extitit dominii per Longobardicam nationem in Italia propagati.

14 Cum autem demum urbem quoque Cæsenæ, tametsi non sine ingenti difficultate occupassent, fortissimam situ, munitam arce validissima, & à strenuis incolis habitatam; simulque valde proximam, atque habilem ad cohibendos Exarchos, qui Ravennæ residebant, locumque tenebant Imperatorum Constantinopoleos: & continuis bellis inferebant vim Longobardis; hi, ut sibi Cæsenam ipsam strictiori fidelitatis vinculo devincirent, illi fortè indiderunt nomen *Flaviæ* à prænomine suorum Regum: *Curvæ* à forma situs, & structuræ sinuosæ, quam referebat: ac demum *Papiæ* à nomine Metropolis Regni Longobardici. Hoc facto, hisque nominibus indicantes, velle se, quod Cæsena esset inposterum antemurale illorum potentiæ contra imminentes Exarchos: & propterea mereretur insigniri prænomine suorum Regum: atque consentaneo nomine cum eorum urbe regia Papia, seu Ticino, Cæsena quoque denominaretur Papia. Quæ tamen verisimilitudinarie dumtaxat prolata sint, relicto loco meliori conjecturæ, si exhibeatur.

15 Interim non est silentio supprimendum, quod in vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis, a D. Petro Damiani conscripta, urbs Cæsenæ non cum unica, sed cum duplici litera N. legitur exaratà, ita, *Cæsenna* (33). Quo modo, & in literis Galasii Papæ II. designantibus, atque confirmantibus Archiepiscopo Ravennæ Præsules illius Ecclesiæ suffraganeos; noster Antistes dicitur Episcopus *Cæsennæ* (34); Sic & in Bulla Innocentii Papę IV. quam refert Joannes Marquez (35) pluries Civitas nostra nominatur *Cæsenna*. Sed & geminato N. ipsamet urbs apud quamplures probatos Auctores notata reperitur (36). In vita quoque S. Petri Chrysologi, ante sermones illius relata per Martinum del Castillo Minoritam, non semel vocitatur eadem forma, *Cæsenna* (37). In Epistola Reipublicæ Florentinæ ad Carolum V. Francorum Regem, *Cæsenna* itidem dicitur (38).

Deni-

(33) *Vide comment. Oper. S. Petr. Damian. & apud Suriū tom. 7.*

(34) *Labbe tom. 10. Concil. in Epist. Gelas. 2. f. 819.*

(35) *Gio. Marquez. origin. de Frati Eremitani pag. 201.*

(36) *Nizol. Thesaur. Ling. Latin. V. Cæsenna, Jacob. Card. Papiensis epist. 632., & 670. S. Antonin. In Chronol. to. 3. pluries.*

(37) *Castil. Vit. S. Petri Chrysol. §. 2. n. 4. §. 5. n. 17.*

(38) *Annal. Mediol. c. 139. apud Murator. Rer. Italicar. to. 16. f. 764.*

Denique in antiquissimo epitaphio inferius referendo, ac inscripto Imperatori Trajano; Incolæ civitatis nostræ appellantur *Cæsennates* (39). Consonatque id, quod supra recensitum fuit, de consimili vocabulo, quo Cesenam fertur sortitam esse nomen à Cæsennio Umbrorum Rege (40).

(39) *Vide infrà c.11.n.2.*

[40] *Vid. supr. cap. 1, num. 7.*

16 Cumque viceversa, nedum totidem, sed & multo numerosiora suppetant vetusta documenta, exhibentia ipsum nomen Cæsenæ, non cum binis, sed cum unica tantum litera N. conceptum, prout & jam a multis sæculis communiter pronunciatur; datur nobis intelligi, quod priscis temporibus, & remotiori ævo, Civitas nostra promiscue vocabatur, tam Cæsena, quam Cæsenna, pro libitu loquentium, atque scribentium. Ita etiam prima syllaba ejus nominis, per antiquas ætates invenitur scripta modo cum E simplici: modo cum ea, diphthongo munita, sic CÆ.: taliter ut in vetustis codicibus, & memoriis utroque modo exarata legentibus occurrat: & promiscue tum longa, tum brevis, ratione adjecti, vel subtracti diphthongi, à Poetis in suis modulationibus metricis fuerit pronunciata.

17 Prodest & hic notare, quod pluries in historiis & antiquis memoriis reperitur, Civitatem nostram olim non Cæsenam, sed appellatam fuisse *Cæsinam*. Ita Procopius quandoque *Sinam*, quandoque illam vocat *Cæsinam* (41). In Codice manuscripto Vaticano item nuncupatur *Cæsina* (42). Sic & in Codice Carolino semel, atque iterum Adrianus Papa I. Carolo Magno scribens, conqueritur, quod Leo Archiepiscopus Ravennas sibi tyrannice submiserit Civitates ad Sedem Apostolicam pertinentes, Faventiam, Forum Populi, Forum Livii, *Cæsinas*, Bobium (43). Denique in Concilio Mazaliensi, habito Parmæ anno 973. subscripsit Dodo Episcopus *Cæsinate*, Suffraganeus Ravennaten. (44). Et Ruodo Episcopus *Cæsinatæ* Ecclesiæ anno 967. subscriptus legitur diplomati Joannis Papæ VIII.. Dudumque antea Concilio Lateranensi convocato per Stephanum PP. III. anno 769. interfuit An-

(41) *Procop. Rer. Gothic. l. 2 & 3*

(42) *Cod. Manusc. Vatican. 173. f. 156.*

[43] *Codex Carolin. epl. 51., & 54.*

[44] *Labbe tom. 9. Concil. fol. 124.*

Antoninus Episcopus *Cæsinæ*, uti unus ex missis Sergii Archiepiscopi Ravennatis (45). Quamobrem, & *Cæsinam* in singulari, & *Cæsinas* in plurali, constat nuncupatam fuisse.

(45) Idem to.9. pl.675.

18 Nec desunt alia quoque documenta nuncupationis Cæsenæ in plurali: ut quemadmodum dicitur Venetiæ Venetiarum, Pisæ Pisarum, Vercellæ Vercellarum, Thebæ Thebarum, Athenæ Athenarum &c. sic & olim diceretur Cæsenæ Cæsenarum. Hinc in Donatione Pipini facta Romanæ Ecclesiæ, legitur, dedisse Papæ Pisaurum, Fanum, *Cæsenas*, Æsium, Forum Pompilii, Forum Livii (46). Romualdus item Salernitanus de Friderico I. Imperatore scribit, quod anno 1177. apud *Cæsenas* morabatur (47). In Chronico Estensi pariter notatur, quod Ludovicus I. Rex Hungariæ Neapolim petens anno 1347. Die 13. Decembris pervenit Forolivium: & alio die recessit de *Cæsenis*, ut iret Ariminum (48). Sic fortè tunc Civitas nominabatur in plurali, quia pars ejusdem superior, dicta *La Murata*, mæniis propriis constipata, & portis clausa, quæ adhuc patent; peculiare Oppidum referebant, distinctum à parte inferiori, quam componebant ipsiusmet Suburbia, muris & ipsa castrensibus circumcincta, & propugnaculis communita. Eo modo, quo etiam *Carthago antea speciem habuit duplicis Oppidi, quasi aliud alterum complecteretur: cuius interior pars* Byrsa *dicebatur, exterior* Megalia (49). Jàm tamen urbs nostra, pluribus abannorum centuriis, communiter nominatur *Cæsena* in singulari, non in plurali.

(46) Anastas. Bibliot. in Stephan. 3.

(47) Romuald. Salern. Chron. ad ann. 1177.

(48) Chronol. Esten. an. 1347 S. Eodem.

(49) Cornel. Nepos Fragment. Chronic. post lib. 16. pagin. 167. edition Rom. an. 1724.

CA-

CAPUT IV.

De *Situ* Civitatis Cæsenæ, ac de aliis rebus ad ipsam pertinentibus.

SUMMARIUM.

1 *CÆsena sita est inter flumina Sapim, & Rubiconem in tractu, quo interierunt Galli Senones, & Boii.*

2 *Cui Signo Cælesti subsit? Quo signata Paralello? Qualis ejus elevatio Poli &c.*

3 *Refert formam Scorpionis, vel Draconis. Plures civitates innuuntur habentes figuras animalium.*

4 *Quinam fuerit situs ejus antiquus? Carmina Dantis Aligerii de Cæsena.*

5 *Descriptio ipsiusmet situs ore Scipionis Claramontii historici Cæsenatis.*

6 *Quædam referuntur ex Codice Verdoniano de eodem situ. Palatium Cardinalis Ægidii Carillæ.*

7 *Cathedralis antiqua erat in* Murata. *Cui & adjacebant ædes Canonicales.*

8 *Ibidem erat etiam Arx vetus, & ingens Turris Populi. Suburbiaque illius erant septem.*

9 *Populo plena est: Sed tamen antiquitus erat adhuc numerosior, quam sit modò.*

10 *Habet Cathedralem, Capitulum, Seminarium, Montem Pietatis, & alia &c.*

11 *Abbatiæ, Conventus, Asceteria Monialium, Hospitalia, Conservatoria &c. quæ ibidem sunt.*

12 *Cætus Decurionalis, Portus Maritimus, Universitas studiorum, Collegia Doctorum.*

13 *Bibliotheca membranacea, Hastiludium Cataphractarum, Nundinæ annuæ &c.*

14 *Clerus copiosus, & 4. ordines incolarum laicalium: adsunt & Opifices omnium artium.*

15 *Ma-*

15 *Magistratus Civitatis describitur, ejusque ornatus, & sequela.*

16 *Territorium Cæsenas producit omnes species victualium, & segetum.*

17 *Carmina Darii Tiberti, & aliorum, de feracitate agri Cæsenatis.*

18 *Innuuntur indoles, & geniales propensiones, ac naturales affectiones Cæsenatum.*

19 *Amænitas, & ubertas agri Cæsenatis. Mecænas delectabatur vino ibidem nato.*

20 *Laudes Cæsenæ breviter indicatæ à Cæsare Brissio in Relatione ad Clementem VIII.*

1 PLinius Cæsenam statuit in octava Regione Italiæ, illo in tractu ejusdem Regionis, ubi perhibet interiisse Gallos Bojos, itidemque Gallos Senones, qui cæperant Romam (1): Ut illam *cognoscamus fuisse Senonum sedem, adeoque Regiam in regione hac, ad occidentem Rubiconi sitam*, inquit Scipio Claramontius (2). Ipsam Strabo ponit locatam inter duo flumina hinc inde, Sapim ad Occasum, & Rubiconem ad Ortum: ait enim: *Sena Isapi fluvio propinqua, & Rubiconi* (3). Ubi proculdubio, *sive Senam legamus &c. sive Cæsenam, ut Casaubonus, conueniunt omnes, de Cæsena nostra esse sermonem* (4). Hecque non modicum sortitur honorem ab hisce duobus sibi adjacentibus fluminibus, quorum unum est alio præclarius. At hic nec tempus, nec locus est, ipsorum fluminum prærogativas ex proposito prosequendi. De illis alibi fusius locuti sumus.

(1) *Plin. Hist. natur. l. 3. c. 15.*

(2) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. l. 4. f. 133.*

(3) *Strabo Geograph. l. 5.*

(4) *Vincent. Cæsen. de Rubicon. antiqu. sect. 1. c. 3.*

2 Polybius Cæsenam sub antiquo nomine *Senæ*, collocat in angulo orientali, claudente basim illius amplissimi Trianguli, quem formant magni Campi Italiæ: cujus basis, inquit, *magnitudo est à Sena urbe usque ad intimum Maris* Adriatici *Sinum*. Et infra: *Sena &c. sita est ubi Campi Italiæ terminantur* (5). Qua de re jam alia occasione superius dictum fuit (6). Eadem urbs cælesti, seu Zodi-

(5) *Polyb. Hist. lib. 2.*

(6) *Vide suprà cap. 2. n. 6.*

Zodiaci ſigno tertio ſubeſt, quod Gemini nuncupatur. Exiſtit inter Tropicum Cancri, & Circulum polarem Arcticum, ſignata tertio decimo Paralello, habetque longiorem diem horarum 15. Et quoad elevationem Poli; *Ptolomæus*, ait Claramontius, *Longitudinem nobis gr.* 34. 40. *tribuit: latitudinis grad.* 43. 40. *At ego Latitudinis grad.* 44. *aſſigno in Antitychonis ſupplemento, & alibi* (7).

3 Cæſena quoad formam ſtructurę, figuram refert Scorpionis, (vel ſecundum alios, Draconis, ut diximus): quod undenam evenerit, non eſt hercle nobis facile divinare. Hoc novimus, quod *Philoſophi inſignes civitates ſecundum præcipuas feras, aves, & animalia, ob ſignificationem aliquam figuraverunt. Unde quia Roma cunctis mundi civitatibus domina fuit, Leonis figuram obtinuit, qui omnium ferarum dominus, & rex exiſtit. Similiter Brunduſium figuram habet Cervi: Carthago Bovis: Mediolanum Puellæ aureatę, cum Gallo albo in manu: Troja Equi: Janua Grifonis: Papia Vulpis: Placentia Galli: Cremona Porcæ* (8). Non ſine aliqua ſignificatione igitur Cęſena exhibebit formam Scorpionis, aut Draconis: At quanam; alii requirant. Si quis ingenioſos mentis conceptus ſuper hac re voluerit excogitare; poterit illos ex Plinio deducere, ubi de Scorpionibus agit (9), & reſpectivè ubi loquitur de Draconibus.

4 Olim corpus ipſiuſmet Civitatis erat, ut fertur, ſitum pro majori parte in clivo collis Garampei, & alterius eidem adjacentis: perſpiciebatque orientalem vallem, quæ nunc dicitur S. Crucis: interſecante utrumque collem via Garampa. Cum autem haberet plura ſuburbia, in planitiem proximam divaricata; illuc paulatim exiguo deſcenſu traducta eſt, velut in commodiorem incolis locum. Et novarum erectione domorum, repletis ſpatiis eorumdem ſuburbiorum, coaluit civitas eo modo, & forma, qua nunc cernitur, mæniis undique circumcincta, & ferè tota in plano poſita, excepta parva illa parte, quæ vergit ad collem. Alluſit his Dantes Aligerius,

(7) *Claramont. Hiſtor. Ceſen. l.4. f.133.*

[8] *Gualvan. Flam. Manip. Florum c.75.*

[9] *Plin. Hiſt. natur. lib. 11. c.25. & alibi.*

rius, dum de Cæsena panxit carmine Italico, quæ sequuntur:

E quella, cui il Savio bagna il fianco:
Così com'ella stà trà il mont'e il piano,
Trà tirannia si vive, e stato franco (10).

(10) *Dante Infern. cant. 27*

5 Porro de situ ipsiusmet Civitatis, ita loquitur ejus Historicus: *Poscit locus, ut de Curvæ appellatione dicatur. Eam indicabit situs. Vallis est, quam Sapis flumen findit &c. Inter has amœnas valles collis assurgit Apennini propago, Garampam vetusto nomine appellamus. In hoc sedebat Civitas, angusta præ populo &c.. Fuit, & est populosa, unde suburbia plura (interdum septem) quasi radii ex orbe stellæ fundebantur, ut stellæ formam redderent. Hinc aliqui Stellam (per metaphoram scilicet) appellavere. Similem nunc figuram Perusia repræsentat, didŭctis vicis suis, universis tamen intra mœnia comprehensis. At id præterea intererat, quod suburbia nostra in planitiem declinabant: illud etiam, quod Pidriolum vulgò dicebatur, non in jugo, sed in latere collis ad Cæsaulam acclini. Omnibus suburbiis eminebat Civitas: inde illa gibbosa structura, quæ Curvæ appellationem tribuit* (11).

(11) *Claram. Histor. Cæsen. l. 4. f. 133.*

6 Legi ego quondam in antiquo Codice manuscripto, quem commodavit mihi Maurus Verdonius, olim præceptor meus Grammaticæ, Rhetoricę, atque Poeticę facultatum: ac deindè Archipresbyter S. Victoris in Valle, solertissimus antiquarum rerum Cæsenatium perscrutator) quod vetustis temporibus Civitas nostra, seu melius corpus præcipuum nostrę Civitatis, erat in eo situ posita, qui nunc dicitur, *la Murata*: (incipitque a loco, ubi exurgit magnum Palatium, à Cardinali Ægidio Carilla Legato Apostolico excitatum, faciem habens ad majorem Plateam, ipsius Civitatis, quod inhabitant Magistratus, & Gubernator ejusdem urbis): hæcque inde pergebat ascendendo usque ad tramitem, qui dicitur idiotice *Beccavento*, & sese diffundebat in declive Orientem versus utroque super laterali dorso amborum illorum Collium, quo-

quorum unus Garampæ vocatur, & alius Arcis veteris, ubi nunc exiſtit Conventus Fratrum Minimitarum.

7 Nec revocabile in dubium eſt, quod ibi erat, eſtque adhuc ſuperſtes antiqua Eccleſia, olim *Cathedralis*, nunc Parochialis S. Jo: Evangeliſtæ: Legiturq; antiquis in ſcripturis Capituli, memorata *Canonica*, ut'i exiſtens *in Murata*: Domus nempe Canonicalis, quam inhabitabant Canonici ejuſdem antiquæ Cathedralis, olim ſimul conviventes (12). Quæ Canonica fortaſſe ibi erat, ubi nunc ſitæ ſunt ædes, ad permanentiam Theſaurarii Civitatis deputatæ. Paulò ſupra in eminentiore loco erat *Arx vetus*, cujus nonnulla munimenta, & præcipuum vallum, adhuc ætate noſtra ſubſiſtunt in præfato Minimitarum Conventu, & ibi propè.

(12) *Vide in Diatribus Cæſenat.*

8 Inter veterem rurſus præfatam Arcem, & aliam, quæ nova dicitur, erat ingens Turris, eaque fortiſſima, nuncupata *Turris Populi*, dudum prorſus everſa, quam etiam memorat Claramontius (13). Unde liquet, corpus Civitatis antiquo tempore in ſupradicto diſtrictu ſitam fuiſſe. Quò verò ad ſuburbia, idem Codex Verdonianus enunciabat, fuiſſe ſeptem, totidem nempè Vicos, vulgò *Borghi* hoc modo. I. Via tunc aſcendens verſus Eccleſiam S. Georgii in Petriolo. II. Via Cæſariana, nunc dicta Eccleſiæ Novæ. III. Via pergens verſus Portam Ravennianam. IV. Via tendens verſus Portam Cervienſem. V. Via directa verſus Eccleſiam S. Severi. VI. Via ducens ad Portam Romanam, dictam Sanctorum. VII. Via, ſivè Vicus S. Laurentii.

(13) *Claram. hiſtor. Cæſen. l. 3. f. 138.*

9 Porrò hæc civitas populo plena eſt, & muris undique circumcincta. Tamen antiquis temporibus valdè numeroſior erat habitatoribus: his pluries imminuta propter varias rerum viciſſitudines, adverſitates, & infortunia (14). Nam hoſtilitas bellorum, & calamitas obſidionum, quas innumeris penè vicibus eſt perpeſſa: Seditioſæ item factiones, quæ multoties vias ejus, & compita civili ſanguine perfuderunt: proditoria inſuper laniena per Britones per-

(14) *Cæſar. Briſſio Relat. di Ceſen. pag. 9.*

F petra-

petrata contra Cæsenates: Epidemica demum lues, quæ repetitis vicibus pervasit civitatem nostram, valde pristinam attenuavit multitudinem incolarum illius (15). Nihilominùs in præsentiarum commorantur in ea ducem hominum millia, independenter sumptorum à populo agresti, ruri domos vel proprias, vel colonicas inhabitanti per territorium laicale, quod pluribus in locis excedit; alibi exceditur à limitibus Diœcesanis.

(15) *Vid. infra cap. 15. n. 12.*

10 Distat Cæsena Mari ab Adriatico decem millibus passuum: à Ravenna viginti: totidem ab Arimino: à Forolivio duodecim: à Sarsina sexdecim: à Cervia decem. Et quoad res Ecclesiasticas; Episcopali fulget honore: habetque Cathedralem Ecclesiam, cum tribus Dignitatibus, Canonicis 16. multisque Beneficiatis, & Capellanis Choralibus. Adest Cathedrali Episcopium, Episcopio Seminarium Clericorum, & à Seminario Clericorum, Mons Pietatis pro indigentibus adjuvandis. Reperitur quoq; ibi Commenda equestris S. Jo: Hierosolymitani: Congregatio item Presbyterorum S. Philippi Nerii. Necnon binæ Prælaturæ, patrimoniales pertinentes ad totidem familias nobiles, quarum genitis placeat aulam Romanam sequi, studiis incumbere, atque gradu Referendarii Apostolici decorari.

11 In ipsamet Civitate sunt Abbatiæ tres Monasteriales. Conventus Regularium 13. Hospitalia infirmorum 2. Peregrinorum 1. Invalidorum 1. Conservatoria Orphanorum, & Infantium expositorum 3. Adde his quamplura loca Pia, & adunantias Christifidelium, subsidiaque dotalia ministranda pauperibus puellis nuptias contracturis. Denique adest ingens numerus Ecclesiarum, tam Parochialium, quàm simplicium: itidemque Confraternitatum laicalium, nedum per urbem, verum etiam huc illuc, per totam Diœcesim, urbisque territorium erectarum.

12 Quo verò ad res civiles, atque profanas, habet Cęsena Cœtum nobilem decurionalem, compositum ex 80. familiis Ordinis Consularis. Nec non Maris Portum, & ejus

ejus Oppidum numerosum, cui nomen *Portus Cæsenaticus*, cum ejusdem regimine temporali, quod exercet per unum ex Consiliariis extractum sorte quolibet semestri. Habet item publicam studiorum Universitatem, cum multis Lectoribus totidem Scientias publicè docentibus. Tria quoque Collegia Doctorum, nempe Theologorum, Juris consultorum, & Medicorum simul, ac Philosophorum, conferentium Lauream Doctoralem in Facultatibus, quas respectivè profitentur. His accedunt binæ Academiæ amæniorum studiorum: prima, & antiquior *Offuscatorum* nominata: & altera recentior, dicta *Reformatorum*.

13 Adest insignis Bibliotheca structuræ antiquæ, prius erectæ, quam Typographiæ usus prodiret. Ampla est, prolixa, & usque ad stuporem præclara, plenaque Codicibus, ex hedina pelle compactis, & eleganti manu exaratis: cujus admodum paucas consimiles tota continet Italia. Sic & annuo Hastiludio lætatur, Cataphractarum gravi armatura tectorum, inter Italica Torneamenta propemodum singularis. Habet quoque Arcem (novam appellatam, ad differentiam antiquæ) sublimem pariter, & fortem, tam situ, quàm vallis, & monitionibus validissimam. Binis itidem affluit Abundantiis, quarum una Frumentaria dicitur, & alia Olearia. Denique totidem gaudet Nundinis generalibus, proficientibus commercio, & mercimoniis incolarum æque, ac advenarum, recurrentibus annuis mensibus Augusti, & Octobris.

14 In eadem civitate, præter Clerum copiosum, sæcularem, & regularem, sunt quatuor species hominum habitantium: videlicet Equestris, Nobilis, & Civici Ordinum, atque Artificum viventium industria manuali. De prioribus cecinit Darius Tibertus: Cæsena,

Nobilis antiquo est Procerum, Comitumque, Equitumque
Stemmate; magnificis resplendet ædibus atq; &c. (16).

Et profectò in eadem adsunt omnium artium liberalium professores, ac mechanicarum opifices. Respectu autem ad res militares, ibi conscriptæ habentur quatuor nume-

(16) *Darius Tiber. carmin. ad Cæsar. Borgiam.*

rosæ Cohortes bellatorum pedestricum, & una Turma equo vectorum, cum suis Ducibus, Vexilliferis, Tribunis, Centurionibus &c..

15 Magistratum civitatis gerunt sex viri providi, & præstantes, quodlibet per bimestre mutati: quorum nomina sorte de sex loculis educuntur: & eorum quatuor primi ex Cœtu equestrium, ac nobilium prodeunt: reliqui verò duo postremi ex ordine civium assumuntur. Omnes talari Lacerna induti procedunt, vulgo *Robbone*, damascena æstate, hieme autem holoserica villosa nigri coloris. Medius inter eos, videlicet post primum, incedit, ac respectivè sedet, Prætor civitatis, toga,& pallio itidem talaribus perornatus. Ipsemet Magistratus residet diurno tempore in Palatio publico: eique deserviunt, ac ambulanti præincedunt 12. famuli, tessera vestiaria, vulgo *Liurea* Civitatis induti, cum duobus Tibicinis, & Clavigero illis digniore, clavam argenteam super dexterum humerum præferente. Subsequuntur vero ipsum Magistratum per plures ministri honestioris, & nobilioris gradus: quos inter Capellanus, Cancellarius, Ratiocinator, Adjutor Scribę,aliique plures ad munia publica exercenda conducti ære Civitatis. Et cum opus est, etiam sua propria Cohors militaris, Numeri nuncupata, se Magistratui exhibet obsequentem.

16 Nunc sermo convertatur ad rem annonariam,segetes, & arvorum fructus. De de territorio sanè Cæsenate fas est verbis cujusdam versificatoris effari:

Omne genus grani, vini, genus omne videres,
Arboris omne genus sponte parare cibum (17).

Ager namque nostræ urbis abundat frumento, vino, oleo, lacte, caseo, butyro, fructibus arborum quorumcumque, ac omnibus victualium, & segetum speciebus: armentis item ovium, bovum, suvium, æquorum: venationibus quoque,ac piscationibus: melle, sale, sulphure: serico, lana, canabo, lino. Denique producit universa,quæ humano usui sunt magis utilia,& opportuna, hæcque optimę qualitatis, & conditionis.

[17] *Chron. Cesaurienss.l.2. apud Rer.Ital. tom. 2. par. 2. fol. 790.*

17 Me-

17 Merentur audiri carmina heroica Darii Tiberti, sic de sua patria concinentis:

Urbs Cæsena ferax Cereris, dulcisque Lyei,
Palladis & fructus, & Ceræ, Mellis, Apumque,
Sulphuris, & Pecorū, Pecudumque, Ovjumque, Salisque.
Exundat pomis, simul apta colonibus herba.
Pascua, & aucupibus, sunt & venatibus ampla:
Et cum fluminibus, perabundat piscibus æquor &c.
Urbs opulenta satis, terraque feracior omni,
Quæ passim largas segetes, vinaque reponit,
Mel, Oleum, Sulphur, Fænum, Sal, denique quidquid,
Humano servit generi, victuque necesse est (18).

Laudavit suavitatem ejus vini Vates ille, qui modulatus est

Dulcia felicem cingunt vineta Cesenam (19).

Et abundantiam Sulphuris, in ejus agro nascentis, ille commendavit, qui Maro macharonicus appellatur (20).

Sulphure non pocum facis ò Cæsena, guadagnum.

18 Sed non est necesse ulterius prosequi ejusdem laudes. Dicamus aliquid breviter de ipsiusmet indigenis, eorumque indole, ac genialibus propensionibus, & naturalibus affectionibus. Hi sunt ingenio ad Scientias universas idonei: præstant corpore, tam ad res bellicas, quam ad gymnica exercitia perapto: urbanitatem colunt: honorificentia delectantur: & de morum suavitate sibi solent admodum complacere. Pietatem quoque fovent: Ecclesias, & functiones sacras frequentant: in primisque sanctissimum Christi Corpus, & beatissimam Dei Matrem summopere venerantur. Inter semetipsos ingenuitatem in verbis, & candorem in operibus profitentur: non minus parati, quam propensi ad officia sibi vicissim præstanda. Quin & advenas quoque libenter complectuntur. Aliis demum virtutibus, tum civilibus, tum moralibus, tum christianis, florent, quas non est facile brevi eloquio recensere.

19 Cum autem apud Ennodium Ticinensem legendum occurrat: Variis locis, & gentibus *quasdam mundi artifex Deus felicitates stupenda secreti sui largitate concessit.*

(18) *Darius Tibert. loc. cit. & in Elog. ad Hieron. Porcar.*

[19] *Apud Agetam de Erario tom. 1. cap. 34. f. 113.*

[20] *Merlin. Cocajus.*

cessit. Aliis uberius, melius aliis vinum jussit effundere. Aliis contulit triticeæ messis esca gratulari. Multas pomorum varietate, vel utilitate donavit (21); Opportune notamus, his omnibus affluere ferax territorium urbis nostræ: de quo etiam historicus Cæsenas, hæc ait: *Est Ager amænitate, & ubertate nulli secundus. Colles ad austrum molles, & fecundos obtinet, nunc vitibus, oleis, ficubus, & aliis fructibus consertos: valliculis intersepiuntur amænis. Desinunt colles, aperiunturque valles in amplam, & frugiferam planitiem &c. In collibus, & inter colles vina præsertim generosa producuntur: quo nomine ab antiquis usque temporibus celebria sunt vina Cesenatia* (22): dicta etiam à Plinio, Mecenatiana (23), quia illis Mecænas delectabatur, & aliter ab aliis laudata (24). Sic breviter de Cæsenæ Territorio Claramontius. Verum adhuc brevius de ipsamet civitate multo majora locutus est, qui poeticè cantitavit:

Quidquid habent Urbes multæ tenet una Cæsena.

20 Claudat præsens caput elucutio, qua Cæsar Brissius de nostra urbe ad Clementem PP. VIII. locutus est. Inquit enim idiomate materno: *Gaudentio Merula nel secondo della Gallia, chiama Cesena* Città chiara, & antica. *Il Volaterrano nel quarto della Geografia, la nomina*, Vetusta. *Giovita Rapiccio in morte di Polisena Attendoli, la nomina* Città dotta. *Aldo Manutio nella sua Ortografia, la nomina* florentissima, e copiosa Città. *Celio Calcagnino nel duodecimo delle sue Epistole a Peregrino Murato, dice*: Nam apud me Cæsena solet multis laudibus commendari: vel quod ad soli fæcunditatem, vel quod ad hominum pertinet mores, & comitatem &c. (25). *Bernardo Rosso Presidente di Romagna sotto Leone X. conosciuta la bontà del paese, e pienezza del popolo, volle aggrandirla, e stese il cinto della muraglia verso Tramontana &c. Fù seguita l'opera parimenti sotto Clemente VII. se bene non mai compita* (26).

(21) *Ennod. Ticinens. l. 1. cap. 6.*

(22) *Scip. Claram histor. Cæsen. l. 1. f. 49.*

(23) *Plin. l. 14. cap. 6.*

[24] *Cæsar. Brissi Relat. d. Cæsen. pagin. 13.*

[25] *Idem Cæsar Brissius p. 36.*

(26) *Ibidem pag. 10.*

CA-

CAPUT V.

De Cæsenæ Civitate, Dominantibus eidem, post Gallos Senones, *Gallis Boiis*.

SUMMARIUM:

1 *GAlli Senones terrori semper fuerunt Romanis, modò victores, modò victi.*

2 *Manlius Torquati, Valerius Corvini agnomen adepti. Occasione belli Socialis Senones vicerunt Romanos.*

3 *Quosnam Senones, & qua occasione Consul Dolabella fuderit ad Lacum Vadimontis?*

4 *Romani victi, eorumque Legati à Senonibus interempti, occasione obsidionis Aretinæ.*

5 *Prælium ad Sapim flumen, quo Senones fuerunt à Romanis profligati, & excisi.*

6 *Verbis Polybii recensetur hæc pugna, cum cæteris eventibus consecutivis ejusdem.*

7 *Post Senones exactos, Cæsenam occupaverunt Romani: deinde ad* Gallos Bojos *transivit.*

8 *Quinam, & quales fuerint hi Galli Boii? & extensio eorum ad usque fluvium Rubiconem.*

9 *Recensentur ex Pitisco civitates, & loca, quibus ipsi dominabantur.*

10 *Eorumdem gens divisa erat in* 120. *Tribus. Hæ quid essent, & cur sic divisæ?*

11 *Pluries adversus Romanos arma tractarunt. Contra quos & Hannibali se junxerunt.*

12 *Insubres item sollicitarunt ob Colonias Romanas deductas in agro Gallico &c.*

13 *Romanos ad Trebiam, ad Trasimenum, ad* Cannas *vicit Hannibal, sed nescivit uti victoria.*

14 *Post*

14 *Post 2. bellum Punicum, Galli Boii à pluribus Ducibus Romanis victi, horum tandem potentiæ cesserunt.*

15 *Cæsena erat Gallorum Bojorum antemurale contra Romanos eisdem finitimos.*

16 *A' Senonum ad Romanorum ditionem: ab his ad Bojos: & ab istis iterum ad Romanos transivit.*

17 *Gallia Togata quare sic dicta? & quænam fuerit ejus extensio?*

18 *Comitatus Bobii, continens Sarsinam, & vicina loca; nomen habet ab antiquis Gallis Boiis.*

1 SEnonum Gallorum gens egregia facta, belli, & pacis tempore, per diuturnam annorum seriem exercuit. Nam *Romam quondam, præter Capitolium, captam incenderunt: atque terroris semper ubi moverunt (moverunt autem sæpissimè) Populo Romano tantum intulerunt; ut in lege de vacatione militiæ, quæ Senibus, & Sacerdotibus permittebatur, illud adscriberetur, nisi tumultus Gallicus exsitaretur* (1). Qua de re Appianus (2), Plutarchus (3), & alii: Hacque cum Gente quando militaliter agendum erat, *Bellum Senonicum Gallicum dicebatur*, inquit Paulus Merula (4); Anno V. C. 363. ad Alliam flumen dira clade fudere Romanos: mox tamen & ipsi gravi prælio à Camillo Dictatore debellati (5). Successivè anno V. C. 386. exercitum usque ad agrum Albanum, ut Romanis vim inferrent, audacter duxerunt: Cum jam anno V.C. 382. propè almam Urbem Via Salaria castra posuissent: hincque à Tito Quinctio Capitolino, & ab ipsomet Camillo, non sine magna internecione depulsi fuissent (6).

2 Quo perspexit Jornandes, dum ait verbis propemodum propriis Lucii Flori (7), Senones *semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter spolia detraxit, unde & Torquatus est dictus. Item in Pomptino agro, quum simili pugna Valerius, insidente galeæ sacro alite adjutus retulit spolia, dictus-*

(1) *Sigon. de Antiqu. Jur. Ital. lib. 1. capit. 16.*
(2) *Appian. Alex. lib. 11.*
(3) *Plutarch. in Camill.*
(4) *Paul Merul. Cosmogr. part. 2. lib. 3. cap. 23.*
(5) *Petav. Ration. Tempor. part. 1. lib. 3. cap. 12.*
(6) *Sigonius loc. cit.*
(7) *Lucius Florius histor. l. 1. cap. 13. ad fin.*

dictusque est ipse Corvinus (8). In Consulatu deinde Cornelii Dolabellæ, & Cn. Domitii Calvini, (qui notatur in Fastis Consularibus, anno V. C. 470.) acciderunt relata per Auctorem Miscellæ his verbis. *Lucani, Brutii, Samnites quoque cum Hetruscis, &* Senonibus Gallis, *facta societate, cum redivivum contra Romanos bellum moliretur, Romani ad exorandos Gallos misere Legatos: quos cum Galli interfecissent, Cæcilius Prætor ob ulciscendam Legatorum necem, & comprimendum tumultum hostium, cum exercitu missus, ab Hetruscis, Gallisque oppressus interiit &c. Tredecim millia militum Romanorum illo bello prostrata sunt* (9). Mortem prædicti Lucii Cæcili memorat etiam epitome Titi Livii sequentibus verbis: *Cum Legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ob id cæsus est*: in cujus locum suffectus est Marcus Curius (10).

3 Citò subinde Romani receptam cladem ulti sunt, opera ejusdem Consulis Dolabellæ (11): qui atroci prælio, ut inquit Lucius Florus, *omnes reliquias Senonum ad lacum Vadimonis delevit, ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romam gloriaretur* (12). Idipsumque totidem verbis refert Jornandes (13). At uterque intelligendus est de Senonibus illis, qui contra Romanos ad militiam socialiter exercendam, cum præfatis Brutiis, Samnitibus, & Etruscis, profecti erant, in orientali Etruria, ubi est Lacus Vadimonis, dictus nunc *Lago di Bassanello*, 4. mille passibus ab urbe Hortana, & 3. à Romano Tiberi distans (14). Nam reliqui Senones, qui domi remanserant in eorum regione Italica, dissipati non fuerunt enunciato prælio Dolabellæ, sed novennio post, ea quæ sequitur occasione.

4 Ulturi Senones quamdam injuriam ab Aretinis acceptam, exercitum contra illos duxerunt, & Aretium obsederunt. Missoq; à Romanis Lucio Cornelio Lentulo (qui cum Marco Curio Dentato Consul fuit anno V.C.478.) ut bellica virtute obsessam liberaret Civitatem; Senones hac

G dimis-

(8) *Jornand de Regnor. succ.*

(9) *Histor. Miscel. lib. 2.*

(10) *Titus Livius lib. 12. & Sigonius in Scholio ibidem*

[11] *Petav. Ration. Temp. par. 1. lib. 3. cap. 7. S. Decem.*

[12] *Lucius Florus lib. 1. cap. 13.*

(13) *Jornandes loc. cit.*

(14) *Ferrarius, & Baudrand. Lexic. Geograph. V. Vadimonis Lacus.*

dimissa, venienti Lentulo militariter occurrerunt, initoque prælio fuderunt, & Quirites, ac ipsum Consulem occiderunt. Quo facto ipsimet *Senones magna parta præda cum plurimis captivis in patriam remearunt, Senamque magno cum triumpho ingressi sunt* (15). Et quidem tam vehementèr ira concitati adversus victos, ut horum etiam Legatos, successivè missos pro redimendis captivis, fœdissime trucidaverint. Quamobrem anno sequenti V.C. 479. M. Curio Dentato III., & Sex. Cornelio Merenda Coss. Romæ deliberatum est Senonum exterminium.

(15) *Scip. Clarem. Hist. Cæsen. lib. 2. fol. 91.*

5 Ipso igitur Curio Consule, ac belli duce, per Aretinum iter, exercitus Romanus arma movit contra Senones, viam calcans, *quam Sapis Cæsenæ flumen cursu suo findit &c.? Senones Romanorum cognito adventu, maxima si unquam ira incensi &c. prope fines suos Romanis occurrunt &c.. Concurrerunt ergo ad primum occursum exercitus, pari animorum forsan ardore; at disciplina longe dispari, & fortuna. Intra montium angustias obstricta Senonum multitudo, postquam longa, & djutina pugna iræ furor elanguit, Romanæ disciplinæ, & fortunæ cessit, non fugiens, aut cedens: sed ubi constiterat, ibi mortem oppetiens, ut celebris imperii finem pulchra saltem morte honestaret. Quanta fuerit clades, ex successu elucet. Statim enim, & urbem Senam, & cæteram regionem Romani cœperunt, quasi omnibus Senonum viribus excisis* (16).

[16] *Idem Claramon. loc. cit. fol. 92. & 93.*

6 Hoc fuit fatale prælium subversivum potentiæ Gallorum Senonum: de quo etiam Polybius loquitur post indicatam pugnam Aretinam: *Marcus Curius Consul statim Legatos in Galliam* (idest (17) Senonicam) *ad redimendos captivos mittit: qui cum eo pervenissent; violato jure gentium à Gallis interficiuntur. Quo scelere indignati acriter Romani, novo delectu habito, penetrare in Galliam aggrediuntur. Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt. Hos collatis signis è vestigio aggressi superant, magnam partem interficiunt: si qui superfuerant, sedibus fugant, regione potiuntur: novam ipsi in urbem*

[17] Brasth. *de vero Rubic. cap. 29. n. 15.*

Coloniam inducunt: eam veteri nomine, quod primum à Gallis habitata fuerat, Senam appellant. Est autem ea urbs &c. in littore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ terminantur (18). Sunt qui erroneè confundunt cladem hanc Senonicam, peractam ad Sapim flumen, anno VC.479 M. Curio Consule; cum alia, quæ ad Lacum Vadimonis evenit, anno V. C. 470. Consule Dolabella.

(18) *Polyb. Hist. lib. 2.*

7 Quoniam vero Senones medii erant inter Romanos ad Æsim flumen, & *Gallos Bojos* ad Vitim; utraque harum gentium hinc inde conlimitanearum Senonicæ, de victæ nationis exterminio proficere curavit, & proprios fines armorum vi protelare. Nec dudum post evenit, ut Galli Boii, Sena, nunc Cæsena, occupata, voti sui compotes facti sint, extensa ditione sua usque ad fluvium Rubiconem. Undè Cluverius: *Ab Ortu terminus primum fuit inter Bojos, & Senones, Utens fluvius, teste Livio lib.5. Ac postquam Senones à Romanis debellati fuere, terminum tunc Romani inter se, atque Bojos, sive inter Italiæ nomen, & Galliam Cisalpinam constituerunt Rubiconem*(19). Cæsena igitur post Senones exactos in Romanorum potestatem illicò pertransivit. Verum his deindè fuit subtracta per Gallos Bojos.

(19) *Cluverius Ital. Antiqu. fol.273.*

8 Quinam autem, & quales fuerint hi Galli Boii; audi breviter ex origine. Fuerunt populi Galliæ Lugdunensis, & pars illorum, quos in Italiam diximus irrupisse: atque illam, debellatis Etruscis, suo dominio subjugasse (20). Ea ex regione Galliæ prodierunt, quæ tractum Borboniensem componit (21). Hi suorum connationalium tam conatum, quàm fortunam secuti, locum Italiæ, in quo lares figerent conquirentes, inter Trebiam, & Padum primo tempore considerunt: deinde amplo illo flumine ratibus prætergresso, sesè usque ad Vitim fluvium diffuderunt. Demumque fines dilatarunt pervenientes ad Rubiconem (22). De quo Ptolemæus: *Bojorum Gallorum, Rubiconis amnis ostium: Ravenna Padi fluminis ostium* (23).

(20) *Vide supr. capit. 1. num. 15.*

(21) *Plin. l.4. cap. 18. Calep. V. Boii.*

(22) *Sigon. dè Antiq. Jur. Ital. lib.11. c. 24.*

(23) *Ptolemæus Geograph. in Gallia Togat.*

9 Hos Gallos Bojos memorat Silius Italicus, metricè de illis accinens:

Unde

Unde Bojorum sociata examina densant
Infandi Senones (24):

[24] *Silius Italicus lib.4.*

Quàm vero prolixo terrarum spatio protenderetur eorum ditio, disce ex Samuele Pitisco compendiarie loquente. *Boii ab ortu solis Senonibus, teste Polybio, ab occasu Liguribus Cispadanis ad Trebiam amnem adhæserunt: à meridie quidem Apennino, à Septentrione Pado inclusi. Quod cum ita sit, profectò apparet, oppida eorum fuisse ultra Rubiconem ad mare, Ravennam intùs, Cæsenam, Faventiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros campos, Nuceriam, Tanetum, Parmam, Brixellum, Fidentiam, & Placentiam. Variis bellis à Romanis victi, & domiti, post Romana pace contenti in perpetuum quieverunt. Strabo auctor est, Bojos ex finibus suis in loca Danubio vicina translatos, radicitus esse sublatos* (25). Quod & totidem penè verbis refert Sigonius (26).

(25) *Samuel. Pitisc. V. Boii.*
(26) *Carol. Sigon. loc. mox cit.*

10 Intrapræfatum, & equidem peramplum terræ tractum, à Rubicone usque ad Trebiam per diversa tempora dilatatum, Gallo Boica hæc natio consistens, in centum, & duodecim Tribus divisa fuit, uti ex Catone recitat Plinius (27): quas fuisse totidem regiones minores, brevesve provincias, vel dimensiones locorum, sivè territoria disparata censemus: ita in partes fortasse divisa, ut commodius regimini tum politico, tum bellico responderent: ac unaquaque proprio Rectori obtemperante citra confusiones discrimen; omnes facilius & pacis tempore quiescere; & invalescente hostili motu, non minus ordinatè, quàm promptè possent insurgere: brevique tempore, vel in unum exercitum coalescerent, vel in plures partes arma tractarent: atque ad nutum supremi ducis, adversarios nedum irruentes citò reprimere valerent; sed & minantes possent protinùs invasione bellica prævenire.

[27] *Plin. Histor natat. l. 3. cap. 15.*

11 Pluries profectò armis acceptis contra Romanos sese militaribus actionibus implicarunt, modò victores, & modò victi. Annoque V. C. 472. *Boii à Romanis funditus deleti, pacem, ac fœdus impetrarunt, anno tertio antequam*

quam Pyrrhus in Italiam veniret (28). Non diu tamen post in perniciem victorum cum Hannibale Africano conspirare nullatenus formidaverunt, bello secundo Punico instante, quod excitatum est anno mundi 3836. V.C.535.(29). Ipsius enim Hannibalis adventum per alpes jam imminere sentientes, *Boii, Legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio Prætore magna clade affecto, sollicitatis Insubribus, ad Pœnum defecerunt &c. Qui non minori odio ad Romanos, quam Pœni ardebant* (30).

(28) *Petav. Ration. temp. par. 1. lib. 3. c. 17. §. Decem.*

(29) *Busieres Flosc. Hist. p. 1. c. 8. fol. 133.*

(30) *Plutarch. in Hannibal.*

12 Causam ejusmet odii Livius hisce verbis expressit: *Perinde ac si alpes transisset* Hannibal, *Boii sollicitatis Insubribus, defecerunt: nec tam ob veteres in populum Romanum iras, quam quod nuper circa Padum Placentiam, Cremonamque Colonias, in agrum Gallicum deductas, ægrè patiebantur. Itaque armis repentè arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantum terroris, ac tumultus fecerunt, ut non agrestis modò multitudo, sed ipsi Triumviri, qui ad agrum venerant assignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint. Id quoq; dubium est, an Legati ad Bojos, ad expostulandum missi, violati sint; an in Triumviros, agros metentes, impetus sit factus* (31).

(31) *Titus Livius dec. 3. l. 1.*

13 Tria prælia celeberrima, quæ Hannibal vicit, primum ad Trebiam contra Sempronium, anno V. C. 536.: secundum ad Trasimenum anno sequenti contra Flaminium: tertium ad Cannas adversus Æmilium Consulem anno V. C. 538. (32) res Romanas penè prostrarunt, & ad ferè discrimen ultimum redegerunt: adeòque Gallorum Bojorum quoque spem erexerunt, ne Quiritibus deservirent. Sed quoniam Afer deliciis Capuanis distentus, nescivit uti victoria propero accessu ad Romam territam opprimendam; Fabius Maximus cunctatione, ac Marcellus audacia: *alter cessando, alter agendo, contrariis artibus Rempublicam perditam excitarunt* (33). Et sicut ex tunc Hannibali omnia improsperè cesserunt usque ad egressum è limitibus Italiæ; sic & Gallis quoque Boiis illius auxiliariis, spes præconceptæ iuerunt in præceps.

(32) *Petav. Ration. temp. par. 1. lib. 4. cap. 2. f. 137.*

(33) *Busier. Flosc. Histor. par. 1. cap. 8. §. Sed ab. fol. 134*

14 Nam

14 Nam directe quidem *bellum Gallicum, ardente Punico bello in Italia, omissum, & in annum Urbis 554. dilatum est* (34). Sed hoc, & sequentibus quinque decurrentibus annis, Boii primo per Cajum Oppium, deinde per L. Furium Purpuronem, post modum per Cornelium Cethegum: successivè per L. Valerium Flaccum: deinde per L. Cornelium Merulam, denique per alios Romanos duces variis præliis afflicti, ac viribus vacuati; tandem fortunæ Romanorum cedere vel inviti compulsi sunt. Etenim anno V. C. 559. *P. Cornelius Scipio Nasica, summo cum Boiis prælio congressus, eos ad deditionem compulit: ac primò obsidibus ab eorum gente acceptis, agri parte ferè dimidia multavit: quo si vellet populus Romanus Colonias mittere posset* (35).

(34) *Carol. Sigon. de Antiq. Jur. Ital. l. 1. c. 24. f. 526. 5.*

[35] *Idem Sigonius loc. cit. f. 526. 25.*

15 In his autem rerum anfractibus, quis dubitet civitatem Cæsenę, Rubiconi fluvio adhærentem, adeoque Romanorum finibus proximiorem, expositam fuisse primis, & potissimis eorum insultibus, atque hostilibus irruptionibus, necnon sesè Bojorum antemurale Quiritibus exhibuisse: ut horum & impetum sustineret, & vim frangeret, & insidias propulsaret, per annos circitèr nonaginta, quot ab excidio Senonum usque ad hæc tempora intercurrerunt? Cumque nullibi legatur, quod sciamus, illam à Romanis fuisse viribus militaribus expugnatam, & subtractam Gallis Boiis; indicio est, in Quiritum potestatem minimè transivisse, nisi occasione mox memoratæ deditionis. Nec minus est mirum, quod tantis, & tantorum hostium conatibus, incursionibus, atque obsidionibus, constans in fide dominantis sibi Gallo Boicæ nationis, nedum diù resistere, sed & quandoque potuerit prævalere.

16 Ità urbs nostra, quam dudum antea Gallis Senonibus potentia subtraxerat Romanorum, deinde sibi obsequentem tenuerunt, rexeruntque Galli Boii; hujusmodi postremis tandem armorum vi profligatis, & oppressis, in potestatem venit, seù redivit Senatus Populique Romani: & exinde *quidquid Gallorum ab Alpibus ad Rubiconem fuit*,

fuit, id totum in cispadanam, & transpadanam regionem est divisum (36). Ad huncque tractum cispadanum, titulus *Galliæ Togatæ* fuit extensus.

17 Ait namque Sigonius: *Hoc nomen ea regio primum tulit, quam Senones tenuerant. Nimirum enim eam Galliam primum* Romani *Togatę nomine ornarunt, quæ primum imperio populi Romani paruit, ac cives, moresque Romanos cum usu togæ Romanæ prima accepit. Inde autem Boiis, qui finitimi fuerant Senonibus, exturbatis, hoc nomen esse communicatum puto, postquam ad hos etiam victus, cultusque Romanus est translatus: Siquidem Ptolemæus Galliam Togatam à Placentia Ravennam perducit* (37). Imò & usque ad Rubiconem eadem perduci debuit: quippe qui fluvius sicut fuerat finis regionis Gallo Boicæ: sic & postmodum extitit limes ipsiusmet Galliæ cispadanæ: adeoque & Cæsena fuit intra terminos Togatæ comprehensa.

18 Superest adhuc nostra ætate parva regio, territorio Cæsenati contermina versus Austrum, quæ *Bobium* communiter appellatur: & Comitatum Bobii constituit, complexivum Sarsinæ, ac circumpositorum illi castrorum, montium, vallium, & locorum: à Borelli fluvio, qui in Sapim influit, usque ad Apennini supercilium extensa, & in duas partes ab ipsomet Sapi flumine intersecata. Eam suum nomen esse sortitam ab antiquis Boiis asserit Paulus Merula, inquiens: *eum regionis tractum, una cum civitate* (Sarsinæ) *nunc vulgo Bobium vocant, tamquam Bojum, seu Bojorum agrum* (38). Idipsum contestantur Flavius Blondus (39), & Leander Albertus (40): proùt fusius recensuimus alibi, agentes de Ecclesia Sarsinatensi (41). Et forte regio hęc est una ex illis 120. Tribubus, in quas Plinius affirmat, ditionem Gallorum Bojorum tempore, quo floruerunt, extitisse divisam (42).

(36) *Carol. Bigon. d. lib. 1. c. 1. cap. 14. f. 16. lib. 149.*

[37] *Idem ubi sup. f. 367. 2.*

(38) *Merul. Cosmogr. p. 2. lib. 2. capit. 33. f. 1237.*

(39) *Blondus Hist. dec. 2. l. 1. f. 152.*

(40) *Leand. Albert. Ital. in Romandiol.*

(41) *Brasc. de Eccles. Sarsin. c. 12. num. 6.*

(42) *Plin. lib. 3. cap. 15.*

C A-

CAPUT VI.

De ipsamet Civitate Cæsenæ sub *Romanis*, constante illorum Republica.

SUMMARIUM.

1 *Romæ laudes. Hujus ditio parvis ex initiis in vastum erexit Imperium.*

2 *Omnes gentes ejus potentiæ, ac fortunæ cesserunt. Cæsena quoque Romanis paruit.*

3 *Apud eos in honore fuit. Decima legio ibi morabatur. Legiones, Cohortes, Manipulos, quot milites componerent.*

4 *Legiones Romanæ militiæ quam denominationem haberent? Modò plures, modò pauciores fuerunt.*

5 *Decima Legio an fuerit eadem, vel diversa ab aliis ejusdem numeri, alibi permanentibus.*

6 *Cæteris erat præclarior Decima Legio: & de ea Cæsar multum confidebat.*

7 *Cur eadem Legio moram obtineret apud Cæsenam? Hæc urbs multa infortunia passa est.*

8 *Proderat ibi consistere Decimam Legionem, ut motus bellicos cohiberet.*

9 *Quandoque nedum præfata, verum etiam alia Legio stationem hic habuit.*

10 *Nempe Legio Decimanona, memorata in antiqua lapidaria Inscriptione.*

11 *Interdum quoque Proconsul resedit apud Cæsenam? Quænam essent insignia Proconsulis?*

12 *Calumnia contra Cæsenam, ex Epistola Ciceroniana, loquente de Hirtio, & Pansa Consulibus.*

13 *Verbum pro verbo ibidem irrepsit: & Aldo Manutio judice*, locus sine dubio corruptus est.

14 *Claramontius interpretatur scomma illud refluere in laudem Cæsenæ.*

15 Con-

15 *Constantinus Dragases, & David Comnenus spoliati Imperio à Mahomete II. Turcarum Sultano.*
16 *Iterum Aldus Manutius contra Petrum Victorium, & Turnebum probat, locum Ciceronis esse vitiatum.*
17 *Novem exemplaria Ciceroniana, ab Aldo adhibita, non concordabant de verbo Cæsenæ.*
18 *Paulus Æmilius, Marcus Marcellus, Fabius Maximus fuerunt Cæsenæ: ac qua occasione?*
19 *Livius Salinator, & Claudius Nero Consules occurrerunt Asdrubali apud Cæsenam.*
20 *Ubi erat incundum celebre illud prælium, quod profligavit Carthaginenses ad Metaurum.*
21 *Cæsena dedit Reipublicæ Romanæ familiam Cæsenniam, Equestrem, & Consularem.*
22 *Innuuntur nonnulli clariores ex ipsamet familia.*

1 ALma Roma universarum Gentium, & Regionum dominatrix, & regina, Mundi caput, Orbisque terrarum quodammodò miraculum, & compendium: Illa,

Quæ nihil in terris complectitur altiùs æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conferit astris &c.
Nunquam succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere; post Cannas major, Trebiamque fremebat (1)

Illa, inquam, felix paritèr, & fortunata urbs, tantumdemque celebris, & inclyta, omnium Nationum supremo regimini moderando cælitus deputata; parvis ex initiis, in vastissimum crevit Imperium; cunctis per universum orbem subjugatis sibi regnis,

Quà mare, quà terræ, quà sidus currit utrumque (2).

2 Post multiplices porrò pugnas hùc illuc peractas: post Gallos, primò Senones, deinde Bojos totaliter profligatos: post victos, fugatosque Pænos: post alios denique populos fusos, & expugnatos; illicò potentiæ suæ fines per

(1) Claudianus.
(2) Petronius Arbitr. Satyric. cap. 79.

 totam

totam Italiam, aliasque orbis regiones firmissimè dilatavit, cuncta suo subdens imperio: cujus tam viribus, quam fortunæ, cum jam nulla gens resistere posset, nullus populus valeret obniti; Civitates quoque cunctæ, sive sponte, sive invite, cedere adactæ sunt. Ac munitiones quoque, oppida, populorum cætus, & castra, non minus victrici victas dedere manus, quam caput humillime subdiderunt. Igitur tunc etiam urbs Cæsenæ prævalenti victorum potentiæ, ac fortunæ succumbens, in ditionem transivit Senatus, Populique Romani, adhuc Reipublicæ more viventis, antequam alma Urbs pristinâ libertate per Julium Cæsarem nudaretur (3).

3 Eximio autem in honore apud ipsos Romanos habitam fuisse Cæsenam, antiqua nostra monumenta declarant (4). Ac signanter ex eo, quod apud ipsam, locaque illi circumposita, creberrimè suum haberet incolatum *Decima Legio* Romani exercitus (5). Quæ tunc quot milites contineret, non est facile definire quippè *sæpe sæpius in describendis Legionibus variatum fuit: ut modò quatuor millium peditum, equitum vero trecentorum Legiones fierent: modò quinque millia peditum, equites trecenti in singulas essent Legiones* (6). Regulariter tamen unaquæque illarum ex decem Cohortibus, & Cohortes ex tribus Manipulis coalescebant (7). Itidemque Legiones, ut in pluribus, continebant Centurias, & Centuriones 60. Manipulosque ac Decuriones 30. (8). Veruntamen & quandoque diminutæ, ac è converso interdum auctæ fuerunt, prout rerum, ac temporum contingentiæ deposcebant (9).

4 Ipsæ Romani exercitus Legiones denominari solebant à numero gradato Primæ, Secundæ, Tertiæ, ac sic de reliquis ordinatim: præter paucas, quæ peculiare nomen habebant, Martiæ (10) Alaudæ (11) ac similium. Ast re vera quot essent numero, adhuc latet: cum plures, & pauciores pro temporum varietate per Historicos numerentur (12). Et ex Lapidariis Inscriptionibus ita erudite refert Fabrettus: *Numerus Legionum apud Gruterum trigesi-*

(3) *Scip. Claramont. Hist. Cæsen. lib. 3. f. 94. &c.*
(4) *Chronic. Manuscr. Cæsen. f. 8. in fin.*
(5) *Idem Chronic. loc. cit. & fol. 4.*
(6) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 1. capit. 5. fol. 16.*
[7] *Justus Lipsius de Milit. Roman. lib. 2. Dialog. 4. f. 59.*
(8) *Idem Dialog. 6. f. 63. & lib. 5. Dial. 10. f. 284.*
(9) *Ipsemet Lipsius ibi lib. 2. Dial. 5. f. 61.*
[10] *Appian. Bell. Civ. lib. 3. & 4. Valer. Max. lib. 3. capit. 2.*
[11] *Sueton. in Cæsen. capit. 24. Plinius lib. 11. cap. 37. Cicer. ad Attic. lib. 16. epist. 5.*
(12) *Vid. Alex. ab Alex. loco cit. & ibi Tiraquel.*

gesimam quartam, non excedit: quin & adeo incertus fuit, ut Dio l.4. dubitaverit, an sub Augusto 23. vel 25. alerentur. Appianus bell. civil. lib. 5. tempore fœderis Mutinensis ad 43. ascendisse, sed post Philippensem victoriam ad 28. redactas narrat &c. Inscriptio quæ de 40. meminit sub Augusto Cæsare viguisse dicenda est, antequam scilicet is numerum antiquum immutaret (13).

5 Utcumque sit de numero Legionum Romanæ militiæ, hoc unum est, quod apud Cæsenam in ejusque circuitu stationem habere solebat *Decima Legio* (14). Quæ an esset illa, & eadem Legio decima, quandoque permanens in Pannonia ulteriore; aut alia ejusdem numeri, quæ sub alio tempore detinebatur in Judæa, vel ab illis diversa (15), non est facile inconcussam certitudinem exhibere; cum potuerint esse plures, ad diversos exercitus pertinentes, eodem titulo Legionis decimæ denotatæ, in disparatis locis solitæ permanere. Ac è converso potuerit esset una dumtaxat, nomine numerali sic dicta, & huc illuc successivis temporibus, per diversas orbis regiones traducta, prout ingruentium bellorum & finium tuendorum, aut amplian-dorum ratio requirebat.

6 Hoc narrandum occurrit, quod Legionem Decimam Cæsar maximo habuit in prætio, & honore (16): utpote clarissimam inter socias, ac tantæ strenuitatis, & fidei, ut idem Imperator, se illi posse personam, & fortunam suam committere, judicaret, etiam reliquis deficientibus: inquirebat enim: *quod si prætereà nemo sequatur; tamen se cum sola decima Legione iturum: de qua non dubitaret sibique eam prætoriam cohortem futuram* (17). Igitur Cæsenæ, ac in ejus circuitu, permanentiam obtinebat potissima Romanorum Legionum, præclarior cæteris, fortior universis: quæ aliis erat magis fidelis, magis pugnax, magis illustris: & de qua Romani principatus rector poterat sibi confidenter omnia promittere.

7 Cur autem Quirites Decimæ Legioni stationem assignaverint apud Cæsenam? En ratio. Civitas hæc tunc longe

H 2 nume-

(13) *Fabret. Inscript. antiq. cap. 9. in notis f. 662.*

(14) *Vide infra c. 11. n. 9.*

(15) *Lipsius in Anacl. ad Militiam Roman. ad lib. 2. Dialog. 5. fol. 376. in fin.*

[16] *Appian. Alex. de Bello civil. lib. 2.*

(17) *Cæsar. Bell. Gallic. l. 1. 171.*

numerosior erat populo, quam sit modò. (Nam, ut alibi diximus, propter pluries passa infortunia pestilentiæ, bellorum, & cladium: simulque funestissimum Britanorum excidium, vulgò *il Sacco de Bretoni*; multimodè per diversa sæcula fuit incolis diminuta). Eadem quoque victualibus erat, & est adhuc usque ad exuberantiam abundans: in situ itidem erat fortissimo constituta, & mœniis, turribus, arce, vallis, ac propugnaculis firmissimis communita, ita ut & obsidiones diù sustinere, & milites multos alere, & aggredi bellica facinora, & jugum denique sibi Dominantium apta esset excutere.

8 Cives insuper continebat, nedum promptos ad arma, sed & nec facilè oblitos pristinę dignitatis, & primatus, quo ipsamet urbs, non dudum antea, prædita fuerat, sedis regiæ, ac metropolis Gallorum Senonum: quorum ut adhuc recens erat apud eos memoria, sic & passa depressio displicebat. His ergo causis una simul concurrentibus, Cæsena prudentibus, providisque Romanis rationabiliter poterat esse suspecta: nè vel ipsa contra novos dominos consilia seditiosa foveret; vel motus bellicos, siqui per alias civitates, Regno Senonico non diu ante detractas, excitarentur, conjunctis viribus roboraret. Quare juxta regulas opportunas politici regiminis, proderat, ut in ipsamet urbę, ac per circuitum ejus, talis, ac tanta militum Romanorum permanenter copia sisteretur, quæ repentinas insurrectiones hostiles, & præcaveret possibiles, & emergentes protinus cohiberet.

9 Sed, & Chronicon manuscriptum Cęsenę refert quod anno, quo Consulatum gessit Sempronius cum Scipione Nasica, statio apud ipsam Civitatem, ac in circuitu ejus, data est per quoddam tempus duabus Legionibus Romanæ militiæ (18): quas memorat Livius, ipsiusmet Sempronii regimini fuisse commissas (19). Forte quia tunc alicujus gravis tumultus periculum imminebat: vel opus erat Cæsenates, finitimosque populos in obedientia continere: aut ne novitates emergerent præcavere, quæ pacem Reipubli-

[18] *Chron. manusc. Cęsen. f. 10.*

(19) *Titus Livius Histor. lib. 8. dec. 3.*

publicæ perturbarent. Sivè deniquè quia opportunitas loci, temporis, & eventuum tunc occurrentium, aut alia urgens ratio postulabat, binas illas legiones ibidem publicæ tuitionis gratia collocari.

10 Si quæras autem, quænam fuerit hæc nova Legio Romani exercitus tunc superadjecta Decimæ (solitæ morari apud Cæsenam); dicimus nil certi statui posse. Attamen ducto ratiocinio à non improbabili conjectura, locum esse affirmamus judicio, quod fuerit Legio decima nona. Subsistit namque adhuc Cæsenæ, in domo D. Comitis Vincentii Masini, sequens marmor antiquum, nominans ipsam Legionem decimam nonam, hoc modo

L· ARTORIVS C. F. MIL.
VETERAN. LEG. XIX.
ARTORIA L. L. CLEOPATR.
L. ARTORIVS L. L. ILCINVS

Idest, Lucius Artorius Caii filius miles veteranus Legionis decime nonæ. Artoria Cleopatra Lucii liberta. Lucius Artorius Ilcinus Lucii libertus.

11 Narrat & idem Chronicon, quod in civitate Cæsenæ per longum annorum cursum resedit *Proconsul*, qui regionem circumjacentem, Reipublicæ Romanæ nomine gubernabat (20). Et equidem Galliam (cujus terminus erat Rubico flumen Cæsenæ proximum ab oriente) Romani, Sigonio teste, *aut tumultuantem per Consules, & Pretores: aut pacatiorem per Proprætores, & Proconsules rexerunt* (21). Cumque Proconsul haberet insignia eadem, quæ Consul: (Nam & lictores, & fasces, & secures, & prætextam, & currulem sellam in decreta sibi provincia retinebat (22), quibus decoratus pro imperii majestate

(20) *Chronici Manus. Cæsen. f. 4. & 8.*
(21) *Sigon. de Antiq. jur. Ital. lib. 1. c. 26. ant. finem.*
(22) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 2. cap. 27. Sigon. loc. cit. lib. 2. cap. 1.*

ſtate, proque ſplendore dignitatis conſpicuus erat); jam vides, Regiæ civitatis decus, quo tempore Gallorum Senonum fruebatur, fuiſſe urbi noſtræ, permanentia ſedis Proconſularis quodammodò compenſatum.

12 Nec ad imminuendam honorificentiam civitatis noſtræ tempore Romanorum, dicatur, quod Cicero vellicatarus Hirtium, & Panſam Conſules anni V.C. 711. velut inertes, & ineptos muneri, quod gerebant, de illis protulerit: *Iſti duo vix ſunt digni, quibus alteri Cæſenam, alteri Coſſutiarum tabernarum fundamenta credas* (23). Nam in primis, licet hæc exaggeratio ſit inſerta literis M. Tullii Ciceronis; tamen epiſtola illa non ejuſdem Tullii eſt, ſed Quinti ejus fratris: & huic, non illi attribuitur in codicibus emendatioribus. Deinde textus ejuſdem epiſtolæ, ubi exprimit Cæſenam, vitiatus eſt, nec pertinet ad noſtram urbem. Aldus namque Manutius vir eruditiſſimus, & commentator Ciceronis nulli ſecundus, ad hunc locum ita doctè perhibet ſenſum ſuum: *locus ſine dubio corruptus. Neque enim adeò tam ignobilis, & obſcura fui Cæſena, ut tamquam abjecta res nominari debuerit. Vetus liber Vincentii Ricci ſic habet*: quibus Geſa, vel quibus Succianarum tabernarum fundamenta credas. *Deliberent eruditi quomodo ſit legendum &c. Antiquus liber à Cypro* Cenſenam ponit (24).

(23) *Cicer. Epiſt. famil. l. 16. epiſt. 27.*

[24] *Ald. Manut. in notis ad dict. ep. Cicer.*

13 Dato item, non vero conceſſo, quod illam epiſtolam verè ſcripſiſſet M. Tullius Cicero; attendendum, quod is Auctor in ſuis ſcriptis memorat nedum Cæſenam, verum etiam *Caeſanam*, proùt ſuccinctè notare eſt apud Nizolium (25). Et propter affinitatem conſonantiæ utriuſque dictionis, fortè factum eſt, ut amanuenſium, aut librariorum inadvertentiâ, prima vox velut notior, loco ſecundæ tamquam minus cognitæ, fuerit exarata. Quo ſimili vitio pariter dicere poſſumus errorem irrepſiſſe in textu: eo quod Quintus frater Ciceronis de *Cerſennia* ſit locutus Manſorum oppido, ſito quondam inter montem Imeum, & Maruvium, ad tractum viæ Valeriæ, quod memoratur à Scri-

(25) *Nizol. Theſaur. Ciceron. V. Caeſanae, & V. Ceſenae.*

à Scriptoribus regionis illius (26). Aut sermonem habuisse de *Celena*, sive Celenna obscuro Campaniæ oppido (27). Certe nihil facilius, quam in prima editione antiqui voluminis intrusum fuisse verbum simile loco alterius consimilis: & sive uno, sive alio modo erratum acciderit; hoc unum est. Quod, judice eruditissimo Aldo Manutio, *locus sine dubio corruptus est*.

(26) *Lucius Camorra theatr. antiq. l.1. c.5. f.77. Corsignan. de Anien. c. 6. f.76.*

(27) *Ferrar, & Baudrand. lex. geogr. V. Celene f. 179.*

14 Sed & adhuc ex abundanti non est silendum, quod etsi nullum irrepsisset mundum, Scipio Claramontius ingeniosa ponderatione contendit, (sive Scriptor oppositæ sententiæ Ciceronianæ sit M. Tullius, sive Quintus ejus frater) expressionem illam, non in probrum civitatis Cæsenæ refluere, sed in honorem. En ejus verba. *Habeo ego eruditissimo viro pro patriæ laudibus gratias non vulgares: non tamen pro amplæ quantumvis civitatis ludibrio haberem, si minor diceretur, quam ut infra eam Consulis tunc Romani jurisdictio contraheretur, cui amplissimæ provinciæ, universa Gallia, Macedonia, Hispania consueverant demandari* (28).

[28] *Scip. Claram. Hist. Cæsen. l.4. f. 125.*

15 Profectò sicut non ad dedecus, sed ad laudem Constantinopolis, ac Trapezunti diceretur, quod Constantinus Dragases Paleologus, & David Comnenus Imperatores, alter primæ, alter secundæ illius urbis (postquam fuerant à Turcarum tyranno Mahomette II. spoliati reliquo eorum dominio, non adhuc tamen utriusque Metropoli) digni erant, quorum uni Bizantium, alteri Trapezus crederetur: idest quod intra illas urbes exercerent eorum Imperium, solitum alioquin per amplissima regna, & provincias exerceri; sic ad præconium Cæsenæ refertur, quod *intra eam Consulis tunc Romani jurisdictio contraheretur, cui amplissimæ provinciæ consueverant demandari* (29). Connotantibus videlicèt verbis Tullii sedem Proconsularem solitam apud Cæsenates haberi: ad quam regendam cum circumposita provincia, mitteretur aliquis ex Romanis Consulibus post annum sui Consulatus expletum. Quatenus mos erat, ut pluries Consulibus finito magistra-

[29] *Claram. hist. Cæsen. in Apparat. p.2. f.31. & lib. 4. fol. 125. ac post l. 11. f. 425.*

giſtratu, officium Proconſulare committeretur per aliquam provinciam exercendum (30).

(30) *Alex. ab Alex. Genial. loc. cit. f. 248.*

16 Animadvertendum eſt præterea, quod antefatus Aldus Manutins nedum ſemel ubi ſupra, conteſtatur locum Ciceronis eſſe vitiatum; ſed & rurſus alibi multis rationibus profitetur idipſum: ac aſſerit, ſe mirari, quod Petrus Victorius pertinaciter contendat, ipſum textum nulla mendi ſuſpicione ſcatere: *quippe qui aut Q. Ciceronis ſententiam apertam non aſſequatur, aut Cæſenam ipſam ignorare videatur: cum Cicero tamquam de abjecto loco mentionem faciat. Cæſena vero non adeo tum ignobilis, aut obſcura fuerit, ut tamquam abjecta res nominari debuerit, præſertim ab homine Romano*. Deinde ſubdit confutationem Adriani Turnebi, ſimilem ſenſum foventis in ſuis Adverſariis, de improperio commentitiè attributo civitati Cæſenæ, ex verbis depravatis Q. Tullii præfati (31).

(31) *Ald. Manut. Orthogr. V. Cæſena fol. 130.*

17 Ac poſtremò declarat, ſe, quando examinabat hunc articulum, habuiſſe ſub oculis novem exemplaria Ciceronis, quorum nullum cum altero conveniebat in verbo *Cæſenam*. Vnum namque dicebat *Cæſanam*, aliud *Ceſaenam*, alterum *Cæſannam*: hoc *Cæſariam*, illud *Cenſenam*, & ſic de cæteris; ut hæc diſcordantia verborum ſit probatio manifeſta depravationis textus Tulliani. Adde quod Codex commodo receptus ab eodem Aldo de manu Flaviis Urſini viri eruditiſſimi, loquebatur: Iſti duo (Hirtius nimirum, & Panſa) *vix ſunt digni, quibus alteri Conſanarum, alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas*: adeòque ita non connotari Cæſenam, ſed *videantur fuiſſe duo genera humilium tabernarum*. Denique memorat Aldus, quod Paulus ejus pater ex Titi Livii lib. 9. legens: *eo anno Sora, Arpinum, Cenſennia recepta ab Samnitibus*, ſuſpicatus eſt, pro *Cæſena*, in textu Ciceronis, reponendam eſſe Cenſenniam (32): Sed jam de his abundè ſit dictum.

[32] *Idem ubi ſupr. 5. quis cum 8, Seq.*

18 Alia plura de civitate Cæſenæ, ac de pertinentibus ad illam tempore Romanæ Reipublicæ, in ſequentibus

Capi-

Capitibus referentur: ac potiſſimè ubi de Sacris, & de Religione Cæſenatum locutio erit, Ethnica ſuperſtitione vigente. Fiet namque ibi ſermo de Paulo Æmilio, & de Marco Marcello, nec non de Fabio Maximo, ſtrenuiſſimis Ducibus Romanorum: qui quandoque in eadem civitate noſtra per aliquod ſpatium temporis conſtiterunt: ibique tum ſacrificia diis obtulerunt: tum reſpectivè oracula de futuris ipſorum eventibus popoſcerunt: tum denique ſpolia hoſtibus ablata, voti nomine dedicarunt (33). Quæ quoniam infra ſuo loco ſunt referenda; hic opere pretium non eſt ulteriori proſequi ſtylo.

(33) *Vid. infrà cap. 9. num. 20. & 22.*

19 Neutiquam verò eſt reticendum, quod ardente bello Punico ſecundo, cum Aſdrubal numeroſo exercitu ſtipatus, per Galliam ciſalpinam procederet verſus Apuliam, ut ſè ſociaret Hannibali fratri, eum ibi expectanti, ac junctis viribus excidium, ſi poſſent, Romanis rebus inferrent; Quirites obviam venienti miſerunt Claudium Salinatorem Conſulem anni V.C. 547. uſque ad Cæſenam: ut & hanc urbem ab inſidiis ipſiuſmet Aſdrubalis tueretur: & ibidem illum bello contereret, vel aliter, ne ulterius progrederetur iturus ad fratrem, viribus bellicis impediret. Sed & Claudius Nero alter Conſul, miſſus adverſus Hannibalem, in Apulia bellicoſis actibus incumbentem, conſcius zeli, quo æſtuabant Romani pro tuitione Cæſenæ; relictis caſtris Apuliis, clandeſtino diſceſſu, cum aliquot ex ſuis Legionibus, ad augendas vires ſocii Salinatoris feſtinantèr occurrit: ſic ut cujus jam *caſtra eſſent ad Senam*, inquit Livius (34) ideſt Cæſenam, ut ſupra oſtendimus (35).

20 Romanis ergo aciebus, viriliter Conſules tuiti ſunt Cæſenam, ne ab Africanis occuparetur; tametſi jam non niſi *quingentos inde fermè paſſus Aſdrubal abeſſet* (36). Ac tantæ ſollicitudinis adhibitio pro ea ſartatecta ſervenda, cujus fortiſſimum ſitum, arcem validiſſimam, & munitiſſima propugnacula multum intererat contueri; quid niſi amplum teſtimonium perhibet exiſtimationis, qua Quirites noſtram urbem proſequebantur? Erat propoſitum utriuſ-

[34] *Tit. Liv. lib. 27. circa finem.*
(35) *Vid. hic ſupr. cap. 2. à num. 3. & c. 3. num. 4.*
(36) *Tit. Liv. loc. cit.*

que Consulis ibidem appetendi Asdrubalem prælio, sed is intempesta nocte cum suis copiis, furtivo versus Picenum suscepto *itinere, quod fugæ simile erat* (37) periculum imminens declinavit. Qua fraude mane comperta, Nero, ac Salinator citato gressu consectati sunt abeuntem, & correptum ad ripam Metauri cruentissime profligarunt. Solertia igitur Romanorum pro tuitione Cæsenæ, illam eximie commendat: augetque decori pondus hoc quoque, quod mox fatum prætium, in historiis conclamatissimum, & subversivum rerum Punicarum, apud nostram urbem iniri debebat: nec nisi doloso casu fugæ ab hostibus clandestinè susceptæ alibi transductum est.

(37) *Tit. Liv. ubi supr. paulo inferius.*

21 Postremò decus haud modicum infert civitati Cæsenæ, dedisse Reipublicæ Romanæ Familiam Cæsenniam, Equestrem, & Consularem, atque feracem hominum inclytorum, qui præcipuis magistratibus, & officiis almæ Urbis potiti sunt. Hos inter Lucius Fabricius Cæsennius fuit Eques, Scriba Ædificius, Pontifex, & Lucius Cæsennius Sospitianus in conspicuum Haruspicum ordinem cooptatus est. Lucius Cæsennius Pætus ascendit usque ad Consulatum (quo nullus tunc erat gradus præcelsior: ac deinde Proconsulis titulo Armeniam administravit: estque celeberrimus in historiis.

22 Item Cajus Cæsennius, pariter Pætus, floruit amplissima dignitate Præsidis Syriæ, atque Proconsulis Asiæ. Publius Cæsennius Lento prorsus extinxit familiam magni Pompeii. Cæsennia denique uxor Fulcinii causam dedit Orationi, quam Cicero ante Judices habuit pro Cæcina. Sed & plures alii Cæsennii utriusque sexus aliis titulis claruere, intantum, ut de hac illustri Familia reperiantur erectæ 27. antiquissimæ Inscriptiones, tam totidem Cæsenniorum nomina referentes, quam merita prædicantes: nuper collectæ, ac dilucidatæ, atque virorum eruditorum oculis expositæ: de quibus alibi satis (38).

(38) *Brasc. de faml. Cæsennia per totum.*

C A-

CAPUT VII.

An Civitas Cæsenæ sub Romana Republica esset Romanorum *Colonia*?

SUMMARIUM.

1 *Civitates computant sibi ad honorem, fuisse Colonias Romanorum. Talisque fuit Cæsena.*
2 *Verba Cæsaris Brissii de Cæsena, quod esset Colonia: Num à Frontino fuerit memorata?*
3 *In Inscriptione quoque Auli Lucretii, Cæsena dicitur Colonia Romanorum.*
4 *Coloniæ unde sic dictæ? Civitates Romani juris factæ varias conditiones accipiebant.*
5 *Melior erat Coloniæ, quàm Municipii conditio. Coloniæ cur institutæ? Quotque species earum essent?*
6 *Quænam Coloniæ civium Romanorum essent, & quænam Coloniæ Latinæ? Ac utrarumque jura.*
7 *Civiliter vivebant indigenæ Coloniarum. Erantque in eis diversi Magistratus.*
8 *Quot essent simul omnes Coloniæ Romanæ? Cæsena est inscripta Coloniis sub nomine Senæ.*
9 *Quonam anno Urbis conditæ, Sena hæc recensita fuerit inter Colonias Romanas?*
10 *Cædes Senonum ex Polybio memoratur: & Sena eorum urbs à Romanis deducta Colonia.*
11 *Sapinia Tribus, in qua contigit eadem cædes, à Sapi flumine dicta est, adluente Cæsenam.*
12 *Alius item textus Polybii eadem de cæde, non est adaptabilis Senis Etruriæ.*
13 *Neque Senogalliæ Piceni, quæ non terminat campos italiæ. Optime verò quadrat Cæsenæ.*

14 *Quidquid sit an illæ quoque Civitates fuerint Coloniæ; non sunt confundendæ cum Cæsena.*

15 *Tempus discutitur, quo hæc urbs victa fuit à Romanis, & deducta Colonia.*

16 *An Coloniæ qualitas defecerit, quando Cæsenam occuparunt Boii, & revixerit ea redeunte ad Romanos.*

17 *Senonensis Colonia una erat ex præditis* sacrosancta vacatione.

18 *Claramontii contestatio, quod nomine Senensis Coloniæ intelligenda sit Cæsena.*

1 NON exiguæ honorificentiæ argumentum sibi favere putant urbes Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ &c. cum recolendo proprias prærogativas, harum elencho valent inscribere, quod ipsæ civitates antiquitùs fuerint Coloniæ Romanorum: ratæ hanc præeminentiam esse veluti tesseram earum claritatis: ac signum, & documentum fortitudinis, fidelitatis, opulentiæ, aliorumque meritorum, quibus apud ineffabilem illum Populum, toti dominantem orbi, commendabantur. Cæsenam quoque fuisse Coloniam Romanorum contestatur Angelus Maria Torsanus (qui vixit fere 200. ab hinc annis) hujusmodi verbis: *Cæsena Colonia Romanorum aucta, populique frequentiâ facta celebris* (1). Idipsum pluries perhibent vetustiora ipsius civitatis monumenta (2). Et illud evincit quoque inter alia, Inscriptio antiquissima mox referenda, erecta meritis Auli Lucretii, & a perpluribus collectoribus vetustarum similium lapidum recensita (3).

2 Sed & Cæsar Brissius, in relatione Cæsenate, quam obtulit Clementi Papæ VIII. Cæsenâ transeunti, cum Ferrariâ Romam rediret, idipsum adstruit hisce verbis: *Li Romani la eressero loro Colonia: significato ciò da Frontino nel libro delle Colonie, con la descritione del sito di questa città fatta dalli Triumviri Agrarii, come era solito de Romani nel dedurre le Colonie, quando dice*: „ Ager urbis Savinensis, limitibus maritimis, & montani, longe „ Tri-

(1) *Torsan. de laud. Urbium Orat. ult. pag.* 100.

(2) *Chron. Cæsen. M. S. fol.* 4. & 10.

[3] *Petr. Appianus in Inscrip. Ital. Gruter. Inscr. Rom. fol.* 432. *num.* 2. *Merul. Cosmogr. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 33. *numer.* 123.

" Triumviri, & loca hæreditaria populus accepit (4). Ubi per urbem Savinensem intelligitur Cæsena, quam adluit Savius flumen, aliter Isapis dictum, & Sapis.

(4) Briss. relat. di Cesen. f. 33.

3 Tum addit Brissius, ut probet, Cæsenam fuisse Coloniam Romanorum: ***E' più chiaramente lo dice l'Inscritione ritrovata nel monte di Santa Maria*** (prope Cæsenam): ***è notata da Pietro Appiano nell' Inscritioni d'Italia***: quæ talis est: ***Auli Lucretii Historici, ac Poetæ, conditoris verissimi: Cui ob excellentiam ingenii statua condonata, ac civitati Cæsenæ Romanę Coloniæ deductæ in hoc sacro monte dedicata*** (5). Hanc ipsam Inscriptionem recenset Aldus Manutius, ex ea inferens Cæsenam antiquitus fuisse civitatem præclaram. Ait etenim: ***Strabo certè lib. 5. inter nobiles civitates Cæsenam numerat: antiquaque Inscriptio, Cæsenam civitatem fuisse Romanorum Coloniam testatur. Nec ullum unquam oppidum inter Romanas Colonias annumeratum fuisse apud quemquam legimus*** (6). De ingenuitate autem hujusmodi Inscriptionis, fiet sermo prolixior in Diatribis Cæsenatibus (7): unde hic supersedemus de illa rationem reddere, quam quisque lector ibidem exaratam poterit pro suo arbitrio reperire.

(5) Cesar. Briss. ubi supr.

(6) Paul. Manut. Orthogr. V. Cesen. pag. 129. & 132. §. Quit.

(7) Brasch. Diatrib. Cesen. Diatr. 5.

4 Quantum verò ad Colonias, earumque nomen in abstracto, *Colonia*, inquit Budæus, ***civitas est à matrice civitate deducta, idest metropoli: quo modo Athenis Ionicæ civitates deductę erant, & propagatę, ut ex Herodoto novimus libro septimo*** (8). In concreto vero, & strictius ad rem nostram, sciendum est, quod civitates à Romanis victæ, aliterve ipsorum juris effectæ, diversas conditiones à Quiritibus accipiebant: ut aliæ essent *Coloniæ*, aliæ *Municipia*, aliæ *Præfecturæ*, aliæ denique *Fæderatæ*. Civitates porrò, ad quas Senatus Populusque Romanus ex alma Urbe proprios cives militiæ addictos, sub ductu Triumvirorum incumbentium huic muneri, ad permanendum jugiter transmittebat, dicebantur Coloniæ (9): & hæ melioris conditionis, quam municipia censebantur (10).

[8] Budæus in Pandect. par. 2. fol. 95.

(9) Paul. Merul. Cosmogr. par. 2. lib. 4. cap. 19. f. 807.

(10) Aulus Gellius lib. 15. cap. 13.

5 Ac

5 Ac equidèm non sine prudentia, & politici regiminis utilitate favore Romanorum, ipsæmet Coloniæ suam originem habuerunt: velut institutę, *Primo*, ut propugnaculum essent Romanæ potentiæ illis in locis, ubi statuebantur. *Secundo*, ut milites veterani præmium sui laboris in ipsis locis cum congruis reditibus obtinerent, accipientes quatuor, sex, aut septem, & interdum etiam ulteriora jugera agri (11). *Tertio*, ut Roma exoneraretur pauperibus aliò missis, quo domos, & arua consequerentur suo usui sufficientia: quibus de rebus vide Lipsium, Sigonium, & alios (12). Duplicis verò speciei erant Coloniæ: nam aliæ Latinæ, aliæ civium Romanorum dictæ sunt: aliæ ex utrisque: ac nonnullæ ex peditibus, vel æquitibus &c. Eratque constitutum, ut singulæ Coloniæ annuam pensionem Populo Romano exhiberent, nisi exemptione à contributione hujusmodi donarentur (13).

6 Coloniæ *Civium Romanorum* illæ appellabantur, quæ præditæ erant jure Quiritum: hoc est quæ jus habebant privatum quemadmodum civium Romanorum: ut, est jus privatæ libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii, hæreditatis, usucaptionis, mancipii, testamentorum, tutelarum, & alia hujusmodi: publica vero jura Romanæ civitatis non obtinebant. Quare in his adscripti, nomine quidem cives erant Romani; rè verò erant Coloni (14): Nisi quoque jure suffragii ferendi aliqua in Tribù occasione Comitiorum, essent speciali privilegio ditati (15). *Latinæ* autem *Coloniæ* dicebantur illæ, quibus inerat jus Latii, ut inter Latinos computarentur: habebantque suffragiorum potestatem permittente Magistratu. Et si qui ex his officium aliquod civicum gessissent, fiebant cives Romani (16).

7 Civili, & culto modo vivere solebant incolæ Coloniarum: quarum politiam constituebant, & prudenti regimine moderabantur diversi magistratus, & proceres, tum sacris, tum profanis, tum rebus militaribus præsidentes. Aderant Decumviri, Quatuorviri, Seviri juridicun-

(11) *Nizol. Thes. ling. latin. V. Colonia.*

(12) *Lips. de magnitud. Roman. lib. 1. capit. 6. Sigon. de antiq. Jur. Ital. lib. 2. capit. 2. 3. & 4. Nizol. loc. cit.*

(13) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 4. cap. 10. f. 489.*

(14) *Paul. Merul. loc. citat. f. 807.*

(15) *Sertor. Orsati. Marmi erud. let. 7. f. 136.*

(16) *Merul. ubi supra. Sigonius loc. cit. cap. 2.*

cundo deputati. Nec non Decuriones, Ædiles, Haruspices, Augures, Præfecti Collegiorum, & Pontifices (17): quinimò interdùm plures etiam Pontifices (18). Itidemque Templa, Curiæ, Fora, & respectivè Capitolia (19), Denique nihil deerat, quod ad cultam, & civilem vivendi formam necessariam censeretur. Et proùt magis fieri poterat, habita ratione temporis, ac locorum, omnia dirigebantur conformiter ad methodum, qua res peragi solebant in alma Urbe. Servato nihilominus apud Colonias aliquali forma, & specie Reipublicæ (20).

8 De civitate autem Cæsenæ, jam diximus, eam claruisse honore Romanæ Coloniæ: idque probavimus, tam epithaphio Auli Lucretii, quam divisione agri urbis Savinensis, (sive qui adjacet flumini Sapi) facta à Triumviris agrariis. Nunc addimus Numisma Vespasiani Cæsaris, Cæsenam denotans Coloniæ titulo (21). Sanè, Lipsio referente, Romanæ Coloniæ simul junctæ fuerunt circiter numero 270. quas inter in Italia 170. in Africa 60. in Hispania 30. aliquot aliæ in Gallia &c.: quarum tamen omnium hodie nomina non habemus (22). Paulus vero Merula enumerat 163. ac in harum serie, numero 40. Senam ponit: rursusque aliam Senam numero 160. (23): quarum alterutra est Cæsena, dicta antiquitus *Sena*, proùt vidimus supra.

9 Philippus Ferrarius, & cum eo Michael Angelus Baudrand in eorum conjuncto Lexico Geographico recensent 181. Colonias intra Italiam constitutas: ponuntque quod anno V. C. 458. deducta fuit Colonia *Sena in Semnonibus in Umbria* (24). Et hæc est Cæsena, priscis temporibus dicta *Sena*, metropolis Gallorum Senonum, atque intra fines antiquæ Umbriæ constituta, tunc expansæ usque ad mare Adriaticum, juxta ea, quæ superius dicta sunt (25). Verùm ad chronotaxim corrigenda est epocha temporis: ac pro anno Urbis conditæ 458. signetur annus 478. vel 479.. Comprobatur id ex Livio, diserte tradente Coloniæ titulum Senę ad mare superũ sitę (26) idest prope mare Adriaticum: qualis est civitas Cæsenæ.

Caro-

(17) *Roinesi Inscript. antiq. clas. 1. n. 194.*
(18) *Sigonius de antiqu. Jur. Ital. lib. 2. c. 4.*
(19) *Just. Lips. de Magnit. Roman. lib. 1. capit. 6.*
(20) *Sigon. ubi supr. c. 4. lib. 2.*
(21) *Gales. Dictionar. V. Colonia.*
[22] *Lipsius loco mox cit.*
(23) *Paulus Merul. Cosmogr. par. 2. lib. 4. cap. 19. f.* 809. & 813.
(24) *Ferrar. & Baudr. Lexicon. Geograph. V. Colonia fol.* 207.
[25] *Vide hic supr. cap. 1. n. 1. &* 8.
(26) *Tit. Liv. Histor. l. 2.*

Carolusque Sigonius in Scholiis ad eundem historicum, referentem, quod jam *erant ad Senam castra alterius Consulis*, ideſt Livii Salinatoris, ly *ad Senam* explicat hoc modo: *Coloniam*, *de qua suprà*: cum paulò supra retulisset, deductas fuisse Colonias 27. *Castrum*, 28. *Senam*, 29. *Adriam* (27).

10 Rem denique extrà omnem aleam ponit Polybius: qui recensens, quod Galli Senones transgressi Apenninum, Aretinorum fines invaserunt: ibique Romanos horum auxiliarios, vel tutelares armis obsistentes vicerunt, Sexto Cornelio, & Marco Curio Consulibus: ideſt anno V.C. 478. vel 479. ante Christi ortum 272. Curius *statim Legatos in Galliam* (Senonicam) *ad redimendos captivos misit: qui cum eo pervenissent, violato jure gentium à Gallis interficiuntur. Quo scelere indignati acritèr Romani, novo delectu habito, penetrare in Galliam aggrediuntur. Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt. Hos collatis signis, è vestigio aggressi superant: magnam partem interficiunt: si qui superfuerant, sedibus fugant, regione potiuntur, novam ipsi in urbem* COLONIAM *inducunt. Eam veteri nomine, quod primo à Gallis* (Senonibus) *habitata fuerat*, SENAM *appellant* (28).

11 Nota, quod Romani, post receptam Cladem Aretinam, procedentes contra Gallos Senones, horumque civitatem Senam (quam subinde Coloniam deduxerunt) non properarunt per Etruriam versus urbem Senarum, neque per Picenum, ubi eſt Senogallia, constituta extra viam ab Aretio commodam, ad Senones invadendos; sed iuerunt per Tribum Sapiniam, recta ducentem progressum ab Aretino agro ad Senonicum (29). Tribus namque Sapinia (una ex 35. Tribubus Romanis) eſt ille tractus regionis, quem interluit Sapis flumen (30). Sena ergò tunc deducta Colonia, non fuit Sena Etruriæ, cum qua Senonibus Gallis contentio non præcessit. Neque fuit Senogallia Piceni, quæ à Sapi, dante nomen Sapiniæ Tribui, distat per 70. circiter millia passuum. Igitur fuit Sena

(27) *Sigonius Schol. in l. 27. Tit. Livii f. 56. F. & fol. 58. B. num. 209.*

[28] *Polyb. Hist. lib. 2.*

(29) *Scip. Claram. Hist. Caesen. lib. 2. f. 92.*

(30) *Brasch. de vero Rubicon. cap. 29. à n. 1. & à n. 12.*

Sena Romandiolæ, nùnc Cæsena, tùnc Sena, metropolis Gallorum Senonum (31).

(31) *Vide hic supr. cap. 2. à num. 5.*

12 Addit Polybius de Sena Gallica Senonum, quæ deducta est Colonia. *Est autem ea urbs in littore maris sita, ubi campi Italiæ terminantur* (32). Et hic iterùm nota, quod Sena, devictorum Senonum urbs, deducta Colonia, non erat mediterranea, nec valde longe à mari constituta, sed vicina littori Adriatico, illo in loco, *ubi campi Italiæ terminantur*. Quæ verba minimè adaptari valent Senis Etruriæ, quibus nil fuerat commune cum Gallorum Senonum gente adjacente mari Adriatico: nam Senarum Etruriç urbs immodicè distet ab hoc mari, tamquam indè longe dissita versus Æquor Tyrrhenum (33).

(32) *Polyb. Histor. li b. 2.*

(33) *Vid. supr. cap. 2. à n. 4.*

13 Nèc item eadem verba Polybii adaptabilia sunt Senogalliæ Piceni (tunc alio in loco sitæ remoto à littore maris, & distanti ab eo, in quo nunc reperitur) quandoquidem apud eam non terminantur campi Italiæ: quinimò neque campi Piceni, qui longè ultrà decurrunt usque ad Anconam; sed adamussim correspondent illi Senæ, quam Silius Italicus propè Rubiconem collocat (34): Strabo inter ipsum Rubiconem, & Sapim flumina recenset (35): nuncque dicitur Cæsena; posita non longe à littore maris, ubi terminantur Italiæ campi in angulo orientali Veneti littoris (36) prope ipsum Rubiconem, antiquum Italiæ limitem, in fauce ferme, qua via inter Apenninum, & Mare restringitur (37).

(34) *Sil. Ital. lib.* 8.

[35] *Strabon. Geogroph. liber.* 5.

(36) *Claram. Hist. Cæsen. in Appar. par. 1. f. 11. & lib. 2. f. 91. ac lib. 4. f. 158.*

(37) *Idem liber. 3. f.* 114.

14 Quidquid autem sit, an etiam urbs Senarum Etruriæ quandoque deducta fuerit Colonia Romanorum, nec nè; nostra hic non interest disceptare: quippe quibus nihil refert id fuisse, vel non fuisse. De antiqua Senogallia quoque Piceni minimè impugnamus, quod aliquando potita sit honore Coloniæ Romanæ. Nobis verò satis est, quantum ad præsentem indaginem, neutram illarum civitatum correspondere verbis Livii, ac Polybii: neutramque pariter ipsarum confundendam esse cum Cæsena, olim Sena, metropoli Gallorum Senonum; uti a nonnullis confundi ad-

[38] *Paul. Merul. Cosmogr. par. 2. lib. 4. cap. 19. f. 901.*
(39) *Claram. loc. cit.*

vertit etiam Paulus Merula (38), & notat quoque Scipio Claramontius historicus Cæsenas (39). Itaque postquam ipsi Galli Senones acceperunt atrocem illam cladem mox recensitam, quam comparandam duxit Orosius exitiosis cædibus, quas passi sunt Pœni ad Metaurum, ac Romani ad Trasimenum, & ad Cannem (40); Sena eorum caput, ac metropolis, nunc Cæsena in potestatem Romanorum transivit, & illorum facta est Colonia.

[40] *Oros. Histor. lib. 4.*

15 De ipsomet prælio subversivo Gallorum Senonum loquens etiam Petavius, ait, quod Consul ductor Exercitus Romani, *Gallis profligatis*, *Sena eorum urbe capta*, *Coloniam eo deduxit* (41). Quonam autem anno Urbis Conditæ contigerit deductio Coloniæ Romanæ Cæsenam, audi ex Sigonio: *Anno* 471. *C. Fabricio. Q. Æmilio Cos. Sena in agrum de Gallis Senonibus captum* deducta est Colonia (42): In Coloniarum elencho relato, ut diximus, per Ferrarium, & Baudrand simul impressos, habetur sub anno V.C. 458. *Sena in Senonibus in Umbria* (43) idest in Umbria considerata more antiquo, de quo dictum est supra (44). Sed error est in numero medio. Meliùs ergò rem acu attinget qui sentiet, deductam fuisse Coloniam anno V. C. 479. quo Senones profligati, & subversi fuerunt à Curio Consule, ut mox vidimus ex Polybio. Vel anno sequenti 480. quo consul fuit secunda vice C. Fabricius Luscinius, à Sigonio memoratus.

[41] *Dionys. Petav. Ration. Tempor. par. 1. lib. 3. cap. 17. circ. fin.*

(42) *Sigon. de antiq. Iur. Ital. lib. 2. capit. 5. f. 139. 20.*

[43] *Ferrar. & Baudrand. Lexic. Geogr. V. Colonia fol. 207.*

[44] *Vid. supr. capit. 1. à num. 8.*

16 Unum est, quod civitas nostra, tunc Senæ, nunc Cæsenæ nomine nuncupata, fuit Colonia Romanorum, ut etiam tradit Scipio Claramontius (45). Sed quia mox in ea rerum perturbatione, qua invalescentes armis Galli Boii contra Romanos, istis Cæsenam abstulerunt, & vi occupatam sub suo dominio detinuerunt per 90. circiter annos, donec & ipsi quoque à Quiritibus debellati fuerunt (46); oportet, quod per idem tempus cessaverit in civitate ipsa qualificatio, & prerogativa Coloniæ Romanæ, quam dignitatem non fuisse ab illa recuperatam post exactos ipsosmet Gallos Bojos, opinatur idem Claramontius (47).

(45) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 2. fol. 93.*

(46) *Vid. supr. cap. 5.*

[47] *Claram. loc. cit. lib. 4. fol. 126.*

At

At fortè melius cogitandum eſt, fuiſſe reacquiſitam, velut jure poſtliminij: Eo modo quo & aliis Coloniis Ciſpadanis contigit per eoſdem Bojos oppreſſis; iterumque poſt hos denique profligatos, regreſſis ad jus priſtinum Coloniarum.

17 Favent civitati Cæſenæ in hac parte verba Livii, connumerantis, à ſupero mari *Senenſem* Coloniam, inter alias, quæ recurſum interpoſuerunt ad Romanum Senatum, eo quod *Sacroſanctam vacationem habere dicebantur* (48): ut inde intelligas, Cæſenæ, tunc Senæ, haud longe à mari ſupero, ideſt Adriatico, ſitæ, firmiter adſuiſſe conditionem, denominationem, & qualitatem Coloniæ Romanæ. Quo ſanè jure potita eſt nedùm quouſque perſeveravit Roma in ſtatu Reipublicæ; verùm etiam poſtquam democraticum regimen in monarchicum commutavit, regnantibus ibidem Imperatoribus: ut evincitur ex enunciato numiſmate Veſpaſiani.

(48) *Titus Livius Hiſt. l. 27.*

18 Supereſt, ut quoad aſſumptum præſentis capitis præbeantur aures Hiſtorico quoque Cæſenati: qui relativè ad profligationem Gallorum Senonum à Polybio recenſitam, ait: *Romani ergo tanta potiti victoria &c. ſupra modum læti in regiam Senonum civitatem Senam, ſcilicet novam Coloniam, inducunt*. Et infrà: *qui fuerint Triumviri, à quibus deducta Colonia Sena, cum deſint* 11. *&* 12. *libri Livianæ hiſtoriæ, non conſtat. In librorum epitome, & Coloniam deductam, & violatos à Senonibus Romanos Legatos, ob id indictum illis bellum dicitur &c. Colonia hæc Senenſis, vacationis ſacroſanctæ privilegio fuit inſignita, aſſerente Livio* (49). Intelligitque ſemper Claramontius nomine Senæ civitatem Cæſenæ.

(49) *Claram. hiſtor. Cæſen. lib. 2. in fin. f. 93. 94. & lib. 3. f. 154.*

CAPUT VIII.

Nùm Cæsenæ urbs, Romanâ Republicâ dominante, fuerit *Municipium*? Et quibus *Privilegiis* frueretur?

SUMMARIUM.

1 *Coloniæ differebant à Municipiis, & è converso. Ac quænam essent jura Municipum?*

2 *Duo erant genera Municipiorum. Quorum incolis non deerat nobilitas.*

3 *Esset ne major existimatio Coloniæ, an Municipii, apud antiquos?*

4 *Municipes propriis legibus, & moribus vivebant: Coloni autem Romanis.*

5 *Progressu temporis inceperunt sumi Coloniæ prò Municipiis, & è contrario.*

6 *Decuriones, Censores, Quæstores, Flamines, & alii Magistratus erant in Municipiis.*

7 *Cæsena prius fuit Colonia, deindè Municipium. Poterat quælibet urbs de uno ad alium statum transire.*

8 *Tamquam sita in Tribu Sapinia, Ravennam inter & Sarsinam, Cæsena erat Municipium.*

9 *Cæsenates febant Romæ suffragium in Tribu Pupinia, prout & Sarsinates.*

10 *In elencho Municipiorum Cæsena non reperitur: sed elenchus ille non est integer.*

11 *Privilegiis Immunitatis, & Vacationis, Cæsena donata fuit à Romanis.*

12 *Immunitas erat exemptio à muneribus, & oneribus: hæcque non concedebatur, nisi exprimeretur.*

13 *Coloni pendere tenebantur almæ Urbi quolibet anno tributum capitis, & soli.*

14 *Quid*

14 *Quid esset Vacationis privilegium? & cur hæc diceretur sacrosancta?*
15 *Meritò Cæsena insignita fuit hujusmodi privilegiis, quando facta est Colonia.*
16 *Tres lapidariæ Inscriptiones pertinentes ad tempora, quibus Cæsena suberat Romanis.*
17 *Verba primæ Inscriptionis expenduntur, agentis de* Fontejo Spuriano.
18 *Alia vetus adfertur Inscriptio, loquens de* Junia Tullia, *& de* Fisc. Caes.
19 *Sensus, & expositio verborum ejus: Pœna indicta violatoribus illius monumenti.*
20 *Videtur, quod per idem tempus Cæsena Fiscum haberet, cui mulctæ applicarentur.*
21 *Tertia Inscriptio* Cajo Fuficio *directa. Sarcophagus quid propriè, ac quid translatè significet?*
22 *Laterculus* P. Rutilii. *Etiam Libertis erigebantur Inscriptiones: & his inerat quandoque Prænomen.*

1 DIfferebant *Coloniæ à Municipiis*, & è converso: quod *Coloniæ ex civitate Romana quasi propagarentur, Municipia in civitatem extrinsecus vocarentur*, inquit Sigonius (1). Coloniæ namque ex alma urbe alias in civitates, & loca Romanæ potentiæ subjugata traducebantur. *Municipia* verò erant Civitates, aut loca, quorum civibus patebat aditus ad Romanam urbem: ubi *ex alienis civitatibus adsciti, munerum Romanæ civitatis participes erant: nisi quod ad suffragia ferenda, & Magistratus admitti non poterant* (2). Et ita se habebat res ab initio, atque hoc erat jus Municipii: donec progressu temporis nonnulli Municipes quoque admissi fuerunt nedum ad Magistratus Romæ gerendos; verum etiam ad suffragia conferenda: uti de pluribus recenset Festus Pompejus (3).

2 Hinc factum est, quod Municipiorum *duo erant genera*: *Unum quod jus civitatis* Romanæ *sine suffragio habebant.*

[1] *Sigon. de antiq. jur. Ital. lib. 2. cap. 6.*

(2) *Alex. ab Alex. genial. lib. 4. cap. 10. f. 488. & seq.*

[3] *Fest. Pompei lib. 11. V. Municeps &c*

bebat. *Alterum cui idem jus cum suffragii latione erat communicatum* (4). De suo Municipio Arpinate sibi blandiebatur Cicero, quando scripsit: *Non dubito quin scias, non solum cujus Municipii sim, sed etiam quam diligenter soleam meos Municipes Arpinates tueri* (5). Alibi quoque commendat Municipium Amerinum oratoriè declamando: *Roscius municeps Amerinus, fuit genere, & nobilitate sui Municipii facile princeps* (6). Undè liquet, quod Municipiis inerat honorifica prærogativa, quod possent ostentare nobilitatem.

(4) *Paul. Merul. Cosmogr. par. 2. lib. 4. c. 19. f. 814. E.*

(5) *Cicero epl.* 208.

(6) *Idem Cicero pro sext. Roscio* 20.

3 Et quamvis in vulgari opinione apud Romanos major existimationis opinio foveretur dè Coloniis, quàm de Municipiis: undè refertur, quod *jus Coloniæ, quam Municipii, semper majus, & auctius fuit; quod Coloni jura, institutaque populi Romani, nihil sui arbitrii habent; Municipes vero suis vivant moribus, & institutis, sine imperio populi Romani* (7); Tamen non nisi per figuram Procatalepsis, sive Occupationis, contrariam opinionem fulcire videtur ratio proposita. Nam quis non prudenter, quis non rationabiliter judicabit, meliorem fuisse conditionem populi viventis suis moribus, & propriis legibus, quam alienis? Talia erant Municipia (8): videtur ergo fuisse præferenda Coloniis.

(7) *Alex. ab Alex. loc. cit. fol.* 489.

[8] *Card. Baron. tom. 1. an. 51. num. 67. & an. 58. n. 147.*

4 Certè Aulus Gellius hos eodem titulo illa præstare tradit, quod Municipia suis legibus antiquis, moribusque patriis uterentur, Coloniæ verò cogerentur vivere legibus Romanorum. Addita insuper alia ratione, quod Coloni cives tantum Romani dicebantur: at Municipes nedum Romani cives erant, sed etiam poterant esse Romæ participes munerum, & honorum (9). Hinc Hadrianus Imperator (ex Italicâ Municipio Hispaniæ oriundus) profitebatur, se mirari, quod *& ipsi Italicenses, & quædam item alia Municipia antiqua &c. cum suis moribus, legibusque uti possent, in jus Coloniarum mutare gestiverint*. Hinque fit, *ut leges, quibus urbes peculiariter reguntur, vulgò municipales appellantur* (10).

[9] *Aulus Gellius lib. 16. capit. 13.*

[10] *Noris de Epoc. Syromaced. dissert. 3. cap. 9. f. 278.*

5 Vi-

5 Viguerunt autem distinctiones recensitæ inter Colonias, & Municipia, donec Municipibus, & Colonis majora, & respectivè minora ut supra fuerunt jura, & privilegia concessa. Progressu vero temporis lege Julia universæ Italiæ data fuerunt & Romana civitas, & æqualia suffragia. Sed & utilis regiminis politica, proficuaque ratio suggessit *liberalitati populi Romani, ex omni genere, omnique natione terrarum, benemeritos de nomine Romano, quorum virtus enituit, in civitatem adsiscere, ac fide, & societate jungere* (11). Quamobrem ex tunc factum est, ut vel jura Coloniarum, & Municipiorum, populatim fuerint obliterata: vel confusis, & permixtis una simul utrarumque juribus, ac nominibus, promiscue incæperint usurpari, seu sumi, Coloniæ pro Municipiis, & è converso (12).

6 Sciendum verò, quod *quemadmodum in Coloniis, eodem modo in Municipiis quamdam Reipublicæ speciem, atque imaginem fuisse*. In his enim, *si ordines quæramus, Decuriones, Equites, & plebem inveniemus: si consilia publica in Senatum, & populum: Si magistratus, & Sacerdotes, in Dictatorem, II viros, IIII viros, Censores, Ædiles, & Quæstores, & Flamines Municipiorum incidemus &c.*. Denique *cum corpus quoddam esset municipalis reipublicæ; etiam unde alaretur, & sumptus in republica necessarii sustineretur, publico vectigali opus fuit* (13). Præter alia superiùs enunciata de ratione vivendi propriis legibus, & de potestate obeundi publica munia, & magistratus in alma Urbe. Quibus adde, quod si Municipibus data erat Romana civitas cum jure suffragii; ut quoque *à Censoribus in certam ex 35. Tribubus conferrentur*, requirebatur (14).

7 Quod autem Cæsena Romanis dominantibus, non fuerit *Municipium*, fortè aliquis deducet ex eo, quod erat Colonia, proùt capite præcedenti probatum fuit: si autem fuit unum, oportet non fuisse aliud ex his duobus intèr se suo intervallo disjunctis. At facilis est responsio, si di-

(11) *Alex. ab Alex. ubi supr. f. 890.*

(12) *Paul. Merul. Cosmogr. loc. cit. f. 817.*

(13) *Sigon. de Antiqu. Jur. Ital. lib. 2. c. 8.*

(14) *Idem ibi cap. 6. ad finem.*

si dicatur; Cæsenam sub initio sui transitus in potestatem Quiritum, non fuisse Municipium, sed Coloniam. Successivè autem ob fidelitatem, & utilem operam exhibitam eisdem, pacis, & belli tempore, benemerentiæ titulo id obtinuisse, ut è Colonia transmutaretur in Municipium. Certè Suessa, quam Romani L. Papirio Cursore, & C. Junio Bubulco Consulibus, anno V. C. 441. Coloniam deduxerant (15); ætate Ciceronis mutaverat statum: nam ab eo nuncupata est *Municipium honestissimorum quondam colonorum* (16). Et è conversò Italica locus Hispaniæ, ut paulò ante vidimus, ex Municipio transiit in Coloniam.

8 Videtur igitur Cæsanam fuisse Municipium. Hocque probari etiam ex eo, quod continebatur in tractu componente Tribum Sapiniam, (unam ex 35. Tribubus Romanorum) nomen sortitam à flumine Sapi, quod penè lambit muros ejusdem urbis. Nam cum in eodem tractu sint constitutæ Ravenna à parte inferiori, quæ proculdubiò erat Municipium (17), & Sarsina à parte superiori, dotata & ipsa simili honore Municipatus (18); jure meritò inferendum venit, quod eadem prærogativa potita sit etiam Cæsena, in medio posita utriusque præfatæ urbis, & intra terminos ipsius tractus constituta, componentis Tribum Sapiniam: de qua, qui plura desiderat, legat librum, cui titulus est, de Vero Rubicone (19).

9 Accedit alia ratio, indè petita, quod Cæsenates nostri descripti erant Romæ in Tribu Pupinia, (ubi pariter & contermini Sarsinates reperiebantur descripti) proùt refert Maurus Verdonius civis Cæsenas, in re antiquaria, tùm patria, tum extranea peritissimus, eo in Opusculo, quod Italico idiomate de Romanis Tribubus exaravit (20). Cui & adstipulantur alia vetera monumenta manuscripta perhibentia ipsimet urbi titulum Municipii. Si Cæsenates ergò descripti erant in Tribu præfata; consequenter suffragium quoque ferebant in Comitiis almæ Urbis. Quod si ferebant suffragium; ergò erant Municipes: & per consequens

(15) *Cardin. Noris ubi sup. ol. 278.*

(16) *Cicero Philippic. 13.*

(17) *Gruter. fol. 237. 5. fol. 393. 4. f. 460. 3. fol. 486. 7. fol. 748. 11.*

(18) *Idem Gruter. fol. 316. 5. fol. 322. 4. fol. 474. 1. f. 923. 9. f. 1025. 3.*

(19) *Brasch. de Vero Rubicon. cap. ult.*

(20) *Verdon. delle Tribu antiche num. 22. & 26.*

quens etiam eorum civitas honorificentiam Municipii possidebat.

10 Nec officit, quod in catalogo Municipiorum Italiæ (quem cernere est apud Ferrarium, & Baudrand, in suis Lexicis Geographicis, Verb. Municipium), urbs nostra non reperiatur, neque sub nomine Senę, neque sub appellatione Cæsenæ. Nam in eodem catalogo non omnia Municipia sunt descripta. Inter cætera enim non ibi memoratur Ravenna; quam tamen certè municipium fuisse constat ex Inscriptionibus Gruterianis, hic in margine n. 17. indicatis. Fortè igitur collectoribus talium rerum non innotuit, Cæsenam fuisse Municipium: fortè nomen Cæsenæ per omissionem, inadvertentiam, aliudve infortunium, vel casu, excidit de calamo scribentium. Utcumque sit, rationes, quibus innititur assertio nostra, locum, & pondus habeant, quod merentur.

11 Nunc dicendum de insignibus privilegiis, quibus decorata fuit à Romanis Cæsena, quando in eorum potestatem transivit, & Colonia deducta est. *Nam Senensem Coloniam ad superum mare fuisse vacationis, & immunitatis concessione firmatam, ex Livio patet* (21). Bino igitur munerata est privilegio, & *Immunitatis*, & *Vacationis*. Quid sibi autem velit *Immunitas*, attende. Solitum erat, ut singulæ Coloniæ annuam pensionem penderent populo Romano: à quo eximebantur tali onere illæ, quibus indulgebatur privilegium Immunitatis. Et ità Livius Drusus tribunus plebis duodecim Colonias deduxit, remisso debito pensionem annuam eidem populo persolvendi: qua de re Plutarchus (22), & ex eo Alexander ab Alexandro (23).

12 Immunitas itaque erat *exemptio*, *& vacatio munerum*, *& onerum* (24). A' quibus eximebantur qui eadem donati erant. Liberum enim sibi esse autumabant Romani urbibus, & locis in eorum potestatem venientibus, eas conditiones adiicere, quas pro suo beneplacito mallent (25). Et ita dare, vel negare privilegium immunitatis: quod si concedebant limitatè ad aliquem effectum, exem-

[21] *Ex Tito Livio hist. lib. 27 Scip. Claram. hist. Cæsen. lib. 4. in fin. f. 158.*

(22) *Plutarc. in Vita Graccorum.*

(23) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 4. cap. 10. f. 489.*

(24) *Nizol. Thes. Ling. Latin. V. immunis.*

(25) *Merul. Cosmogr. p. 2. lib. 4. cap. 19. f. 807. C.*

exemptionem ab oneribus non capiebat. Undè quantumlibet Iliensibus *plenissimam immunitatem dedissent, ut tutelę, curęque excusationem haberent*, scilicet ut nec fungi tutoris, neque curatoris munere cogerentur eorum pupillorum, qui non essent Ilienses (26); non inde tamèn adepti sunt immunitatem ab oneribus, & tributis: nam eam postmodum adipisci à Claudio Cæsare meruerunt (27).

(26) *Alex. ab Alex. loc. cit. & ibi Tiraquel. K.*
(27) *Sueton. in Claudio c. 25. Tacitus lib. 12.*

13 Erat & tributum capitis, necnon tributum soli, quæ ambo Coloniarum incolæ persolvere tenebantur. Ab utroque autem semel adeptum *Jus Italicum* eximebat: quantumvis Jus istud *alia* quoque *privilegia contineret præter plenariam immunitatem soli, ac capitis: quæ quidem consistebant in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali exceptione, in jure capiendi, aliisque actibus, qui in Coloniis juris Italici fieri poterant eo jure, quo in Italico solo celebrabantur* (28): Sed & poterant urbes, ac loca esse Coloniæ Romanorum, & nihilominus itidem esse privilegio juris Italici destitutæ (29). Cum igitur Cæsenæ, tunc Senæ civitas, nedum Coloniarum albo fuerit à Romanis adscripta; verum etiam concessione Immunitatis absque ulla restrictione insignita, sequitur quod eidem collata fuerint omnia privilegia mox recensita,

(28) *Noris Epoc. Syromaced. dissert. 4. cap. 5. §. 2. fol. 359.*
(29) *IdemCardin. ibidem.*

14 Hæc de significatione *Immunitatis* indultæ Cæsenatibus. Nunc de privilegio *Vacationis*: quam non utcumque, sed sub *sacrosanctæ* titulo adepti sunt: Nam *Colonia Senensis vacationis privilegio fuit insignita, afferente Livio* (30), prout notat Claramontius (31). Pro vacatione autem intelligendum venit cum Tullio, exemptio, cessatio, *vacatio laboris, & sumptus, & militiæ, & rerum omnium* (32). Cur vero *sacrosancta*? quia non à Tribuno plebis, non à Consule, non à Dictatore, non ab alio, cui adesset jus deducendi Colonias; sed simul Senatus consulto, & Plebiscito, parilique decreto Senatus Populique Romani, eadem Sena, nunc Cæsena, deducta fuit Colonia, & privilegiis Immunitatis, ac Vacationis peculiari-

(30) *Livius hist. lib. 27.*
(31) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 2. in fin. f. 94.*
[32] *Ciceron. in Verrem 204.*

liaritèr insignita. Etenim,ut ait Cicero: *Sacrosanctum nihil esse potest, nisi quod per populum, plebemve sancitum est*(33).

15 Ea igitur majore, qua fieri potuit honorificentia, civitas Cæsenæ in potestatem Romanorum transivit, adepta prius prærogativam Coloniæ, ac privilegiis magis conspicuis insignita: *Exemptionis* à tributis capitis, & soli: *Immunitatis* ab annua pensione, oneribus, & stipendiis: denique *Vacationis*, & quidem *sacrosanctæ*, per quam opera, & labores præstare, milites exhibere, ac militiæ nomen dare non tenebatur. Successivoque tempore assecuta est rem, & titulum Municipii. Porrò privilegium illud, Vacationis, inquam, *jure meritò huic Coloniæ concessum* fuit à Romanis, *cum inter populos, vel inimicos, vel suspectos conderetur: ex altera enim parte Boii, ex altera Veneti certè inimici: ab ortu Picentes nondum domiti: ab Austro autem magno montium tractu à Romana ditione separati, & ob longam ab Urbe distantiam, & interpositos Etruscos, imprompta subsidia* (34).

16 Ad tempus quo Cæsena suberat Romanæ Reipublicæ, ac Municipii, Coloniæve, honore perfruebatur, esse referendæ videntur plures lapidariæ Inscriptiones, quæ apud illam inventæ sunt: ac præsertim, quæ subsequuntur, nullum præseferentes indicium, per quod ad aliam ætatem sint rationabiliter traducendæ. Primam inseruit suo marmorum antiquorum thesauro Janus Gruterus, tamquam existentem Cæsenæ: ac ita se habet (35).

D. M.
C. FONTEJO SPURIANO. FONTEJUS.
DIONYSIUS. ET AURUNCEJA. FLORA.
FEC. ET. SIBI POSTERISQ. SUORUM.
NEC. GRAVIVS. POTE. NEC. BREVIVS. SVPERANTE.
PARENTE
HIC. JACET. AETERNA. FILIVS. IN. REQVIE.

(33) *Idem Cicer. pro Cornel. Bald.* 62.

(34) *Claram. Histor. Cæsen. lib.* 2. *in fin. f.* 94.

(35) *Gruter. Inscript. Roman. fol.* 684. *num.* 8.

17 Cujus tenor est iste : *Diis Manibus Cajo Fontejo Spuriano, Fontejus Dionysius, & Aurunceja Flora fecerunt, & sibi, Posterisque suorum*. Idest, Fontejus Dionysius pater, unà cum Aurunceja Flora illius uxore, fecerunt sepulchrum cum hac adposita Inscriptione, Cajo Spuriano ipsorum filio prædefuncto : nec non sibi, posterisque suis. Idioticè, minusque propriè, dictum est Iy *suorum*, pro *suis*, vel *eorum*. Subditurque separatim literis minoribus distichon expressivum affectionis parentum in filium sibi morte subtractum. Cum enim displaceat hominibus pati, gravia sunt, & amittere quę grata, binis illis carminibus innuitur, sepultum ibi esse filium, cujus festina morte, parentes non habuerunt malum ullum gravius, nec bonum ullum breviùs, quod illis potuerit advenire.

18 Aliam Inscriptionem recenset Cęsar Brissius in sua relatione civitatis Cæsenæ ad Clementem Papam VIII. inde transeuntem : aitque, lapidem hunc ętate sua extitisse in Ecclesia Cathedrali, pavimento illius insertum, prope Altare Visitationis Beatæ Virginis, & sic loquentem (36).

(36) *Brissius Relat. Cæsen. ad Clem. VIII. fol. 35.*

JUNIA TULLIA V. F. SI-
BI ET JUNIO NEPOTI
CONJUGI ET FILIIS
H. M. H. N. S.
SI QUIS HANC ARCAM
APERUERIT DABIT
IN FISC. CAES. HS. N. LX.

19 Idest, *Junia Tullia vivens fecit* (istud sepulchrum) *sibi, & Junio Nepoti conjugi suo* (Nepoti hic significat non agnationem, sed nomen proprium, seu cogno-

gnomen mariti) & *filiis* suis. *Hoc monumentum hæredem non sequitur. Si quis hanc arcam aperuerit, dabit* (seù persolvet) *in fisco Cæs. sestertia numero sexaginta*. Istud sepulchrum fuit ex illorum specie, quæ dicebantur familiaria, seù gentilitia, nec faciebant transitum ad hæredes extraneos. Qua de re Jacobus Gutherus agit, de Jure Manium (37). Hocque in epitaphio pæna præscribitur, qua mulctari deberent violatores illius, in sexaginta sestertiis fisco applicandis. Quæ indictio mulctæ subeundæ frequens legitur in memoriis sepulchralibus.

(37) *Jacob. Guther. de Jur. Manium lib. 3. cap. 8.*

20 Difficultas est, cuinam fisco pæna comminata persolvi deberet? Nam abbreviata illa vox CAES. tam significare apta est *Cæsenæ*, vel Cæsenati, quam *Cæsaris*. Et equidem quoniam Cæsena, Reipublicæ Romanæ tempore prius Colonia, inde Municipium erat, ut supra probatum est: adeòque propriis legibus municipalibus vivebat; ex consequenti fiscum quoque proprium obtinebat, cui possent mulctæ applicari. Porrò pænam pendendam cuidam Coloniæ, à prævaricatoribus interdicti, marmore in funereo denotati; reperire est apud præfatum Gutherum (38). Cumque lapis, de quo hic sermo est, apud Cæsenam consisteret; pro rato, seù admodum verisimili habendum est, quod mulcta in eo contenta, exhibenda esset fisco ejusdem Civitatis. Verum si quis probaret, ly CAES. in hoc loco significare fiscum Cæsaris; tunc ista Inscriptio pertineret ad tempora succedentia, in quibus post oppressam Rempublicam Romanam, jam Cæsares imperabant.

(38) *Idem Guther. loc. cit. lib. 2. cap. 20. f. 285.*

21 Tertia Inscriptio itidem habetur apud Gruterum (39): Et eam quoque ad mox indicata vetusta tempora pertinere censemus

(39) *Gruterus Inscript. pag. 912. num. 5.*

C. FUFICIO
VALENTI SARC.

Idest *Sarcophagus*, *Cajo Fuficio Valenti* addictus, vel præparatus, aut deputatus: figura Synecdoche supplen-

plente verbum subintellectum. Propriè Sarcophagus lapidem significat, in quo *corpora defunctorum condita infra* 40. *dies consumuntur* (40). Fortè conditorum Cajo Fuficio præparatum erat ex hoc lapide. Tamen quia translatè Sarcophagus etiam significat omnem loculum sepulchralem (41); Inscriptio intelligi potest simpliciter de conditorio quocumque, monumento, aut loco, in quo post mortem Fuficii reponendum esset ejus cadaver. Quæ tamen vera sunt, nisi ultimæ vocis literæ sint præposteratæ: ac loco SARC. debeant dicere SACR.. Tunc enim significarent *Sacrum*: indicantes Inscriptionem, sive monumentum illud ethnico more fuisse consecratum *Cajo Fuficio Valenti*, sive illius memoriæ.

[40] *Isidor. Origin. lib.* 16. *cap.* 4.

(41) *Nicol. du Mortier. Etymol. V. Sarcophagus.*

22 His addimus Laterculum fictilem repertum nuper in villa S. Martini in Bagnolo, & continentem hæc verba

P. RUTILI. C. L.

Idest corpus, vel tumulus, aut loculus *Publii Rutili Caii Liberti*. Etiam libertis namque Inscriptiones publicæ erigebantur, ut passim legitur in thesauro lapidario Gruteriano. Nec obest, quod hic adsit Prænomen Publii: Quippè Liberti quoque poterant uti prænomine apud populos, urbes, & gentes Quiritibus subjectas, atque Romano more viventes.

CA-

CAPUT IX.

De *Sacris*, & Religione Cæsenatum sub temporibus Ethnicorum.

SUMMARIUM:

1 *Nulla natio fuit absque Religione. Ethnici sibi multos proponebant Deos colendos.*

2 *Quosnam Deos venerarentur Cæsenates, tempore, quo vigebat Gentilitas?*

3 Liberum Patrem *colebant, idest Bacchum, qui variis denominationibus vocabatur.*

4 *Hoc Numen præerat vineis, & vino: quibus cum abundarent Cæsenates, illum venerabantur.*

5 *Aderat ibidem* Templum Pietatis. *Memoretur sacra ædes Deiparæ de Monte.*

6 Templum Pietatis *erat in colle Garampeo. Quisnam sit iste Collis, & Via ejusdem nominis.*

7 *Cur Cæsenates cultum Ethnicum adhiberent deitati memoratæ Pietatis?*

8 *Erat Romæ templum Pietatis in foro* Olitorio: *quod quanam occasione fuerit excitatum?*

9 *Kalendis Maii offerebantur quoque Sacrificia* Minervę Suariæ, *dicto in colle Garampeo.*

10 *Refertur antiqua Inscriptio M. Coucii, & ejus verba explicantur.*

11 *Minervæ templum illud erectum fuit, velut custodi. Cæsenates ad studia literarum sunt acclines.*

12 *Ager Cæsenas abundat Olivetis, & has arbores Ethnici putabant subesse patrocinio Minervæ.*

13 *Varia epitheta, & tituli Minervæ.* Suarii *quinam essent? Quibusque diis suę victimę censerentur deputatę.*

14 *Duos*

14 *Sues in fœderibus, & sponsalibus mactabantur. Item Jovi, Junoni, Cereri, & aliis numinibus.*

15 *Apud Cæsenam Minerva dicebatur Suaria, à suibus ei litatis, post ritus ambarualem, & amburbialem.*

16 *Colli Spatiano inerat fanum* Jovis Osirii, *qui reddebat Oracula, fiebantque illi sacrificia, & ludi.*

17 *Innuuntur antiquæ Inscriptiones positæ in isto colle: ac signanter una erecta* P. Crassinio.

18 *Cur idem collis vocaretur Mons sacer, & Saltus Spatiani? Aliaque de illo.*

19 *Cujusnam esset formæ Jupiter Osirius Cæsenatum; ignoratur: quorumdam aliorum locorum, scitur.*

20 *Osiris quia rei agrariæ præsidens, & segetum frugifer censebatur; ideo à Cæsenatibus colebatur.*

21 *Fabius Maximus, Marcellus, & Flaminius Coss. ei cultum, & spolia opima exhibuerunt.*

22 *Varia Oracula memorantur, quę dabant responsa: ut plurimum verbis, vel in sensu ambiguo.*

23 *Paulus, seu Publius Æmilius, & Otho Imperator oraculum poposcerunt à Jove Osirio apud Cæsenam.*

24 *Sacrificia, oracula, ludos, ad hoc numen pertinentes Christiana fides abolevit.*

1 VItam religione constare, censuit Plinius (1) Et usque ad nostra tempora non fuit ulla natio, vel populus ità ferox, & barbarus, omnique humano cultu, & sociali commercio aliorum hominum destitutus, qui Numen aliquod non sibi proposuerit adorandum. Quinimò Ethnici non unum, sed multos Deos colebant: & *magnam sibi videbantur assumpsisse religionem, quia nullam respuebant falsitatem* (2). Tot sanè, ac tales, quot, & quales volebant, etiam stupidos, ridiculos, & pudendos deos pro libitu sibi vana superstitione fingebant: intantum, atque tam ingenti numero, ut *major cælitum populus etiam, quam hominum intelligi posset* (3). Cæsenates igitur tempore Paganorum, Italicis imbuti moribus, Italorum religioni vacabant,

(1) *Plin. Hist. Natur. lib. 14. cap. 19.*

(2) *S. Leo Serm. 1. Natal. S. Petr. & Paul.*

(3) *Plin. lib. 1. cap. 7. post init.*

bant, colentes deos, quos sibi sperabant futuros esse propitios.

2 Quotnam autem eorum foverent superstitionem, incerta res est, & facilius recenseri possunt numina, quibus inani cultu serviebant, quam quibus minimè famulabantur. Cernere est apud Reinesium lapideum monumentum, ab eo recensitum, velut extans Cęsenę, hoc modo (4).

(4) *Reines. Inscr. antiq. clas. 1. n. 109.*

LIBERO PATRI SACRUM
C. FUL. EUTYCHUS

Urnam represéntat hic lapsis, erectam à Cajo Fulvio Eutycho, & dicatam, sivè consecratam Libero Patri. Aut melius, in hac urna collocatum fuit cadaver Caii Fulvii Eutychi, & pro more illorum temporum, suppositum tutelæ, ac patrocinio Liberi Patris.

3 Discimus ex hoc, quod Cæsenæ cultus adhibebatur numini, præseferenti denominationem *Liberi Patris*, & hic erat Bacchus: in quo solo cunctos alios paganismi deos Ægypii recognoscere visi sunt (5): Variisque solebat pro diversitate locorum, nominibus appellari (6). Ex quibus notare sit satis hic nomen *Liberi*, & nomen *Osiris*. De primo loquitur Horatius: *Parce Liber: parce gravi metuende thyrso* (7). De secundo unà cum aliis cecinit Ausonius, *Ogygia mè Bachum vocat, Osirim Egyptus putat, Mystæ Phanetem nominant, Dionyson Indi existimant, Romana sacra Liberum, Arabica gens Adoneum, Lucaniacus Pantheum* (8). Bacchus ergò Romano more apud Cæsenam *Liberi* nomine, seu epitheto fruebatur.

(5) *Morer. dict. histor. V. Bacchus.*

(6) *Nizol. Thes. ling. Latin. V. Bacchus*

[7] *Horat. Carm. ode 19. lib. 2.*

(8) *Ausonius Epigram. 30.*

4 Quæres, cur à Cæsenatibus Libero Patri potissimè, seù Baccho, cultus superstitiosus adhiberetur? In promptu responsio est: quia Bacchus deus vinearum, & vini ab Ethnicis putabatur (9): Undè *consitor uvæ Bacchus* dicitur à Ti-

[9] *Ludovic. Morer. ubi supr.*

à Tibullo (10). Et vinum appellatur *humor Bacchi* à Virgilio (11): *Munus Bacchi* ab Ovidio (12): *Sapor Bacchi* ab eodem Virgilio (13). Cæsena autem abundabat olim, & abundat nunc quoque vineis, atque optimo vino: ut cum Seneca Tragico tutò valeat nuncupari, *Ferax Bacchi tellus* (14). De qua & carmen circumfertur;

Dulcia felicem cingunt Vineta Cesenam.

Et Cæsenatia vina inter generosa à Plinio recensentur (15). Jure meritò igitur numen vino, & vineis præsidens, pro more illorum temporum, colebant Cæsenates, vino jucundissimo, & vineis fœcundissimis abundantes.

(10) Tibul. 2. Eleg. 3. 14.
(11) Virgil. 2. Georgic. 19.
(12) Ovid. de Remed. amor. 82.
(13) Virgil. 4. Georgic. 21.
(14) Senec. in Hercul. furen. 9. 16.
(15) Plinius lib. 14. cap. 6.

5 At verò non illi unicæ deitati, sed pluribus, more aliorum Ethnicorum, tunc Cæsenæ cultus adhibebatur. Erat ibi etenim ędes quoque religiosa, sic in marmore memorata,

TEMPLUM
PIETATIS

Hanc inscriptionem refert Cæsar Brissius (16), uti sumptam ex Aldo Manutio: eam refert, inquam, in sua Relatione Cæsenæ, oblata Clementi Papæ VIII. Asseritque brevem hanc inscriptionem inhæsisse pavimento Ecclesiæ gloriosissimæ Virginis Mariæ, quæ de Monte nuncupatur, & cui adjacet Cænobium Monachorum Casinensium, Congregationis S. Justinæ.

(16) Cæsar. Brissius Relat. Cæsen. f. 34.

6 Rè vera tamen quidquid sit, an istud saxum quandoque fuerit translatum ad Ecclesiam ipsam; *Templum Pietatis* à præfato marmore connotatum, erat erectum super colle Garampeo, ubi olim constituta existebat pars præcipua civitatis Cæsenæ, antequàm traduceretur ad planitiem, ubi nunc omnibus patet. Collis autem Garampeus est ille, qui exeuntibus à Porta S. Mariæ, ac euntibus dextrorsum, incipit assurgere prope Ædiculam, sitam in angulo nemoris Fratrum Minorum Observantium, &

secus

secùs viam, itidèm Garampam appellatam, tendit versus Ecclesiam S. Georgii in Petriolo. Cujus viæ testis est lapis eidem Ædiculæ insertus, & ità resonans.

INITIUM
GARAMPÆ VIÆ
QUAM PRIMARIUM
APENNINI PEDEM
STATVUNT TIBI
INDICARE

7 In isto colle Garampeo constitutum extitisse *Templum Pietatis*, antiquiora referunt patria monumenta, & præsertim Chronicon manuscriptum Cæsenæ (17). *Nam quantum ferro, tantum pietate potentes* (18), Incolæ Cæsenæ Pietatis numini templum erigendum esse duxerunt hoc in loco, tunc magis referto affluentia populi: ut pietatem exercere discerent, qui Pietatis deitati cultum adhibebant: Et incolas ipsius Civitatis ad arma proniores; *tantæ pietatis imago* (19), mites redderet, ac pacatos. Cumque Pietas quandoque Fortunæ primigena meruerit appellari (20); consultum censuit Cæsena fortunæ civium suorum; si templum haberet, in quo divinos honores Pietati exhiberentur.

(17) *Chronic. M. S. Cæsen. f.8. & 73.*
(18) *Propert. lib.3. Eleg.22. 5.*
(19) *Virgil. Æneid. lib.6. 81.*
(20) *Gruter. Inscript. f.76. num. 8.*

8 Etiam Romæ aderat olim templum numini Pietatis Æthnica superstitione dicatum: quò fortè se contulerat Agricola; dum de illo recenset Tacitus, quod *ad solemnia Pietatis profectus* erat (21). Occasionem erectionis ejusdem Romani templi attribuit Plinius filiæ, quæ matrem pauperem inclusam carceri, suis uberibus aluit, ne fame periret. Quo filialis pietatis prodigio comperto, *locus ille eidem consecratus est deæ, C. Quintio, & M. Attilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carce-*

(21) *Tacit. in vit. Agricol.*

 ris

ris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est (22): In foro nempè Olitorio. Quem cultum igitur habuit Romæ numen Pietatis; obtinuit & in aliis locis, ac signantèr in civitate Cæsenæ. Sed quandonam, & qua occasione hic fuerit erectum hujusmodi Templum Pietatis, ignotum est.

9 In ipsomet colle Garampeo exhibebatur quoque cultus *Minervæ Suariæ*: cui potissimè Kalendis Maii annua sacrificia, & quidem ritu solemnissimo, litabantur. Deindè ludi addebantur pomposa forma celebrati more Etruscorum: uti perhibet Chronicon manuscriptum Cæsenæ (23): Testaturque illius historicus Claramontius hisce verbis: *Diù Cæsenæ permanserunt Sacrificia Minervæ in Garampæ colle Kalendis Maii* (24). Cujus quidem numinis ibí aderat peculiare delubrum, jure meritò in frequentiori tunc loco urbis erectum: eo modo quo etiam Romæ, Minervæ fanum assurgebat in Capitolio (25): ut memoria deitatis, à qua utile sibi patrocinium tota civitas, tametsi perperàm promittebat, populo commodum, spectabile incolis, & cunctorum pietati, atque religioni obvium haberetur.

10 In ipso Garampeo colle, ubi erat Minervæ Suariæ fanum, fuit quondam casu reperta memoria sequens (26).

M. COVCIVS M. F. CAM.
EROTIANVS DEC· COL·
CENT. M. R· SIBI
VALERIAE BENIGNAE
CONJVGI INCOMP. CVM
QVA VIX· AN· XX. V. P.

Cujus memoriæ sensus est iste: *Marcus Coucius Erotianus Marci filius, Tribus Camillæ, sivè Camillinæ, Decurio Collegii Centonariorum Municipii Ravennatis, sibi, &* Vale-

(22) *Plin. lib. 7. cap. 36.*

(23) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 4. & 8.*

(24) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. f. 130.*

(25) *Plinius lib. 35. cap. 10. post. med.*

(26) *Chronic. M. S. Cæsen. f. 75.*

Valeriæ Benignæ Conjugi incomparabili, cum qua vixit annos viginti, vivens posuit.

11 Minervæ tam sublime templum, ac in loco potiori suæ civitatis, erexerunt Cæsenates: *Primò*, ut eam patronam haberent, tutricem, atque custodem. Nam etiam Romæ, in Capitolio, ubi cultus adhibebatur huic ipsimet numini, superscripta patebat epigraphe: *Minervæ Urbis custodi* (27). Sed & *secundò*, quia ipsimet Cæsenates ad scientificas facultates erant acclines (proùt sunt & modò, foventes scientias, literariis curis addicti, generalem Universitatem cum multis publicis Lectoribus obtinentes: nec non tria Collegia Doctorum, lauream doctoralem in præcipuis Doctrinæ speciebus conferentia); ideòque colenda illis proposita fuit in peculiari templo Minerva studiorum tutelaris: ut ità & ipsi eò libentius operam darent studiis, quo propitiam sibi facere posse censebant eandem deitatem, in præfato templo invocatam: & hæc eò promptius tale ipsorum propositum adjuvaret, quo eosdem sibi experiretur esse devotos.

(27) *Plutarc. in vit. Ciceronis.*

12 Prima causa *religiosa* fuit. Secunda, *politica*, seù civilis. Quibus accessit etiam tertia, *æconomica*, inde petita, quod ager Cæsenas amænis collibus, & interjectis valliculis abundans, multis olivetis, & oleis consitus erat illa ætate (ac nostris quoque temporibus est) feracibus valdè, tantundèmque proficuis, uti parantibus oleum, non ad usum tantum nostræ civitatis, verùm etiam ad ineundum ex eo commercium cum aliis locis, tùm finitimis, tum remotis. Et quia Cæsenatum intererat conservatio, ac fructificatio harum arborum; ideo templum erexere Minervæ: cui oleæ sacræ sunt (28): quæ illarum inventrix dicitur (29): quam denique hujusmodi plantarum protectricem Ethnici, pro more suorum temporum, judicabant.

(28) *Plinius lib. 12. cap. 1. in princip.*
(29) *Virgil. 1. Georgic. 4.*

13 Porrò Minerva multis denominationibus, & epithetis affecta reperitur: Dicta enim fuit Trigemina, Glaucopis, Assisia, Dictynna &c. (30). Titulum item sortita est

(30) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 6. cap. 4. fol. 853.*

est Sociæ, Sanctæ, Fatidicæ, Palladiæ, Medicæ (31). Item Memoris, Bellisamæ &c. (32). Apud Cæsenam verò cognomen obtinebat *Suariæ*. Profectò à suibus, qui ejus in honorem quotannis Kalendis Maii potissimè sacrificii nomine mactabantur: educati, & impinguati ad hunc effectum, ac ministrati à *Suariis*, de quibus mentio est in antiquis lapidibus (33): ab exercentibus nempe mercaturam pecoris suilli. Cui negotiationi operam dantes, vocabantur Ordines, qui Suariam faciebant (34). Etsi enim *omnibus fere diis suæ victimæ, & suæ sacra constituta* essent, *quæ præteriri, & transgredi non erat fas* (35): & consueta hostia Minervæ immolanda, esset capra (36); tamen hæc non erat lex obligans cunctas Ethnicas gentes: cum constet, pro diversitate locorum, diversas quoque hostias consuevisse litari.

[31] *Reines. Inscript. class. 1. n. 26. 127. 128. 143. 291.*
[32] *Gruter. Inscr. Roman. f. 1067. num. 3. & 4.*
(33) *Idem. fol. 361. 1. & 647. num. 7.*
(34) *Idem ibidem f. 647. n. 7.*
(35) *Alex. ab Alex. lib 3. c. 12. f. 344.*
(36) *Plin. lib. 8. cap. 50.*

14 Adhuc, & hoc intelligendum fuisse videtur, salva libertate sues pro victimis adhibendi: *Nam à suilli pecoris genere immolandi initium Romæ primum factum, eo argumento, quod sus in fœderibus, & sponsalibus adhibetur* (37). Hinc diis, & deabus Pani, Jovi, Matutæ, Junoni, Cereri, aliisque similibus numinibus, sues, verres, porcas litari consuevisse, refertur (38). Laribus item sus mactabatur: undè Horatius *immolet æquis hic porcum Laribus* (39). Telluri pariter similis hostia offerebatur: de qua idem Vates:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant (40).

Si quoque lustrandus esset exercitu, non solum hirci, oves, ac tauri, sed & etiam sues poterant in usu esse pro lustrantium beneplacito (41). Ut inde colligas, quantoperè suillæ victimæ sacrificiis Ethnicis aptarentur.

[37] *Alex. ab Alex. loc. cit. fol. 347.*
(38) *Idem Alexand. loc. cit. & f. 344. 347. 348. 349.*
(39) *Horat. lib. ser. 2. satyr. 3.*
(40) *Idem lib. Epist. 2. epist. 1.*
(41) *Titus Livius 1. dec. lib. 1. Dionys. Halicarnas. lib. 4.*

15 Minerva igitur, quæ in colle Garampeo Cæsenę habebat delubrum, & ibi more paganico colebatur, epithetum *Suariæ* à suibus est sortita, quotannis eidem solitis immolari, (saginatis prius, & ministratis à Suariis) postquam ambaruali, vel amburbiali ritu fuerant circumducti. Amburbiale sanè sacrum erat, cum hostia, rei divinæ

causa,

causa, lustrabat urbem, circa ipsam prius ducta, quasi eandem urbem ambiens. Ambarvale verò, cum arva, & segetes lustrabantur, velut ambiente victima campos: eademque victima solebat suilli gregis esse, tametsi posset etiam ex ovina, vel alia specie pecoris adhiberi (42). Fiebant autem hæc sacra Minervæ à Cæsenatibus potissimè Kalendis Maii, & fortè aliis quoque vicibus, sive diebus per annum. Addebantur prætereà & ludi, de quibus nulla tamen memoria superest, cujusnam essent speciei.

(42) *Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 5. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 12. fol. 346. & lib. 5. cap. 27. fol 896.*

16 Garampeo colli alius oppositus assurgit mons versus Orientem, dictus antiquo nomine *Saltus Spatiani, & Mons sacer* (nunc verò mons S. Mariæ, ubi sumptuosissima Ecclesia existit, ut supra innuimus, eidem B. Virgini consecrata, & insigni adjuncta Conventui Monachorum. In isto, inquam, colle, vigente pagana superstitione percelebre delubrum existebat *Jovi Osirio* dedicatum, cui quotannis, recurrentibus Kalendis Augusti, sacrificia peculiaria offerebantur: ludi gladiatorii exercebantur: & numen illud Oracula reddebat omen deposcentibus ab eodem (43). Memorat illud etiam Scipio Claramontius, recensens, quod *Cæsenæ diu permanserunt sacrificia &c. Kalendis Augusti in monte sacro, olim saltu Spatiani, Jovi Osirio: ubi etiam sueta reddi Oracula scribitur, usquè ad felicem Redemptoris victoriam, qua Satanas sæculi princeps victus, & ejectus fuit* (44). Idque contigit cunctis Oraculis. Quorum unum interrogatum cur sileret; ità respondit apud Nicephorum lib. 1. cap. 17.

(43) *Chronic. M.S. Cæsen. f. 5. f. 8. fol. 10.*

(44) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. f. 130.*

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

17 Hic est *mons* ille *sacer*, in quo Cæsenates erexerunt Inscriptionem, & statuam Aulo Lucretio Historico, ac Poetæ illorum civi: de quibus supra factus est sermo (45). Quo paritèr in loco alii reperti fuerunt antiqui lapides, continentes epitaphia funerea, & signanter hic, qui subsequitur (46).

(45) *Vide supr. c. 7. n. 1. 14.*
(46) *Chronic. M. S. Cæsen. f. 75.*

Hujus

D. M.
P. CRASSINIO MARTINIO
MIL. CHOR. III. PRET. S.T.M.
SEXTILIA SEMPLICIA CON.
INCOMP. CONJVGI SVO
KAR. DOL. P.
ET LIBERTVS. H. V. CRASSIN.
F. ET IPSE DOL. CVR.

Hujus epitaphii contentum est istud. *Diis Manibus Publio Crassinio Martinio militi Cohortis tertiæ Prætoriæ*, S.T.M. idest *sub tribuno militum*: vel *suscepto testamenti mandato*. *Sextilia Semplicia conivx incomparabilis conjugi suo karissimo dolens posuit. Et Libertus hujus viri Crassinius fieri & ipse dolens curavit*. Refert hanc inscriptionem etiam Gruterus, at aliquantisper variatam (47).

18 Cur collis iste vocaretur *mons sacer*, patet ex semetipso: erat enim clivus patulus, & supinus: atque ideò mons dictus est. In eo pariter templum honorabatur, & Idolum reddens oracula, recipiensque sacrificia, & ideo denominatus est sacer. Cur item nuncupatus fuerit *saltus Spatiani?* Hoc idcircò evenit, quia idem templum erectum fuerat in loco pridem patrimoniali hominis, cui nomen erat Spatianus: loco, inquam, clivoso, nemoroso, & arboribus opaco, unde titulum saltus adeptus est. Saltus enim idem est, ac ager (48), sed ager devexus, & obsitus silvis (49). In hisce namque umbrosis campis, & receptaculis, solebant Idolorum fana excitari, in quibus Pagani *lucos*, *& in iis silentia ipsa adorabant*, inquit Plinius (50). Undè invehuntur sacri Bibliorum libri contra eos, qui *fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum* (51).

(47) *Gruter. Inscript. Rom. f.539. n.5.*

[48] *Nizol. Thesaur. Ciceronian. V. Saltus.*

(49) *Du Mortier. Etymol. sacr. V. Libanus in med.*

(50) *Plin. Hist. Natural. lib. 12. cap. 1.*

[51] *Regum lib. 3. cap. 14. num. 15.*

19 In

19 In colle igitur, ſeu ſaltu Spatiani, erat delubrum, & in eo Idolum *Jovis Oſirii*. Cujuſnam autem formę illus eſſet ſimulacrum apud nos, non extat memoria. Alibi Oſirii *figura bovis depingebatur, cum ſolis, & lunæ characteribus: aut ſub ſpecie juvenis imberbis cum modiò in capite* (52). Rem aliter tradit Alexander ab Alexandro inquiens: *Ægyptii quum Oſirim, quem ſolem, & maximum deorum nuncupant, effingere contendunt, Sceptrum, in cujus ſummo oculi ſpecies inerat, effixerunt. Serapidi vero modium apponunt ſupra caput* (53). At utcumque hoc negotium ſe haberet, Oſiris, Serapis, Jupiter &c. unum & idem erant, vel fuiſſe cenſebantur, ſub his diverſis, imò & aliis adhuc nominibus, pro diverſitate locorum (54). Unde quidam.

Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſirim (55).

20 Jupiter verò apud nos ſuperadjecta denominatione vocabatur Oſiris, ſive Oſirius, à proprietate, quam ſolebat antiquitas attribuere huic numini: vocabatur enim frugifer: & ita cecinit Statius: *Seu præſtat Oſirim frugiferum &c.* (56). Multarum etiam rerum, quæ ſunt humano uſui neceſſariæ, inventor extitiſſe putabatur Oſiris, recenſitæ his verbis à Tibullo.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cedere falce comam &c. (57).

Rei agrariæ itaque præeſſe, ac abundantiam ſegetum cauſare poſſe Oſirim putabatur. Et ideò Cæſenates colendum ſibi propoſuerunt Jovem, qua Oſirium, ut lautas è propriis agris ejus patrocinio ſegetes obtinerent.

21 Cæſenæ conſtitiſſe per aliquod ſpatium temporis *Fabium Maximum*; ibique Jovi Oſirio cultum adhibuiſſe pro more illius ætatis, ethnica ſuperſtitione, referunt antiqua noſtra monumenta: quando pro tuenda rè

N Roma-

(52) *Du Meyxtier. Etymolog. Sacr. V. Serapis.*

[53) *Alex. ab Alex. Genial. l.4.c.12.f.514.*

(54) *Fabret. Inſcript. cap. 6. n.102.f.456.E.*

[55] *Martian. Capel. l.2.*

[56] *Statius lib.1. Thebaid. in fin.*

(57) *Tibul. l.1. Eleg. lib.7.*

Romana tunc nutante, hùc illùc declinando, Hannibalis furorem prudenti sua cunctatione compescuit: idque accidisse anno V. C. 537. ante Christi ortum 178. (58). Notant & quod *Marcellus* quoque, atque *Flaminius* Consules anno V. C. 530. & sequenti, ante Christianam Æram 184. (post superatos Gallos Bojos, & Insubres non longe ab Eridano) transeuntes per Cæsenam, eidem Jovi Osirio, præter exhibitum sacrificium, spolia etiam opima obtulerunt (59). *Opima* vero spolia dicebantur, quæ dux duci, cujus auspicio bellum gerebatur, detraxerat (60). Hæcque *nisi duces, regesque, quorum auspicio res geruntur suismet corporibus dimicantes, hostium ducibus detraxerint, necemque & exitium intulerint, haud quaquam opima dici voluere* (61). In hoc autem bello Virdumarus rex Gallorum trans alpinorum auxiliarius Insubrorum, & Bojorum, fuit à Marcello dimicante, fortissimè trucidatus (62).

(58) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 10.*

[59] *Idē Chron. eodem loco.*

[60] *Tit. Liv. dec. 1. l. 4.*

(61) *Alex. ab Alex. Genial. l. 1. c. 14. f. 57.*

[62] *Petav. Ration. Temp. p. 1. l. 4. c. 2. in fin.*

22 Nec omittendum, quod præfatum Jovis Osirii simulacrum fatidica Oracula postulantibus exhibebat: ut hinc intelligas, & ipsum magno in honore fuisse, ac urbi Cęsenati existimationem parilem conciliasse. Porrò volitat per ora hominum fama locorum, ubi ethnica numina responsa dabant, & oracula sciscitantibus referebant: uti Apollinis in Delpho, Jovis apud Dodonam, Apis in Ægypto, Dianæ Ephesiæ, Cereris Rhodiæ, Junonis Numiditæ, Veneris Thebanæ, Cybelis Dindimeæ. Oraculum item Clarium in Jonia, Pelleum in Macedonia, Hammonium in Marmarica, Chrysopolitanum in Bithynia, Pataræum in Lycia, Sinopeum in Paphlagonia &c. (63). Denique Oraculum illud Fauni: de quo Virgilius,

Hinc Italiæ gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt (64).

Frequentes vero erant simul, & superstitiosi Antiqui in hisce Oraculis captitandis (65): tametsi ut plurimum effutientibus responsa implexa, involuta, & sensu ambiguo illudentia propositum postulantium (66).

(63) *Vide Alexand. ab Alex. l. 6. c. 2. Ferrar. & Baudrandus Lexic. Geograph. V. Oraculū Messia Selva di curios. p. 7. c. 7.*

[64] *Virgil. Æneid. l. 7.*

(65) *Ezech. cap. 21. n. 21. & ibi Expositores*

(66) *Vide hic infr. c. 10. n. 10. item Alex. ab Alex. Genial. loc. cit. Cornel. à Lap. in Isai. c. 41. n. 23.*

23 Re-

23 Referunt patria nostra monumenta, quod præfato idolo Jovis Osirii, pertransiens Cæsena, sesè obtulit *Paulus Æmilius* dux celeberrimus Romanorum, qui postea vicit Persæum regem Macedonum anno V. C. 586. præcedentèr ad Christi adventum 168. (67) antequàm expeditionem quamdam bellicam susciperet sibi commissam: & quod ibidem poposcit oraculum de belli eventu, ac de futura victoria (68). Verùm id fortè contigit non Paulo Æmilio, sed potiùs *Publio Emilio*, ituro contra Gallos Bojos. Idipsum notant operatum esse quoque *Othonem Imperatorem* venerando ipsum numen, & illius oraculum requirendo, dum signis elatis procederet contra Vitellium (69).

(67) *Petav. Ration. Temp. p. 1. l. 4. cap. 8. ante fin.*

[68] *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 10.*

(69) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 11.*

24 Denique addunt ea, quæ mox audivimus à Claramontio: nimirùm fuisse morem ludos ibi gladiatorios exercendi quotannis in honorem recensiti Jovis Osirii, dum recurrerent Kalendæ Augusti (70). Qui ludi, sacrificia, & oraculorum exquisitiones perseveraverunt, donec Fides Christiana omnes illas superstitiosas actiones radicitus extirpavit (71): Qua de rè S. Athanasius: *Olim omnia falsis vaticiniis plena erant, Delphis namque, Dodonsa, Beotia, Lycia, Aegyptus, Cabiria, & Pythia hujusmodi miraculis celebrabantur, erantque in honore, & admiratione mortalibus. Nunc vero, quando prædicatio Christi innotuit mundo, conticuere omnia, nec jam ullus apud eos vates, nulla furentium vaticinatio est* (72).

(70) *Vide ibid. fol. 5.*

(71) *S. Athanas. l. 2. de Incarnat. Verbi. Tertullian. lib. de anim.*

(72) *S. Athanas. lib. 2. de Incarn. Verbi.*



CAPUT X.

De Civitate Cæsenæ *sub Imperio* duodecim primorum Cæsarum.

SUMMARIUM.

1 *CÆsar trajecto Rubicone, ac victo prælio Pharsalico, Romanam Rempublicam oppressit.*

2 *Imperium ab eo inceptum, propagatum est in successoribus, qui omnes dicti sunt Cæsares.*

3 *Spreto titulo Regis, tamquam odioso, Cæsar assumpsit illum Imperatoris, velut mitiorem.*

4 *Cæsena suberat alto dominio Imperatorum. At regimen oeconomicum erat apud Indigenas.*

5 *Quid* Civitatis Ordo *significaret olim, ac quid* Pedani? *Differt* Populus *à Plebe.*

6 *Cæsar decem annis administravit Galliam Cisalpinam, quæ ab Apenninis tendebat usque ad Rubiconem.*

7 *Eodemque tempore per illam provinciam ventitabat usque ad idem flumen, ipsius finem.*

8 *Cæsena secuta factionem Marii vastationem passa est: & à Cæsare fuit restaurata: qui quandoque ibi constitit.*

9 *Perpenditur lapidaria Inscriptio, de* Rogato, *agens Liberto Augusti.*

10 *Erat inserta Turri Populi Cæsenæ. Interdùm transferuntur Inscriptiones de loco ad locum.*

11 *Mecænas amator Vini Cæsenatis, fautor literatorum, amicus Augusti. Ejus effigies.*

12 *Triumviratus Romanus quandonam coaluerit, & quinam essent illius articuli?*

13 *Cito desivit idem Triumviratus, & Augustus solus universo potitus est Romano Imperio.*

14 *Triumviri quandoque constiterant apud Cæsenam: & qua occasione?*

15 *Ponitur antiqua Inscriptio* Agrippinę &c. *aliquanto discordans à Gruteriana.*
16 *Genealogia Agrippinæ senioris: quam Tiberius Imperator ingenti odio persecutus est.*
17 Narcissus *Cæsenas Musicus, & Citharedus, valde gratus Neroni Imperatori, & musico.*
18 *Galba Imperator pluribus favoribus, & beneficiis Cæsenates affecit.*
19 *Otho Imperator pergens contra Vitellum, consuluit Jovem Osirium Cæsenæ, responsoque delusus est.*
20 *Oracula solebant dare ambigua responsa, & decipere consultantes. Jam defecerunt.*

1 OPpressa per Julium Cæsarem Romanæ Reipublicę libertate, post Rubiconem hostilitèr trajectum; & successivè victum fatale illud prælium, quo idem Cæsar Cneum Pompejum magnum in campis Pharsalicis superavit, anno V. C. 706. (1); versum est regimen politicum totius Urbis, & Orbis Romani, ex Democratico in Monarchicum: tyrannidè transeunte in titulum Imperii. Nàm ipse *Cæsar cunctis discordiis civilibus fessis, & tamquam bellorum civilium, quæ ipse confecerat, præmium, sub Principis nomine, totius ad sè Reipublicæ jus, & potestatem, atque imperium, quod ab initio Regum, post Magistratuum, Senatus, ac Populi* Romani *fuerat, in perpetuum transtulit* (2): ac prò suo arbitrio moderatus est, & retinuit, à die dicti prælii, per quadriennium circiter, usque ad obitum, in quem funestissimè impegit, anno ejusdem V. C. 710. ante Christi æram 44. Ipsomet Cæsare quintùm, & Antonino Consulibus (3).

2 Principatus in eo incæptus, ipso vitâ sublato propagatus est in Octavio ejus ex sorore nepote, aliisque deinde successoribus in dignitate, ac potestate: qui omnes ab illius nomine Cæsares dicti sunt (4): eo modo quo & à primis aliorum Regnorum fundatoribus, vel amplificatoribus, aliterve insignibus prædecessoribus, varii Reges cogno-

(1) *Petav. Ration. Temp. p. 1 l. 4. c. 18. f. 190.*

[2] *Panuin. Roma Princ. l. 1. in princ. Joan. Gualter. Chronic. to. 3. f. 11.*

(3) *Jo: de Pussieres Flos. Histor. p. 1. c. 9. fol. 167.*

[4] *Alex. ab Alex. Genial. l. 1. c. 2. in principi*

cognomenta sunt consecuti: proùt Atheniensium Reges, Cecropidæ (5): Albanensium, Sylvii (6): Armeniorum, Tygranes (7): Ægyptiorum, Ptolemæi (8): Longobardorum, Flavii: & alii aliarum gentium Reges cognomina susceperunt ab Antecessoribus nominum consimilium. Atque ita quoque ab Arsace, Reges Parthorum Arsacides appellati fuerunt (9); de quibus Lucanus (10)

Parthorum Dominus, quoties sic sanguine mixto
Nascitur, Arsacides, cui fas implere parentem.

3 Porrò Cæsar, tametsi ambitione nulli secundus, attamèn vel affectata, vel etiam fortè sincera moderatione animi, solum *Prænomen Imperatoris sibi arrogavit*. (quod & illius quoque successores observandum duxerunt) *nè in crimen, invidiamque inciderent: ac Imperatoris nomen, tamquàm titulum mitem, & honestiorem, abrogato Regis vocabulo, desumpsere* (11). Hoc modo emersit Romanum Imperium: & in Imperatorum absolutam, supremam, atque monarchicam potestatem transivit quidquid ex orbe terrarum, Romanæ anteà Reipublicæ subdebatur. Tunc ergò civitas quoque Cæsenæ parem fortunam sortita est cum aliis urbibus, quæ ultrà Rubiconem Romano nomini obtemperabant, postquam Regnum Gallorum Senonum, & Gallo Boicorum quoque dynastia prorsùs interiit: Galliaque tota, tùm cispadana, tùm transpadana, tamque cisalpina, quam transalpina, potestati cessit Quiritum.

4 Primi duodecim Imperatores, à Cæsare usque ad Domitianum, orbi Romano potestate monarchica præfuerunt: adeoque & civitatis Cæsenæ altum, ac supremum regimen in militaribus, & politicis negotiis obtinuerunt. Subalternum verò regimen, æconomicum, & civile penès Cæsenates erat: quemadmodum & aliæ quoque civitates Italiæ sè gerebant (12). In quibus, inquit Merula, *Magistratus profani erant, cùm Decuriones, tùm Duumviri, Censores, Ediles, Prætores. Decuriones in Coloniis, ut & in Municipiis erant illi, qui Romæ Senatores, sic nominati, quemadmodùm notat Pomponius Jurisconsultus, quod*

[5] *Idem Alexand. loc. cit. f. 1. 8.*
[6] *Livius lib. 1. dec. 1. Dionys. Hallicar. lib. 1.*
(7) *Tyraquel. in Alex. ubi sup. §. Et Assiriorum.*
(8) *Servius in Æneid. lib. 6. & 12.*
(9) *Justin. lib. 41. Strab. lib. 15. Dio in Pompei.*
(10) *Lucan. Pharsal. lib. 4.*
(11) *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2. f. 5. & 6.*
(12) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 4. fol. 131.*

quod decima pars eorum, qui deducerentur, publici consiliis gratia, solita esset conscribi. Eorum numerus, an in omnibus Coloniis idem fuerit, certò nesciri potest &c.. Ex decurionibus singulis annis duo plerumque, subinde quatuor viri creabantur, juxta Coloniæ magnitudinem, vel parvitatem; qui II. viri, vel IV. viri juri dicundo vocabantur (13).

5 Administrantes publicam rem alicujus urbis, quocumque titulo denominarentur, componebant corpus civium ejusdem loci (quibus nunc correspondere videntur, qui conscripti sunt albo Consiliariorum suæ patriæ) & vocabantur *Ordo Civitatis*. Qua de rè frequentèr in ephitaphiis antiquis: ubi memorati reperiuntur *Ordo* Allifanorum, *Ordo* Ariminensium, *Ordo* Aretinorum, *Ordo* Capuensium, & sic de innumeris aliis (14). Verùm singularitèr sumpti illi, qui *nondum majoribus honoribus decorati, in albo decurionum solummodò versabantur, Pedani* dici solebant (15). Adhuc & sicut Romæ, sic & in aliis civitatibus subalternis, ad instar illius magnæ metropolis, *populus differebat à plebe: quod in populo patritii, senatores, cunctaque nobilitas insunt: in plebe vero patritii non insunt* (16). Quod autem Cæsenæ adesset *Ordo Civitatis*, innotescit ex literis Constantii Imperatoris, de quibus infrà (17).

6 Intereà dicendum est, quod Cæsar administrandæ, ac regendæ Galliæ deputatus, tàm Cisalpinæ, quàm Transalpinæ nomine Reipublicæ Romanæ, cui utraque suberat, utramque moderatus est circitèr per decennium: sic attestante Lælio apud Lucanum:

Per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos (18).

Quem locum Hugo Grotius explicat ità: *signa decem victricia omnibus in locis, quibus jam per decem annos castra metatus es: quia quotannis in statis castris hybernabant* (19). Cisalpinaque Gallia ab Apenninis montibus diffundebatur usque ad fluvium Rubiconem, qui erat finis

[13] *Paul. Merul. Cosmogr. par. 2. lib. 4. capit. 19. f. 813.*

(14) *Vide Gruter. in Indice cap. 9. V. Ordo.*

[15] *Fabret. Inscript Antiqu. cap. 9. f. 658. F.*

(16) *Alex. ab Alex. Genial. lib. 6. cap. 23. fol. 996.*

(17) *Vide infra cap. 13. numer. 10.*

(18) *Lucan. Pharsal. lib. 1. fol. 25.*

(19) *Hugo Grotius in Lucan. loc. cit.*

finis, limes, & terminus, illam disterminans ab Italia, tunc ita dicta: idest ab illa Italiæ parte, quæ immediatè administrabatur à Republica Romanorum (20).

(20) Brascà. de vero Rubicon. cap. 2. num. 18.

7 Quibus ità se habentibus, jam patet, quod etiam Cæsena contenta erat intrà limites provinciæ Galliæ Cisalpinæ, subordinatæ regimini Julii Cæsaris. Quem, eodem decennio decurrente, per nonnulla intervalla temporis ibi constitisse novimus, occasione, de qua Sigonius: Cum fines Galliæ Cispadanæ *fuerint à mari supero Rubico, ab infero Arnus &c. factum est, ut Cæsar cum Galliam Proconsule obtineret, modò Ravennam, modò Lucam, ut in extrema Provinciæ suæ oppida ventitarit* (21). Veniens ergò Ravennam Cæsar, proximam quoque adventabat Cæsenam: & hic quandoque moram fecisse, antiqua monumenta nostræ civitatis enunciant.

(21) Sigon. de antiq. jur. Ital. lib. 1. cap. 26.

8 Ac inter cætera referunt, quod Cæsenam (in illa fatali divisione factionum Marii, & Syllæ, quæ totum penè orbem Romanum concusserunt) sequentem conatus Marii; sequaces Syllæ cædibus, & vastationibus affecerunt (22). Cæsar verò eam restaurari curavit, ac inter alia construi fecit viam illam (tunc suburbium) quæ ab ejus nomine *Cæsariana* olim vocabatur, & deindè nomen assumpsit, retinetque adhuc, *Ecclesiæ novæ*, ob amplam Ecclesiam ibidem à Fratribus Ordinis Prædicatorum, in honorem S. Petri Martiris excitatam, in loco, ubi erat parochialis S. Basilii. A' quo etiam Cæsare tradunt, urbem nostram primò appellatam fuisse *Curvam Cæsenam* (23): atque ipsi magnam quoque indidit famam, quando Rubiconem trajecit. Hunc ergò principem eadem urbs experta est benevolum: & ideò hic nos apponimus illius imaginem.

(22) Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 3. fol. 123. &c.

(23) Chronic. MS. Cæsen. fol. 2.



9 Quo

9 Quoàd tempora, quibus imperavit Augustus; nihil peculiare habemus, quod pertineat ad Cæsenam: attamen abs rè non erit hic proponere ponderandam Inscriptionem antiquam, sub hujusmodi verbis conceptam.

ROGATO AUG. LIB.
TABUL. CYPR.
FAU. SILVANUS FIL. ET
FELICISSIMA NEPTIS, ET
SEVERINUS CONLIB. ET
DIUS LIB. HERODIS
F. C.

Hunc lapidem refert quoque Janus Gruterus, uti desumptum ex æde S.Spiritus Jaderæ (24). Sub tali tamen discrimine, quod ubi nos legimus *Hærodis*, ille ponit *Hæredes*. Melior tamen videtur nostra lectio. quandoquidem inverisimilitudine non caret, quod Rogatus reliquerit hæredem cum suis filio, & nepte, Severinum conlibertum, & Dium libertum. Prætereà si marmor diceret, *hæredes*; Dius esset libertus Rogati, & sic libertus liberti: quod equidem contingere potuit; sed an re vera contigerit, hoc est quod in dubium revocatur.

[24] *Gruter. Inscript. Roman. fol.* 591. *num.* 9.

10 Utcumque autem sit hac de rè, antiquum Chronicon manuscriptum, quod istam refert Inscriptionem, tradit, illam extitisse insertam magnæ *Turri Populi Cæsenæ*, quæ olim erecta erat in civitate nostra, intra illam partem, quæ dicitur *la Murata*, juxta veterem Arcem: & multis ab hinc sæculis ad terram dejecta fuit: Quodque tunc ipsamet Inscriptio translata fuit Ravennam (25). Et cum reperiri uno, vel alio in loco antiquos lapides, ex multis causis, & casibus potuerit evenisse [26]; non erit à possibilitate alienum censere, quod noster lapis sicut prius Cæsena Ravennam; sic & Ravenna Jaderam fuerit secunda vice traductus.

[25] *Chronic. M. S. Cæsen. fol.* 76.

[26] *Orsat. Marm. Erud. let.* 7. *fol.* 138.

Illius verò ſenſus eſt iſte: *Rogato Auguſti Liberto*, *Tabulario Cypri*, *Fauſtus Silvanus filius*, *& Feliciſſima neptis*, *& Severinus Conlibertus*, *& Dius*, *Libertus Herodis*, [vel ſecundum Gruterum, *hæredes*] *faciendum curarunt*.

11 Hac eadem ætate vixit *Mecænas*, vir inclytus inter Romanos, ordinis equeſtris, illuſtri ortus familia Cilniana, imo & regio ſanguine propagatus, teſtibus Propertio, & Horatio: fautorque munificentiſſimus virorum, literarum ſtudiis addictorum: chariſſimus denique Auguſto: intantum, ut cum hic quandoque dubius hæſitaret, num Imperium Romanæ Reipublicæ reſignaret, an vero pergeret in ejuſdem retentione; iſtam ſecundam partem elegerit, conſiliis annuens Mecænatis: de quo plura legere eſt in ejus vita [26]. Eximius, inquam, iſte vir vino delectabatur, quod Cæſena producit: eouſque illud commendans, ut ab ipſius nomine, vina noſtri territorii, *vina Mecænatica* meruerint appellari (27). Si cui placet ipſiuſmet *Mecænatis* effigiem intueri; en illam deſumptam ex Promptuario Numiſmatum antiquorum (28).

[26] *Io. Henricus Melbon. in Vit. Mæcenat.*

[27] *Girald. de Poet. Dialog. 40. Ioan. Bleau. theatr. rer. admirab. Ital. in Cæſen.*

(28) *Promtuario de le Medaglie part. 1 pag. 163.*



12 Per hæc eadem tempora coaluit celeberrima illa pactio, ſeu confæderatio, quæ dicta fuit Romanus *Triumviratus* [29]: conſtans ex Octaviano, Marco Antonio, & M. Æmilio Lepido. Qui anno V.C. 711 die 27. Novembris, se se junctis animis, & viribus aſſociarunt in inſula fluminis Labini, Bononiam inter, & Mutinam decurrentis, ut ſibi univerſum trifariam diſtribuerent Romanum Imperium, & omnia pro eorum arbitrio moderarentur [30]. Erant articuli ejuſdem Triumviratus ſummatim ſumpti

[29] *Roſin. Antiq. Rom. l. 7. c. 21.*

[30] *Petav. Ration. Temp. p. 1. l. 5. c. 20. fol. 194.*

pti, I. quod Marcus Antonius Græciæ, atque Asiæ: Lepidus Africæ: Octavianus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, atque Illyrico dominarentur. II. Quod proscriptioni, adeoq; morti traderentur præcipui cives Romani, qui publicæ libertatis tuitores erant, & potentiæ horum trium pacifcentium adversarii: Undè tercentum Quirites ordinis Senatorii, & mille cætus Equestris, interierunt. III. Quod quilibet horum trium vicissim dimitteret ultioni alterius unum ex propriis agnatis, intimisve benevolis, qui esset odiosus alicui ex ipsismet Triumviris. Et hoc modo M. Antonius Lucium Cæsarem patruum suum furori Lepidi: Lepidus Paulum fratrem suum vehementiæ Octaviani: Octavianus rabiei M. Antonii Ciceronem dimisit, quem parentem suum erat solitus appellare (31).

[31] Plutarc. in Ciceron. vit. Comazzi Morale de Prencip. in Octavian. n. 37. c. 39.

13 At non perseveravit idem Triumviratus nisi brevi tempore: nimirùm donec orta inter Octavianum, & Lepidum simultate, prior posteriorem armis prævalens debellavit, anno V.C. 718., & prius Circejos relegavit [32]: deindè Romam redire permisit, victurum forma privata, & functurum ethnico sacerdotio. Postmodùm idem Octavianus, alio quinquennio prætergresso, tàm virtute, quàm fortuna bellica profligavit Marcum quoque Antonium prælio memorabili ad Actium, anno V. C. 723. die 2. Decembr. & sic denique totius Orbis Romani, & universæ Imperialis dominationis, atque potentiæ, unicus, & solus factus est arbiter ipsemet Octavianus, dictus Augustus. (33)

[32] Sveton. in Octav. c. 16.

[33] Plutarc. in August. & in M. Anton.

14 Hos autem Triumviros, Mutina redeuntes Romam, post præfatum fædus initum inter ipsos, quandoque simul constitisse apud Cæsenam: ibique quorumdam Civium Romanorum proscriptionem sub deliberatione positam decrevisse, memorat antiquissimum Chronicon urbis nostræ. Fortèque ibi constiterunt, ut super exitu gravissimarum illarum rerum, quas aggrediebantur, Oraculum consulerent Jovis Osirii, de quo superius dictum est [34]. Certè Octavianus in hisce futuris contingentibus perscrutandis, curiosiùs, an religiosiùs nescias, admodùm se pa-

[34] Vid. supr. c. 9. n. 21. 22.

tefecit acclinem. Nam & per Thraciam quandoque ducens exercitum, in Liberi patris luco barbara cæremonia, de filio suo consuluit, prout refert Svetonius. (35)

[35] *Sveton. in Octav. c. 94*

15 Obeunti Augusto successit in Imperio Tiberius; quo dominante nihil nobis occurrit specificè referendum, quod concernat Cæsenam; nisi à Cæsare Brissio inter patria monumenta commemorari hanc Inscriptionem. (36)

[36] *Cesar. Brissio Relat. di Cesen. fol. 35.*

AGRIPPINÆ M. ACRIPPÆ F.
DIVI AUGUSTI NEPTIS
UXORIS GERMANICI CÆSARIS
MATRIS C. CÆSARIS AUG.
GERMANICI PRINCIPIS.

Hanc eamdem Inscriptionem [in eo tantum diversam, quod præsefert verbum, *Ossa*) inseruit Gruterus suæ lapidum collectioni, velut existentem Romæ in area Capitolina(37). Quò an translata fuerit Cæsenam, vel e converso; aut aliter quomodo res ista se habeat, nemo tutò poterit divinare.

[37] *Gruter. Inscript. f. 237 num. 4.*

16 Planè constat, quod Inscriptio loquitur de Agrippina seniore (filia Marci Agrippę Vipsanii, & Julię natę ex Augusto) uxore Germanici, cum quo peperit Drusum, & Neronem: nec non Cajum Caligulam, qui fuit postmodum Imperator: & Agrippinam juniorem, matrem alterius Neronis itidem Imperatoris: adhuc & Drusillam, Liviam, seu Livillam, & Juliam (38). Porrò hæc mulier, Agrippina, inquam, senior, quantùm ambitione, tantùm fuit castitate notabilis (39). At odium adeò atrox Tiberii Imperatoris incurrit; ut ei nec viventi, neque defunctæ Cæsar idem pepercerit. Nam variis calumniis oppressam in insulam Pandatariam relegavit ipsam unà cum filiis Druso, & Nerone, quos ambos fecit interimi: & matrem eorum gravissimè fustibus cædi: quæ denique mœrore occubuit, refutans

(38) *Tacit. annal. lib. 1. 2. &c.*
[39] *Morer. diction. Histor. V. Agrippina.*

tans alimenta sumere, ne in vita diutius permaneret. Post obitum tandem diem illius nativitatis inter infandos computari Tiberius ipse decrevit [40].

17 Nerone imperante floruit *Narcissus* Cæsenas eximius citharædus, permanens Romæ (41). Citharædus inquam, non citharista: Differunt enim hi duo inter se: nam citharędus est qui musicæ simul professor est, & citharæ lusor. Citharista vero qui cantus musici expers, solum citharam pulsat (42). Ut musicus ergo simul, & citharædus Narcissus apprimè clarus fuit Imperatori Neroni (43): qui tantoperè musicæ modulationis exercitio delectabatur; ut totus esset ad cantum: qui plumbea lamina sibi pectus muniebat, ut dulciorem vocis ederet sonum: qui moriens denique conquerebatur, quod in se musicum incomparabilem perderet Roma, exclamans, *Qualis artifex pero* (44). De ipso autem Narcisso vide latius in nostris Diatribis Cæsenatibus.

[40] *Sueton. in Tiber. & Caligul.*
(41) *Bernard. Manz. Chronol. Cæsenæ f.* 145.
[42] *Nicol. Thes. Linguæ Latin. V. Cithara.*
(43) *Scip. Claram. Hist. Cesen. lib. 4. fol.* 132.
[44] *Sueton. in Neron.*

18 Post Neronem imperavit Galba: qui orbi Romano *statim placuit, statimque displicuit &c. dignus Imperio nisi imperasset*, ut ait quidam (45). Chronicon manuscriptum Cæsenæ memorat, hunc Principem favoribus præclaris persecutum fuisse Urbem nostram, eamque beneficiis affecisse, privilegiis decorasse, ac pluribus Cæsenatibus dignitates militares, & civiles liberalitèr contulisse (46). Quænam autem fuerint hæc privilegia, & beneficia; quinam Cæsenates, ab ipso dignitatibus aucti; usque modo nondùm invenimus. Antiquitas fortassis cuncta corripiens, hæc omnia quoque dispersit, & in oblivionis latebris sepelivit. Sat est nihilominus eadem meruisse: interimque ad grati animi monumentum hanc exhibemus formam illius vultus.

[45] *Busieres Fosc. Histor. par. 2. cap. 1. fol. 16.*
[45] *Chronic. M.S. Cæsen. fol. 11.*



Addit

19 Addit & idem Chronicon, quod Sylvius Otho, cum armis assumptis contrà Vitellium properaret, de Imperio disputaturus judice bello; aliquantò constitit apud Cæsenam: ubi ad Jovis Osirii templum, in Spatiani clivo locatum, de quo superiùs dictum est [47], ethnica superstitione processit: consuluitque simulacrum illud, nùm in congressu cum hoste, victor, an victus futurus esset: a quo responsi ambigui technis de obtinenda victoria delusus fuit; cum in certamine succubuerit (48). Nam agmina Vitellii ab Othone ipso bis victa, novissimè vicerunt eundem apud Cremonam (49). Qui jam spè prævalendi denique destitutus, nonagesimo quinto Imperii die proprio sibi ferro intulit mortem [50]. En aspectus Othonis.

[47] *Vide sup. cap. 9. nu. 21.*

[48] *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 11.*

[49] *Jo. de Busieres. Flosc. Histor. par. 2. cap. 1. fol. 17.*

[50] *Card. Baron. ann. 71. num. 1.*



20 Solebant Oracula Gentilium suis ambagibus, & fallacis sæpè sæpius decipere consulentes. Namque vel ob verborum amphibologiam, vel ob æquivocam constructionem sermonis, vel ob ejusdem interpunctionem diversò in situ locabilem, aut alio denique dolo, tale responsum dabant, quod & affirmandi simul, & negandi vim haberet: ac quocumque modo sequeretur eventus, veritatis aliqualem posset speciem præseferre (51). Prout contigit illi, cui responsum ænigmaticè se fuit. *Ajo tè Æacida Romanos vincere posse* [52]. Ac alteri, quem decepit Oraculum hisce verbis propter deficientiam interpunctionis implexis: *Ibis redibis non morieris in bello.* Qui plura de Oraculis desiderat, consulat Alexandrum ab Alexandro cum annotationibus Tiraquelli (53): Hęc sanè ubilibet jam totalitèr defecerunt (54). CA-

[51] *Cornel. à Lapid. in Isaiç cap. 41 n. 23.*

[52] *Nizol. Thes. Ciceron. V. Æacida.*

[53] *Alex. ab Alex. genial. l. 6. c. 2.*

[54] *Menoch. Tratenim erudit. lo. 3. cen- tur. 10. c. 90.*

CAPUT XI.

De Cæsena sub Imperatoribus Ethnicis, a Nerua Cocejo usque ad Diocletianum.

SUMMARIUM.

1 *ADoptatus à Nerua Imperium, adeptus est Trajanus. Cui Cæsenates cum aliis erexerunt Epitaphium.*
2 *Typis impressum legitur Epitaphium idem Trajano Cęsari directum, apud plures Auctores.*
3 *Tituli dati Cęsari Trajano in hac Inscriptione, veritati nituntur.*
4 *An cohæreant anni Tribunciæ potestatis, & Imperii, ac numerus Consulatus?*
5 *Senatus Trajano dedit epithetum* Optimi. *Tres Viæ ab ejus nomine dictæ sunt Trajanales.*
6 *Via* Flaminia *Roma ducens Arimirium: à quo, & quandonam condita fuerit?*
7 Æmilia Via *ab Arimino ad Placentiam producta, inde ad Aquilejam: abusive confunditur cum Flaminia.*
8 *Ramus Æmiliæ tendit ad Venetos: & hæc verosimiliter est Via Trajanalis, de qua hic agitur.*
9 *Hujusmodi Viæ Curatores deputabantur à Cæsenatibus, Ravennatibus, ac Cervienfibus: & cur?*
10 *Trajani tempore Legio decima morabatur apud Cæsenam: plures q. Cæsenates pro Imperio militarunt.*
11 *Imperatores ethnici, quo sensu dicerentur* Pii. *Antoninus pluries Cæsenam appellat Civitatem.*
12 *Balneum Aurelianum conditum Cæsenæ tempore Marci Aurelii philosophi Imperatoris.*

13 *Variæ persecutiones Imperatorum usq; ad Diocletianum Christianos afflixerunt.*

14 *Quibus furentibus multi Cæsenates fortitèr pro Christo martyrium subierunt.*

1 POst duodecim primos Cæsares extinctos in Domitiano, Imperium adeptus est Nerua Cocejus vir justus, & prudens: at gravis nimium ætate. Qui propterea brevi tempore præfuit, & parum excessit mensem sexto decimum Imperiali purpura decoratus (1). Hic haud longè ante obitum transfudit Principatum in Ulpium Trajanum, quem velut strenuum, & prudentem, postpositis propriis consanguineis, sibi adoptavit in filium, & successorem in dignitate, ac Cæsarem declaravit [2]. De ipso autem Trajano Imperium obtinente, habemus Epitaphium, in illius honorem erectum, commemorans Cæsenates, unà cum adiacentibus Ravennatibus, & Cervianis. Cujus Epitaphii nobis exemplar primò contulit Malatesta Strinatus Cæsenas, (vir pius, eruditus, & rei lapidaræ studiosus; qui optima de se fama relicta, obiit Romæ anno 1720. & sepultus fuit in Ecclesia S. Salvatoris in Undula) tamquam reperti, ut inquiebat, Romæ, inter ruinas Fori Trajani.

[1] *Petav. Ration. temp. par. 1. lib. 5. cap. 7. fol. 217.*

[2] *Dio Histor. lib. 68. Card. Baron. an. 99. nu. 13.*

2 Deindè illud invenimus typis impressum apud Ferdinandum Ughellium [3]: nec non penès Auctorem dissertationis de Rubicone antiquo, publici juris factæ sub nomine Terentiani Ubicolæ (4). Nec fortasse deerunt alii quoque relatores ipsiusmet Inscriptionis conceptæ sub istis verbis.

(3) *Vghel. Italia Sacra to. 2. in Episcop. Cervie. f. 485.*

[4] *Terentian. Vbicol. fol. 5. post Jacob. Villan. Arimin. Rubico.*

IMP:

IMP. CÆS. NERUÆ TRAJANO
DACIC. GERMAN. PARTH.
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII.
IMP. VII. COS. VI. P. P. OPT. PRINC.
RAVENNAT. CEREVIAN. CÆSENNAT.
CUR. VIAR. TRA..... FLAM.... D. D.

Cujus sensus est iste: *Imperatori Cæsari Neruæ Trajano Dacico, Germanico, Parthico, Pontifici Maximo, Tribuniciæ potestatis anno decimo octavo, Imperii septimo, Consulatu Sexto, Patri Patriæ, Optimo Principi, Ravennates, Cereviani, Cæsenates, Curatores Viarum Trajanalis, & Flaminiæ dedicarunt.*

3 In hac inscriptione veritati nititur nomen Nervæ attributum Trajano, qui proculdubio ab ejus præcedessore, ac patre similis nominis, a quo in filium fuerat adoptatus, Nerua passim consueverat appellari: ut ex innumeris lapidibus eidem erectis, apud Antiquarios innotescit. Nituntur veritati quoque tituli eidem adscripti, *Dacici, Germanici, & Parthici* (5): namque ita denominatus fuit a populis Dacis, Germanis, & Parthicis per eum Romano Imperio subjugatis: Qua de re alibi dictum est [6]. Titulum quoque Patris Patriæ obtinuit, uti notare est in Epitaphiis Gruterianis eidem Principi inscriptis.

[5] *Gruter. Inscrip. Roman. fol.* 248 *nu.* 2.
[6] *Brasch. de tribus Statuis cap.* 8.

4 Quo vero ad annos Tribuniciæ potestatis, & Imperii, atque ad numerum Consulatuum, an omnia exactè cohæreant; vel aliquod in eis mendum irrepserit, a lapide originali discordans, propter ignaviam, seu oscitantiam transcriptorum; nihil certi statui posse videtur. Præsertim cum ex multis Epitaphiis huic Principi erectis, & per Antiquarios recensitis, difficile sit prædictorum annorum (in collatione simul facta ipsorum lapidum) conformitatem totalitèr unisonam reperire (7).

[7] *Vide Grut. Inscrip. f.* 246. *& seq.*

P 5 Con-

5 Consonat itidèm veritati epithetum *Optimi* eidem Imperatori attributum,& de quo ille sibi admodum complacebat (8). Siquidem Plinius in celebri ejus panegyrico ita ipsum alloquitur:*Adoptavit tè optimus Princeps in suum: Senatus in optimum nomen. Hoc tibi tam proprium, quam paternum* [9]. Denique veritati respondet quoque denominatio *Viæ Trajanalis*. Quandoquidem hic Imperator, teste Xiphilino, *multa eaque necessaria ædificavit;cujus generis sunt Viæ,Portus, ędificia publica &c.* [10]. Tresque Viæ ab ejus nomine dictæ fuerunt *Trajanales*: quarum fit mentio in epitaphio Auximano [11]. Et ex his una fuit pars viæ Appiæ, quam Trajanus ipse *tempore labefactatam refecit, exsiccatis paludibus, ęquatis vallibus, & fossis: pontibusque in ea structis, fecit meabilem, & veluti novam: unde & ejus nomine appellari ea cæpit, Trajana* [12].

6 Aliæ verò duæ Viæ *Trajanales* ubinam fuerint, nobis adhuc est incompertum. At dato loco verisimilitudini, & conjecturali opinioni, videtur, quod altera ex istis esset illa, quæ digreditur dextrorsum à celeberrima Via Æmilia, inter Ariminum, & oppidum Sabiniani. Nam ipsa *Via Æmilia* continuatrix est *Viæ Flaminiæ*, quæ Roma discedens per portam, olim Flumentanam, nunc Flaminiam, inde procedit usque ad Ariminum [13]: & quæ condita, seu constrata fuit per Cajum Flaminium Consulem, ex hostium Gallorum, de quibus triumphaverat Manubiis, in Censura, quam gessit unà cum Lucio Paulo, anno V. C. 532. Ab ipsoque Flaminio hæc eadem Via nomen accepit (14). Et illam suo tempore Augustus propriis sumptibus reparandam assumpsit, cum aliarum restaurationem aliis viris triumphalibus commisisset [15].

7 Ab Arimino deinde usque ad Placentiam alia via consimilis producta fuit per Marcum Æmilium Lepidum anno V. C. 566., quæ a suo Auctore *Via Æmilia* dicta est, & inde usque ad Aquilejam protensa fuit per alpium crepidinem [16]. Ambarum autem istarum Viarum Flaminiæ, ac Æmiliæ, una est velut pars, aut continuatrix alterius

[8] *Baron. an. 58. n. 33.*

[9] *Plinius in Panegyr. Trajan.*

(10) *Xiphilin. Epitom. Dionis in Trajan.*

[11] *Gruter. Inscript. Rom. f 446. n. 4.*

[12] *Reines. Antiq. Inscrip clas. 2. ad num. 80.*

[13] *Vallant. Num. Antiq. in famil. Vinicia nu. 3. fol. 552.*

(14) *Vide Sigonium de Antiq. Jur. Ital. lib. 1. cap. 16., & lib. 2. cap. 15. Calep. V. Via.*

[15] *Sveton. in August. Dio Histor. lib. 53.*

[16] *Sigon ubi supr. lib. 1. cap. 24. & 25. & lib. 2. cap. 15. Calep. V. Via.*

terius: ambæ communem limitem, & quodammodò centrum habent, Pontem videlicet, qui supereminet flumini Mariculæ prope Ariminum decurrenti: & utraque consueta est a minus accurate loquentibus, pro una & eadem sumi, atq; confusè communi Viæ Flaminię nomine denotari: cum tamen re vera distinctum Auctorem sortitę sint: & distinctum tempus originis; ideoque distinctam etiam denominationem debeant obtinere.

8 Ab Æmilia vero Via, inter Ariminum, & oppidum Sabiniani, digreditur, velut ramus ingens ex vasta arbobore, dextrorsum incedendo, alia Via patens, & conspicua, quę secus littus Maris Adriatici per inferiorem Romandiolam, & tractum Ferrariensem, ad regionem Venetam, & Forum Julii progreditur usque ad Carnos. Hæcque Via tunc fortè aperta, vel amplificata, sive aliter adaptata fuit, cum Trajanus profectus est contra Dacos. Roma enim ipse discedens, per Venetos fines, & Carnos, Daciam adivit. Veroque simillimum est, quod cujus Principis jussu Via hęc aperta, vel adaptata tunc fuit; ejus quoque de nomine meruerit, seu incęperit appellari.

9 Cum autem hæc transiret, adhucque transeat per territorium Cæsenæ, ad illius Portum, dictum Cęsenaticum: nec non per urbes Cerviæ, ac Ravennæ; nil mirum si antefato in lapide dicitur, quod Ravennates, Cervienses [sive Cereviani] & Cæsenates suos deputaverant Curatores hujusce Viæ Trajanalis, ac simul alterius, quæ lato modo Flaminia dicebatur [tametsi rigorose sit Æmilia] a qua ipsamet Trajanalis digreditur; ut curam gererent utriusque pro eo, quod spectaret ad fines harum trium urbium sibi vicissim conterminarum. Quamobrem rationabili conjectura procedet, si quis affirmet, Inscriptionem nostram fuisse Imperatori Trajano erectam in memoriam, quod hanc Viam aperuerit, seu constraverit, aut aliter adaptaverit: per quam cum suo exercitu Romano transivit, vexillis erectis properans contra Dacos.

10 Sub hoc ipsomet Imperatore memorat Chronicon

P 2 Cæ-

Cæsenas, apud urbem nostram, ejusque in circuitu, stationem suam facere consuevisse unam ex Legionibus exercitus Imperialis, *Decimam* in ordine (17): quæ solebat & *Gemina* vocari, ex epitaphio Reinesii [18]: apud Gruterum vero dicebatur quoque *Augusta*, & *Salutaris* (19): & aliis adhuc diversis nominibus pro temporum varietate nuncupari consuevit (20). Cujus virtuti, fortitudini, ac fidelitati Cæsar admodum confidebat [21]. Hæcque ipsamet Legio tempore item Romanæ Reipublicæ, antequam excitaretur Imperium Cæsareum, apud Cæsenam erat solita permanere, ut suo loco dictum fuit [22]. Sed & eodem Trajano imperante, cætus quidam civium Cæsenatum nomen dedit militiæ ipsius Principis, bellum Parthis inferentis (23). Qua de re Scipio Claramontius testatur: *sub Trajano ejusque ductu, strenuè sè manus Cæsenatum gessit. Et indoluit Imperator, cum id illis accidit, quod de fortibus militibus adagio fertur: Martem sibi fortissimum quemque oppignerare. Fortitèr enim in expeditione Parthica pugnando interiere* (24).

11 Defuncto Trajano postquam regnaverat annis 19. mensib. 6. & dieb. 15. successit in Imperio Ælius Hadrianus [25]: qui per annos 21. & menses 11. imperavit [26]. Post hunc adoptionis jure provectus est ad Imperium Antoninus Pius [27]: ita dictus eo in sensu, quo tunc poterat appellari. Nam Ethnici Imperatores *Pii dicti* sunt, *quod subditos patria pietate soverent. Christiani vero Imperatores, quod Deum colerent, & pietatis officio ubique frequentarent* (28). Antoninus autem in suo Itinerario [29] pluries memorat Cæsenam veluti Civitatem [30]: cujus in itinere ab alma Urbe Mediolanum, hæc sunt verba: *Ab Arimino Cæsena Civitas, Faventia Civitas, Forum Cornelii Civitas &c.* In itinere à Mediolano per Picenum: ait, *Forum Cornelii Civitas, Faventia Civitas, Cæsena Civitas, Ariminum Civitas &c.* Et in itinere ab Arimino Dethonam dicitur *Curva Cæsena*, prout notatum fuit superius. Non ignoramus adesse qui cum Gerardo Ioanne Vossio, & aliis carpant uti spu-

[17] *Chron. M. S. Cæsen. fol. 4.*
[18] *Reines. inscript. class. 8. n. 9.*
[19] *Gruter. f. 23. n. 8. & fol. 598. n. 5.*
[20] *Idem in Indice cap. 6. V. Legio X.*
(21) *Cæsar. Bell. Gallic. lib. 1. c. 171. Plutarc in vita Pompei.*
[22] *Vide sup. cap 6. a n. 3.*
[23] *Chron. M. S. Cæsen. f. 11.*
[24] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. f. 132.*
(25) *Dio Hist. lib. 68.*
[26] *Petau Ration temp. par. 1. lib. 5. cap. 7.*
[27] *Card Baron. ann. 138. num. 3.*
(28) *Bulenger. de Imperator. lib. 1. cap. 27. fol 54.*
[29] *Carol. Sigon de Regn. Ital. in Calce.*
[30] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 133.*

ſpurium hujuſmodi Itinerarium; ſive in dubium revocant ſinceritatem illius. At ſufficit nobis, quod ipſum pro genuino admittunt & Carolus Sigonius, & Scipio Claramontius hiſtorici graviſſimi, tantundemquè præſtantes eruditione. Ac ſane ad effectum negotii, favore cujus eodem utimur, nullum patitur deliquium; quia itinerantibus per Æmiliam experimentaliter innoteſcit, Cæſenam eſſe certo certius Civitatem.

2 Decedentis Antonini Pii locum implevit anno Chriſti 161. Marcus Aurelius cognomento Philoſophus illius gener: qui Valeriam Fauſtinam uxorem duxerat, ipſius met Antonini filiam [31]. Et quoad res Cæſenates, eodem imperante Marco Aurelio, elaboratum eſt Balneum ſumptuoſum: cujus teſtimonium reddit ſequens Epitaphium a Grutero relatum [32], & Cæſenæ repertum, hiſce verbis conceptum: *Balneum Aurelianum ex liberalitate Imp. Cæſ. M. Aurelii fel. Aug. ſervata indulgentia pecuniæ ejus, quam Dominus Aurelianus conceſſerat facta uſurarum exactione, curante Statio Juliano V. F. Curatore. Reſt. rejecit.* De iſto Balneo, & Epitaphio, magis ex propoſito locuturi ſumus in Diatribis Cæſenatibus: ideò nunc parcimus ulteriora fari de illis.

13 Poſt ejuſdem Imperatoris Marci Aurelii tempora, uſque ad ætatem Diocletiani, plurimi fuerunt laurea Cæſarea decorati: quibus regnantibus altum ſilentium occurrit de ſpectantibus ad Cæſenam; itaut res politicæ pertinentes ad illam, nullibi, quod ſciamus, valeant reperiri. Quantum vero ad res ſacras; acciderunt variæ perſecutiones, ab Auguſtis tunc regnantibus promulgatæ: (ac præſertim ſub Septimio Severo, ſub Maximino, ſub Decio, ſub Valeriano, ſub Aureliano) quæ immaniſſimè afflixerunt populos Chriſtianæ fidei profeſsores. Idemque crudeliſſimus Diocletianus decimam perſecutionem juxta D. Auguſtinum [33], & Paulum Oroſium (34): vel nonam juxta ſenſum aliorum (35) intulit cultoribus Chriſti: *quæ quidem tam dira, & Chriſtianorum, quos abſumpſit multitudine,*

(31) *Petav. ubi ſupr. cap 8. fol. 210.*

[32] *Gruter. Inſcrip. f. 178. num. 3.*

[33] *S. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 18. c. 52.*

[34] *Paul. Oroſ. Hiſtor. lib. 7. cap 27.*

(35) *Sulpitius Sever. libr. 2.*

tudine, & horrenda suppliciorum immanitate fuit; ut nil atrocius, aut crudelius excogitari queat (36). Obstupescente mundo ad tantam atrocitatem.

14 Hac igitur sævissimorum Principum inhumanitate furente, multos quoque Cæsenates propter desertam Idolorum superstitionem, & Christi fidem amplexam, fuisse tormentis, & suppliciis consummatos, memoriæ supersunt (37). Et Chronologista noster non dubitat affirmare, quod *Cæsenatensis Rubicon sacro Martyrum civium Cæsenatum, forte sub Diocletiano, & aliis Christiani nominis persecutoribus fuit ditatus sanguine, quo nedum sancta Cæsenatensis adolescere potuerit Ecclesia; verum etiam ager Cæsenas uber sit factus* (38). Consentit Historicus Claramontius, asseverans & ipse, ferentibus præfatis persecutionibus, *nostram etiam Ecclesiam unà cum propinquis, gratas litasse Deo, Christoque victimas: neque enim hæ ipsæ Ecclesiæ sine semente sacri Martyrum sanguinis, adolescere adeo potuissent* (39).

[36] *Cabasut. Notit. Ecclef. Sæc.3. nu.28 fol.66.*

[37] *Chron. M. S. Cæsen. fol. 15.*

[38] *Bernar. Manz. Chronol. Cæsen fol. 46.*

[39] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib 4. f. 329.*



CA-

CAPUT XII.

De Initio, & progressu *Christianæ Fidei* apud Cæsenam, per priora tria Sæcula Christi Domini.

SUMMARIUM.

1 *S. Apollinaris Romandiolæ intulit Christi fidem. Antiqua est Ecclesia Cæsenas.*

2 *Ad fidem conversa fuit prædicatione B. Timothei, quem S. Paulus Apostolus Romam accersivit.*

3 *Et se vivente, alibi quoque per Italiam ad prædicandam Euangelicam veritatem transmisit.*

4 *Cæsena discessurus S. Timotheus primum hic Episcopum constituit S. Philemonem.*

5 *An iste sit unus, & idem cum S. Philemone discipulo B. Pauli Apostoli?*

6 *S. Mancius Cæsenas interfuit Christi passioni: ac Lusitanis fidem ejus promulgavit.*

7 *Plura referuntur de ipsomet S. Mancio, ac de patria illius qualis fuerit?*

8 *Antiquitùs Cæsenates uti ex Colonia, dante suffragium in Tribu Pupinia, erant cives Romani.*

9 *Lectiones Officii S. Mancii pro Ecclesia Eborensi à Sede Apostolica approbatæ.*

10 *Verisimile est S. Mancium prævenisse B. Timotheum in denuncianda Cæsenatibus Christi fide.*

11 *Secundus Episcopus Cæsenæ, ex iis quorum habetur notitia, fuit S. Isidorus Græcus.*

12 *S. Elutherius consecravit Cathedralem Cæsenæ. Fides Evangelica, hoc Papa sedente, incrementum habuit.*

13 *Olim Ecclesię non consecrabantur sine auctoritate Papæ. Tres Ecclesiæ fuerunt Cathedrales apud Cæsenam.*
14 *Ignatius Cyprius Episcopus Cæsenæ diruit simulacra Jovis, & Minervę, quæ colebantur ibidem.*
15 *Diocletianus dirus persecutor Christianorum, Ecclesiam Cæsenatem graviter afflixit.*
16 *Suum Episcopum habebat Cæsena tempore Anacleti Papæ: qui vetuit ne parvis locis præficerentur Episcopi.*

1 UBi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut & eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus [1]. Tunc primo illuxit Christi fides, per sanctos Apostolos promulgata, Orbi terrarum: & Provinciæ Romandiolæ sanè citò innotuit ope S. Apollinaris, quem D. Petrus Apostolus Roma Ravennam direxit, ut ibi Evangelium prædicaret(2). Ob propinquitatem autem illius civitatis urbi Cæsenæ, facile est, radium aliquem tantæ lucis ad Cæsenatum quoque oculos pervenisse. Nàm profectò *antiqua est Ecclesia Cæsenas*, inquit Cardinalis Baronius [3]. Et Historici omnes municipales nostri, tum editi, tum manuscripti, uno sensu, & uno eloquio profitentur, Christianam Religionem apud Cæsenam satam fuisse ministerio S. Timothei discipuli D. Pauli.

(1) *Galat. c. 4. num. 4.*

[2] *Vit. S. Apollinar. ap. Surium. to. 4. & Mombrit. tom. 1.*

[3] *Card. Baron. in notis ad Martyrol. 20. Januar. fol.*

2 Ac præsertim Cæsar Brisfius, non clàm, sed coràm Clemente PP. VIII. sermone italico peroravit. Cæsena *lasciò l'idolatria, e ricevè la fede del nostro Signore Gesù Christo alle predicationi del B. Timoteo, Discepolo di S. Paolo; nel tempo degl'Apostoli* [4]. Et equidem S. Timotheum ex Epheso Romam fuisse vocatum ab ipso Paulo, citra difficultatem est, ex epistola, qua ei scripsit: *Festina ad mè venire citò &c. Marcum assume, & adhuc tecum, est enim mihi utilis in ministerium* [5]. Quæ porrò epistola ei scripta fuit ab Apostolo Romæ commorante [6]. S. Timotheus autem erat potens in verbo, & fluidus in sermone juxta Metaphrastem [7]: adeòque aptissimus ad prædicandum.

[4] *Briss. Relat. Cęsen. p. 2.*

(5) *Ad Timoth. cap. 4. n. 9.*

[6] *Cornel. à Lapid. in Epl. 2. ad Timoth. in argument.*

[7] *Metaphr. ap Surium to. 1. die 22. Januar.*

3 Ro-

3 Romam accersitus, idem S. Timotheus, ibi permansit apud Apostolum. *At non semper adhesisse D. Paulo, dum is Romæ fuit, ostendit epistola, quæ in ejus vita legitur, qua D. Dionysius Areopagita mortem illi Apostoli, ut præsens absenti significat. Oportet ergo tum alibi, in Italia tamen, ex qua non nisi post Apostoli mortem excessit, aggregandis Christo animabus insudasse* [8]. Benè proinde se habet, quod eo temporis intervallo, pluribus in Italiæ locis diffuderit Evangelium: & quod apud Cæsenam aliquando consistens, ibidem conversioni Cæsenatum salutaritèr incubuerit. Undè meritò dictum legitur: *Tam antiqua est Ecclesia Cæsenas, ut ejus fundamenta jecerit S. Timotheus, Cæsenatensium Apostolus, in antiquis fragmentis, & memorialibus vocitatus* [9].

4 Idem autem Sanctus vir postquam ibidem Apostolico perfunctus est officio, discessurus, *primum* Episcopum Cæsenatibus dedit *S. Philemonem*: qui & Silemon ab aliquibus nominatur, fortassis ex imperitia loquentium, vel ex oscitantia transcriptorum [10]. Qua ordinatione, S. Timotheus adimplevit id, quod ei prçceperat D. Paulus, ut constitueret Episcopos per Civitates, ubi opus esse judicaret [11]. An autem hic Philemon ille idem fuerit civis Colossensis, in cujus domo D. Paulus diversatus est [12]: cui epistolam scripsit, & quem nomine S. Timothei salutavit [13]: a quo item poposcit, ut sibi domum Romę inhabitandam prępararet [14]: ille idem denique, qui postremò Colossis in Phrygia, sub Nerone Principe Martyrii coronam adeptus est [15]; nec facile, nec tuto quisquam potest dejudicare.

5 Profectò multiplicatio personarum ejusdem nominis non prçsumitur in jure: hocque favet identitati ejusdem sancti Prçsulis. Qui prçtereà cum Romę fuerit [& ibi a D. Paulo interpellatus pro præparando eidem hospitio, ut supra]; non a verisimili aberrat, quod alibi etiam sit per Italiam commoratus: & quod officio Episcopali apud Cæsenam aliquo tempore sit perfunctus. Denique illius imago inter

[8] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 128.*

[9] *Bernard. Manzonius Chronol. Cæsen. fol. 4.*

(10) *Scip. Claram. loc. citat. Manzon. ubi supr. fol. 5.*

[11] *Cornel. à Lapid. in 1. ad Timoth. in argum. sub init.*

(12) *Idem in argum. Ecclesiæ ad Philemon.*

[13) *S. Paul. Epistol. ad Philemon.*

[14] *Vid. Menoch. Traten. Erud. Centur. 5. cap. 42., & Cornel. à Lapid. loc. cit.*

[15] *Martyrol. Roman. die 22. Novemb.*

Jcones aliorum sanctorum Episcoporum expressa coloribus reperitur in Cathedrali Ecclesia Cęsenate. Quamobrem non sine causa scripsit Chronologista noster: *Philemon in Asia natus, vir sanguine illustris, sanctitate clarior, Apostoli Pauli discipulus &c. ordinatus fuit Cæsenę Episcopus; primusque sedit in Cathedra sanctę illius Ecclesiæ, post discessum S. Timothei, uti monimenta testantur antiqua* [16]. Non tamen id evenire potuit anno Christi 92., ut idem Auctor scribit, quia S. Philemon jam diudum antecedenter Colossis Martyr occubuerat sub Nerone: nisi noster S. Philemon diversus fuerit a prędicto Pauli discipulo.

[16] *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 5. & 167*

6 Quo vero ad initia Fidei apud Cęsenam, non improbabile videtur, S. Timotheum pręventum fuisse a S. Mancio Cęsenate. Qui cum diu ante Romam profectus esset, ibique audisset famam operum Redemptoris adhuc in terris conversantis; Hierosolymam se recipit, ut illum videret: ubi & prædicantem audivit, & miracula patrantem intuitus est: conversusque ad ipsius fidem, inter sequaces ejusdem promeruit numerari [17]. Adfuisse dicitur quando Christus triumphaliter, jumento vectus ingressus est ipsam Civitatem: nec non Passioni adstitisse. Deinde post ipsiusmet gloriosam Resurrectionem, adventumque Spiritus sancti, profectus est versus Hispaniam, & Lusitaniam ad Salvatoris Domini sacrum Euangelium prędicandum [18]. Et equidem quemadmodum illo tempore Lazarus quoque ad evangelizandum in Galliam, & Joseph ab Arimathea ad prędicandum in Britanniam ex Hierosolymis progressi sunt [19]; Sic & contigit, S. Mancium ad annunciandum Hispanis, ac Lusitanis Christi fidem, Domino disponente, directum fuisse: ubi Apostolico diù perfunctus officio, apud Eboram tandem imperante Trajano, Martyrii palmam fortitèr aquisivit, anno circitèr Christi 106. [20].

[17] *Alphonsus Villicgas Floscul. Sanct. Extravag. f. 5.*

[18] *Thomas Cacin. Histor. Eccles. vol. 1. lib. 7. num. 5. fol. 472. Villiegas loc. cit.*

[19] *Card. Baron. an. 35. n. 5.*

[20] *Flavius Dexter. Chronic. ann. 92 & 430. ibiq. Kivarrius Alphons. Villieg. ubi sup.*

7 Hunc Martyrem clarissimum fuisse patria Cęsenatem, habetur apud nostrates: famaque viget Cęsenę, quod Christo lavanti pedes Apostolorum præiverit, exibendo aquam in pelvi. Cui sanè famę adstipulatur Vaseus scribens:

Do-

Domino lavanti pedes Apostolorum, sedulò pro suo modulo ministravit: & cęteris Dominicę Passionis, ac Resurrectionis Mysteriis interfuit (21). Consonat & Bivarrius, cujus hęc verba sunt: *Ferunt aliqui, hunc B. Mancium, Discipulum D. N. Jesu Christi: & in cęna cum pedes Discipulorum lavit Domino ministrasse* [22]. Cęsenę asservantur nonnullæ venerandæ illius Reliquiæ: ipsiusque festum, tamquam civis Cęsenatis, quotannis celebratur sumptibus communibus ejusdem urbis.

8 Et quo ad illius patriam; Alphonsus Vvilliegas, qui vitam S. Mancii recenset, uti cohærentem Breviario Eborensi, & Burgensi, refert, fuisse *naturalem Provincię Romandiolę in Italia* [23]. Italum item ex Æmilia illum facit Joannes Mariana (24). Consonatque Thomas Cacinius [25] Flavius vero Lucius Dextrer ipsum *Civis Romani* honore afficit (26). Et Franciscus Bivarrius inquit, quod *ex partibus Romanorum natus est* [27]. Cohęrent autem hęc omnia traditioni, & sensui Cęsenatum. Benèque se habet, quod S. Mancius, tamquam patria Cęsenas, qui Romę quandoque permansit, & inde progressus est Hierusalem Dominum intuiturus; ab Historicis Hispanis dicatur Italus ex Æmilia, vel civis Romanus, aut ex partibus Romanorum. Adde quod cum Cæsena, tempore, quo Romani dominabantur, esset eorum Colonia, in Tribu Sapinia constituta, & Cesænates darent suffragium in Tribu Pupinia (28); re vera cives Cæsenates erant quoque, ac dici poterant cives Romani.

9 Nos non latet, quod Daniel Papebrochius acrius carpit Acta S. Mancii (29): Ast hoc nostra parùm refert: qui non de sinceritate Actorum hujusce Sancti nunc effamur, sed de tempore, quo floruit. Et licèt idem Censor levibus alioquin ex motivis coniiciat, ipsum Sanctum ad posteriora tempora pertinere; tamen acu rem tetigisse melius videtur Auctorem Chronici Flavii Lucii Dextri, quisquis ille fuerit, asserentem expeditionem Evangelicam versus Occident em ab Hierusalem, S. Mancium suscepisse anno Christi

(21) *Joan. Vaseus Burgen. in Chron. rerum Hispan. f. 512.*

[22] *Franc. Bivar. in Flav. Dextr. an. 90.*

[23] *Vvilleg. loc. supr. citat.*

[24] *Mariana Histor. Hispan. lib. 4. cap. 5.*

[25] *Cacinius Hist. Eccl. vol. 1. lib. 7. f. 472. num. 5.*

[26] *Flav. Luc. Dextr. Chron. ann. 90. & 430.*

[27] *Bivar. in Chronic. Luc. Dextr. an. 90.*

[28] *Vide supra cap. 7. numer. 18. & capit. 8. num. 9.*

[29] *Papebroc Acta Sanctor. Maii. tom. 5. die 21. à fol. 31.*

36. [30]: quippè cui tempori nedum Itali Scriptores [31]; verùm etiam ex Hispanis Alphonsus Vvilliegas, & Joannes Mariana suffragantur. Faventque Lectiones recitari solitæ in divinis Officiis ab Ecclesia Eborensi, approbatæ a Paulo Papa V. per literas in forma Brevis die 22. Augusti 1606. Quibus in Lectionibus dicitur: *Adest dilectissimi natalis dies beati Mancii, a quo initio nascentis Ecclesiæ, tamquam ab Apostolo hujus provinciæ, Catholicam fidem nostra urbs accepit. Ille enim natione Romanus fuit ex Discipulis Salvatoris, qui lavanti Domino pedes Discipulorum, sedulo obsequio ministravit. Magistrum in Cruce mortuum, & post Resurrectionem, quando Discipulis apparuit, vivum aspexit, ascendentem in Cœlum adoravit, cum Apostolisque Spiritus sancti igne inflammatus, ad predicandum Christi Evangelium ab Apostolis destinatus est* (32).

10 Nunc strictius ad rem nostram. Si D. Mancius ipso statim exordio nascentis Ecclesiæ fidem Christi promulgendam suscepit; admodùm verisimile quisque rationabiliter judicabit, quod & patrię suę Cęsenę, vel voce, vel scriptis denunciaverit de Mundi Redempore, quod ipsemet viderat, & audierat, jamque promulgaturus erat incolis occidentis; adeoque prævenerit S. Timotheum, eique straverit viam pro conversione Cæsenatum ad Christi fidem. Facit huc Epistola, Elegiacis carminibus concepta, quam 55. circiter ab hinc annis Maurus Verdonius, eruditus, & pius Archipresbyter S. Victoris Cæsenatis, cusam typis evulgavit, occasione solemnis festi ejusdem Sancti: qua introducebat D. Mancium admonere de nova Christi fide Cæsenam patriam suam: atque ipsam ferventer hac suadere prosopopeja:

Patria ficta Deum simulacra argentea frange:
Aureus, & verus jam datur orbi Deus.
Venit ab empyreo, quem jam suspiria Vatum,
Et quem Davidicæ jam cecinere lyrę &c.

Prosequebatur idem argumentum plurimis aliis carminibus, quorum post adeo diuturnum tempus non amplius remi-

[30] Chron. Luc. Flav. dext. ad an. 430.

(31) Thom. Cecin. loc. supr. citat.

[32] Libel. impress. Officior. Ecclesiæ Eborens. pag. 10.

reminiſcimur: neque conquiſitum aliquod exemplar ejuſdem Elegiæ, impreſſæ folio volanti, ullibi hùc uſque potuimus reperire.

11 Communitèr tamen, ut dictum eſt, exiſtimatur, Cæſenam habuiſſe initia fidei à S.Timotheo. Quarè Cyrillus Corbeſcus Polonus, inquit, *Cæſenam origine, & Religione vetuſtiſſimam Civitatem, ab Umbris ante ædificium Romæ ædificatam, à S. Timotheo B.Pauli diſcipulo degentibus adhuc Apoſtolis ad Chriſti fidem converſam* [33]. *Primuſque* Antiſtes Cæſenatum fuit S.Philemon, paulò ſuprà enunciatus. Cui deindè [ex numero illorum, quorum nomina reperiuntur] in Sacerdotali officio ſucceſſit *S. Iſidorus Epiſcopus II.* (34): de quo Bernardinus Manzonius. *In Epiſcopalem Sedem anno* 109. *ſucceſſit Iſidorus Græcus, Martyrio poſtmodum anno* 150. *coronatus. Hic ordinatus fuerat Cæſenæ urbis Epiſcopus à Petri Diſcipulo, & Succeſſore Anacleto Pontifice Maximo* (35).

[33] *Corbeſc. apud Manzon. Chronol. Cæſen. fol.* 5.

[34] *Scip. Claram. Hiſtor. Cæſen. lib.* 4. *fol.* 128.

(35) *Manzon. Chronol. Cæſen. fol.* 167.

12 Poſt hunc occurrit magnum chaſma in ſerie Antiſtitum noſtrorum. Reſpectu nihilominus ad res Eccleſiaſticas, dignum eſt memoria id, quod antiqua monumenta recenſent: nempè S.Eleutherium Papam, Cæſena tranſeuntem, ibi Eccleſiam Cathedralem ſolemnitèr dedicaſſe anno Chriſti 192. (36). Profectò ſub hoc Pontifice, qui electus fuit anno 182., ut ſentit Ciaconius, vel 179. ut opinatur Cardinalis Baronius, & ſedit ultra 15. annos, Chriſtiana religio, imperante Commodo, aliqua pace, ac quiete potita eſt (37). Ac Eccleſia tale ſuſcepit incrementum, ut Lucius Britanniæ Rex Miniſtros Apoſtolicos ab ipſomet Eleutherio poſtulaverit, qui ſanctam Fidem ejus in regno propagarent (38). Haud recedit ergò à veriſimili, quod hac ætate apud Cæſenam, dudùm anteà fidem Chriſti complexam, & propriis Epiſcopis inſignitam, adfuerit Eccleſia Cathedralis prȩcedenter erecta.

[36] *Id. f.* 168. & 197. *Chronol. M.S. Cæſen. fol.* 11.

[37] *Alphonſ. Ciacon. Vit. Pontif. tom.* 1. *in Eleuter.*

(38) *Card. Baron. an.* 179. *num.* 50., & *an.* 183. *num.* 1.

13 Et quantum ad ejus conſecrationem advertendum, quod antiquis temporibus, Eccleſiæ, nedum Romæ, ſed etiam per alias regiones erectæ, dedicationis munus non

ob-

obtinebant à propriis Episcopis absque peculiari auctoritate Romani Pontificis: prout ex pluribus literis D. Gregorii Papæ deducit mox fatus Cardinalis Baronius (39). Undè cohæret optimè veritati, Cathedralem Cæsenæ fuisse consecratam Papæ manibus, indè occasionaliter transeuntis. Tres autem successive fuerunt apud Cæsenam Ecclesiæ Cathedrales. *Una* in præsentiarum diruta, olim sacra S. Joanni Baptistæ, sitaque in supercilio collis eminentis intra eam partem Civitatis, cui est nomen Muratæ. *Alia* ibidem paulo inferius erecta, subsistens adhuc, & in parochialem conversa, dicta S. Joannis Evangelistæ. *Tertia* demum illa, quæ nunc eodem fungitur officio, S. Joannis Baptistæ ad Crucem marmoris nuncupata (40). Duarum autem anteriorum, quænam fuerit prior altera ordine chronologico, nobis huc usque non constat.

14 Etsi deficiat autem integritas Syllabi Episcopalis, respectu tamen ad illos Antistites, quorum denominationes ad nostra tempora pervenerunt, enumeratur *Ignatius Episcopus III.* de Salamina Cyprius, qui sedebat anno Christi 232. Hic simulacrum Jovis Osirii, quod ab Ethnicis Cæsenatibus colebatur in colle Spatiano (nunc dicto S. Marię de Monte): ac aliud Minervæ, cui honorem adhibebant in contraposito colle Garampeo, diruit: referente id semel, & iterum Bernardino Manzonio, Chronologo Antistitum Cæsenatum, his verbis: *Ignatius Salaminius anno* 232. *Jovis oraculum, quod erat in Monte Sacro, & aliud Minervæ, quod in Garampeo colle extabat Cęsenę, bonus pastor destruxit* (41). Mons *Sacer* tunc dicebatur collis Spatiani propter Sacrificia, quæ fiebant ibidem Idolo Jovis: prout fusius tam de his, quam de aliis offerri solitis Minervæ præfatæ, dictum est supra [42].

15 Hanc utriusque Idoli destructionem faciliorem reddidit aliquantula illa conniventia, qua ferebatur in Christianos Alexander Severus, tunc imperans [43]. Verum eandem acriter displicuisse Imperatoribus subsequentibus; ipsum studium vehemens, quo Ethnicam superstitionem

[39] *Id. Card. Baron. an.* 582. *num.* 22.

[40] *Ex Scripturis Cancel. Episcopalis Item Chronic. M.S fol.* 15. *Stephan. Parti M.S. f.* 2.

[41] *Bernard. Manzo. Chronol Cæsen f.* 6. *&* 168.

[42] *Vide hic supra cap.* 9. *& Claramontius Histor. Cæsen. lib.* 4. *fol.* 130.

[43] *Ladercbi Act. Mart. lib.* 4 *cap.* 15. *in fin.*

nem fovebant, suaptę natura persuadet. Magisque adhuc evincitur ex furore, quo immanissimus Diocletianus invectus est in Cæsenates. Dire namque illos afflixit, & plures Martyrio coronavit propter desertam, subversamque Paganam religionem, & amplexam Christi fidem [44]. De sævitia hujus Tyranni contra eosdem; tradunt Scriptores nostrates [45]. Tametsi communis quoque pluribus aliis civitatibus fuerit persecutio. Undè jam suprà vidimus ex Claramontio, *quod constat nostram etiam Ecclesiam unà cum propinquis gratas litasse Deo, Christoque victimas. Neque enim hæ ipsæ Ecclesiæ sine semente sacri Martyrum Sanguinis adolescere adeò potuissent* (46).

[44] *Chronol. Manusc. Cæsen. fol.* 15.

[45] *Manzon. Chronolog Cæsen. fol.* 46. & 202.

16 Proderit verò hìc attendere, quod civitas Cæsenæ non modò ab initio nascentis fidei Episcopum proprium habuit; verùm etiam ipso ineunte sæculo secundo Æræ Christianæ illum obtinuit à Romano Pontifice Anacleto [ut supra dictum est), qui sedit ab anno 103. usque ad 112. [47]. Undè intelligas, quod quamvis eadem civitas plures ruinas, vastationes, & detrimenta fuisset præcedentèr perpessa; nihilominus refloruerat, & ita notabilis civium numero, ædificiorumque amplitudine facta erat, ut Episcopali honore meruerit decorari ab eodem Papa: de quo Paschalis 2. ejusdem quandoque successor ad Guillelmum Episcopum Melphiensem scripsit: *Per Apostoli Petri discipulum, & successorem Anacletum Apostoli Petri præceptum accepimus, ne in villis, aut municipiis, vel in modicis Civitatibus ordinentur Episcopi* [48].

[46] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib.* 4. *fol.* 129.

[47] *Card. Baron. an.* 103. *n.* 2. & *an.* 112. *num.* 1.

(48) *Ughell. Ital. Sacr. t.* 1. *fol.* 996.



CA-

CAPUT XIII.

De Civitate Cæsenæ, à tempore Magni Costantini, usque ad Decadentiam Imperii Occidentalis in Augustulo.

SUMMARIUM.

1 *Constantinus Magnus Imperium tenuit, & in ejus exercitu cohors Cęsenatum pugnavit.*

2 *Pręlio Constantinus fudit Maxentium invasorem Imperii inter Cęsenam, & Forolivium.*

3 *Eidem Principi Cęsenates antiqui epitaphium erexerunt, quod refertur.*

4 *Literę compendiarię ipsius epitaphii, distortę a quodam, quod referant Columnam milliariam.*

5 *Hoc esse non posse ostenditur, propter distantiam ab alma Urbe, ingentemque marmoris molem.*

6 *Quęnam attendenda sint ad percipiendum, quid significant literę abbreviatę in Inscriptionibus.*

7 *Hujus verba cum sint in casu dativo; compendiarię illæ non possunt adaptari Columnę milliarię.*

8 *Florianus Episcopus Cęsenę interfuit Concilio Lateranensi, habito in causa Cęcilii Carthaginensis.*

9 *P. idest Pius, fuit Episcopus Cęsenę: post quem in eadem Cathedra sedit Concordius Taruisinus.*

10 *Constantius, & Constans Imperatores, epistolam scripserunt Ordini Cęsenatum de Circensibus.*

11 *Ea non potest esse directa Edessenis Mesopotamię, neque Ædesenis Macedonię.*

12 *Aderant olim Cęsenę, ac adsunt quoque modò ludi Circenses: quidque pro his intelligerent antiqui.*

13 *Hastiludium vulgò* la Gioſtra, *exercetur Cęsenę: ac huic ſpectaculo adaptatur juſſio illa imperialis.*

14 *Epiſtola Conſtantii Imperatoris, directa Ordini Cęſenatum, & inſerta corpori Juris civilis.*

15 *Hanc legem explicat Gottofredus de reparanda Curia Cęſanatum Curialibus exhauſta.*

16 *Aderant tunc Cęſenę Ordo Patriciorum, & Optimatum, ac viri conſpicui, ſplendidarum dignitatum capaces.*

17 *Conſtans Aug. aliam epiſtolam ſcribit Cęſenatibus, inſertum Juri, de vino comparando ad uſum Cesareę domus.*

18 *Scripta eſt eadem epiſtola Mediolano: a quo Conſtans degreſſus, tranſivit per Cęſenam.*

19. *Julianus Apoſtata Cęſenatibus infeſtus fuit. Gregorius Papienſis Epiſcopus Cęſenę.*

20 *Ignatius II. Cęſenas Epiſcopus interfuit Conventui Ravennę, convocato ab Honorio Imperatore.*

21 *Euſebius Epiſcopus Cęſenę interfuit Concilio Romano ſub titulo Epiſcopi Senenſis.*

22 *Hicque non poteſt eſſe, nec Epiſcopus Senogallię in Piceno, neque Senarum in Etruria.*

23 *Veranus Epiſcopus Cęſenę. Deindè Flavianus ejuſdem ſedis Antiſtes memorantur.*

24 *Honorius Imperator ſolebat ęſtivari Cęſenę. Illi ob victum Gildonem, Romani erexerunt arcum triumphalem.*

25 *Cęſar prętulit morari apud Rubiconem, nec Romam progreſſus eſt ad ineundum triumphum.*

26 *Gennadius Cęſenas Proconſul Gręcię, ac Ægypti: cui Claudianus poeta quędam carmina ſcripſit.*

27 *Poeta illum vocans ibidem incolam Rubiconis, declarat ipſum fuiſſe Cęſanatem.*

28 *Idipſum comprobatur aliis rationibus, & Scriptorum teſtimoniis.*

29 *Valentinianus III. Imperator, Papa ſtatuente, deſignavit Epiſcopos futuros ſuffraganeos Metropolitanę Ravennatis.*

30 *Ordo pręcedentię inter Epiſcopos. Quem locum habuerit inter dictos ſuffraganeos Antiſtes Cęſenę?*

31 *Candidianus Cęſenas affinis S. Sidonii Apollinaris Epiſcopi Arvernenſis, qui ei ſcripſit epiſtolam.*

32 *Refertur tenor ejusmet epiſtolę: ac in quo ſenſu fuerit exarata?*

33 *Jocoſis facetiis ſeſè viciſſim pupugerunt Sidonius, & Candidianus.*

34 *An hic fuerit idem cum Candidiano illo, qui nomine Auguſtorum perrexit ad Concilium Epheſinum?*

1 POſt diras Perſecutiones Eccleſiæ, ac gentium oppreſſiones, in odium præſertim fidei Chriſtianæ; gratiſſimum adfuit tempus, in quo Romanum Imperium obtinuit Principem juſtitiæ amantem, populorum benevolum, & ſanctæ Religionis, tum propagatorem ferventiſſimum, tum ſtrenuiſſimum defenſorem, nempè Conſtantinum, hujus nominis primum, Conſtantii Chlori, ac S. Helenæ filium: ab illuſtrium geſtorum claritate, Magnum communitèr appellatum: qui Auguſtalem purpuram aſſumpſit anno Chriſti 306. ac tenuit uſque ad annum 337. [1]: Hujus benignam propenſionem in Cæſenates, tam indoles illius benefica peperit, quam ratio gratitudinis. Electa ſiquidem Civium Cæſenæ manus in ejus exercitu fidelitèr, atque fortitèr militavit, ubi bellorum agendorum ſuo tempore id opportunitas poſtulavit [2].

[1] *Card. Baron. ann. 306. n. 14. & ann. 337. n. 11.*

(2) *Chronic. Manuſc. Cęſen. fol. 37.*

2 Sed & in acri prælio illo, quo idem Conſtantinus, inter Cæſenam, & Forolivium, exercitum Maxentii invaſoris purpuræ Imperialis fudit, Cæſenates promptè ipſimet Conſtantino ſuppetias utiles attulerunt, ut nequiſſimus ille tyrannus, omnibus vitiis, & fæditatibus inquinatus, vinceretur: ſucceſſivè poſtmodum demergendus in Tiberim ad Pontem Miluum. Quarè magnanimus ipſe Auguſtus benevolentia ſemper proſecutus eſt Civitatem noſtram: apud quam, & occaſione mox fati certaminis conquievit. Bonum eſt hìc inſerere ſimulacrum, quo expreſſus reperitur in quodam Cameo D. Ducis Odeſcalchi, hoc modo.

De-



Decet enim eum esse conspicuum Cæsenatibus, quorum antenatos beneficis, ac remunerationibus affecit: eos præsertim, qui sub ipsius vexillis militiæ nomen dederant, & de quibus Scipio Claramontius: *Sub Constantino magnam Cæsenatum manum egregiam in multis expeditionibus ei navasse operam, inter nostra monimenta legimus, auctamque gloria, & muneribus, domum postremò rediisse* (3). [3] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 134.*

3 Porrò cives quoque nostri, tum in honorem victæ præfatæ pugnæ, tum propter beneficia recepta, dignissimo eidem Principi grati animi monumentum antiquis temporibus erexerunt, publico elogio columnæ marmoreæ inscripto, cujus hæc sunt verba (4): [4] *Idem Claram. loc. citat.*

D. N. IMPERATORI CÆSARI
CONSTANTINO
MAXIMO
P. F. VICT. AVG.
PONT. MAX.
TRIB. PONT. XXIII.
IMP. XXII. CONSULI ...
P. P. PROCONSULI
HUMANARUM RERUM
OPTIMO PRINCIPI
DIVI CONSTANTI. FIL.
BONO R. P. NATO
M. P. XV.

Idest, Domino Nostro Imperatori Cesari Constantino, Maximo, Pio, Felici, Victori, Augusto, Pontifici Maximo, Tribunicie Potestatis anno 23. *Imperii* 22. Consulat . . . *Patri Patrie, Proconsuli, Humanarum rerum Optimo Principi, Divi Constantii Chlori filio, Bono Reipublice nato, Monumentum posuere Decem Viri.* Numerus Consulatus est incertus, quia exesus.

4 Difficultatem fecit quidam Scriptor interdictæ lectionis super postremis quatuor literis M. P. X V. continentibus compendiariè totidem verba, quæ non significare contendit, *Monumentum posuere decem viri* : sicque Inscriptionem erectam non fuisse Constantino a Decem Viris Cæsenatibus, representantibus corpus ejusdem urbis; sed significare *millia passuum quindecim*, ita ut hæc sit Columna milliaria, denotans distantiam ab alma Urbe, tempore ipsius Imperatoris descriptam [5] Verum attende, quod saxum istud effossum fuit anno 1625. in villa Bulgariæ agri Cæsenatis : inquit enim noster Historicus : *Peculiare devotionis signum eidem Imperatori* Constantino *gens nostra exhibuit. Columnam enim erexit, quam in Flaminia ipsa via ad nos pertinente, defossam, proximè deteximus, & eruimus. Senatusque consulto cautum, ut decentèr reponeretur* [6].

[5] Jacob. Villan. Arimin. Rubic. fol. 72.

[6] Scip. Claram. loc. mox citat.

5 Porrò si præfatæ siglæ M. P. X V. significarent millia passuum quindecim, & insculptæ reperirentur simplici tabulæ marmoreæ, admitti posset, hanc fuisse transvectam a pristino loco, Roma distante quindecim mille passibus, ad usque agrum Cæsenatem. At cum eas contineat ingens columna, reperta longè ab alma Urbe 250. circiter mille passibus; omninò inverissimile, ne dicamus est impossibile, quod adeò vasta moles marmorea fuerit per tam immane spatium viæ translata, & quidem itinere terrestri, transitante juga difficilia alpium intercurrentium utrique loco discessus, & accessus. Oportet ergò quod fuerit elaborata vel Cæsenæ, vel in ejus agro, ubi reperta est, & quod ly XV. non significet quindecim millia passuum, sed Magi-

stra-

stratum Decurionalem, quem exercentes, vocabantur *Decemviri*. Namque in Coloniis, & Municipiis, qualis erat Cæsena [7] proculdubiò aderant Decuriones [8].

6 Adde, quod sensus vocum abbreviatarum, & quid præseferant siglæ compendiariæ in antiquis inscriptionibus, non potest percipi à perpensione ipsarum in abstracto, sed in concreto: idest primo attendendo locum, quem obtinent in marmore: deindè faciendo ipsarum collationem cum reliquis verbis contextualibus. Ut ergò literæ præfatæ involverent numerum columnæ milliariæ; oporteret, quod reliqua verba inscriptionis essent in casu ablativo: quibus denotaretur tempus erectionis, & columnam excitatam fuisse imperante Constantino. (Quo sanè tempore apud nullum probatum Auctorem reperitur, quod sciamus, constitutas fuisse similes columnas usque ad distantiam quindecim milliū passuum ab urbe Roma: ubi à præcedentibus jam dudùm Imperatoribus, hujusmodi lapides fuerant collocati).

7 Quoniàm verò reliqua verba inscriptionis, referentia nomen, epitheta, titulos, & officia præfati Principis, leguntur exarata in casu dativo, nempè *Imperatori Cæsari Constantino, Maximo, Proconsuli, Optimo Principi, bono Reipubl. nato*; compendiariæ illæ quatuor postremæ literæ non aptæ sunt connotare tempus erectionis, adaptabile Columnæ milliariæ, sed necessariò significant dedicationem elogii, & monumenti Columnæ inscripti eidem Imperatori. Parum referente, quod inter X. & V. desit punctum: quoniam interpunctio nec etiam in cunctis aliis vocibus ejusdem inscriptionis currit exactè. Dictaque puncticuli deficientia potuit accidisse vel ex temporis edacitate, vel quia omissa fuerit ex oscitantia, vel imperitia lapicidæ, aut alio simili casu. Et alioquin præfatæ duæ literæ, non minus si interpunctione careant, quam si puncto intercipiantur, idoneæ sunt exprimere Decem viros.

8 Hoc ipso regnante Imperatore Constantino Magno, ac sedente in throno Apostolico Melchiade Papa, Romæ apud Lateranum, in domo Faustæ (quæ fuit secunda uxor ipsius-

[7] *Vid. supra cap. 7. & 8.*

[8] *Vid. supra cap. 7. à n. 19. cap. 8. n. 6. & cap. 10. n. 4.*

ipsiusmet Principis (9) filia Maximiani Herculei) habitum fuit Concilium in causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis: cui cum aliis Episcopis Gallis, & Italis, interfuit quoque *Florianus* Episcopus Cæsenæ [10]. De illo namque ita scribit S. Optatus Milevitanus: *Convenerunt in domum Faustæ in Laterano &c. Cum consedissent Melchiades Episcopus Urbis Romæ, & Rheticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani, & Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Felix à Florentia &c.* (11). Causam celeberrimi hujus Concilii ex 18. Episcopis Catholicis cum Papa congregatis: (cui etiam 10. Antistites Donatistæ adfuerunt, ac totidem sequaces Cæciliani, at neutri velut Judices: sed hi uti defensores, illi ut accusatores); narrat Cardinalis Baronius [12]. Qui & alibi scribit: *Antiqua est Ecclesia Cęsenas, cujus Episcopus nomine Florianus, tempore Melchiadis Papę interfuit Romano Concilio, celebrato in causa Cęciliani Episcopi Carthaginensis* [13].

9 Post *Florianum* (qui fuit Episcopus Cæsenæ IV. ex detectis hucusque) successit eadem in sede quidam *P. Cęsenas Episcopus*, anno 326. uti refert Bernardinus Manzonius (14). Quodnam autem fuerit verum illius nomen, sub sigla P. coarctatum, an Petrus, an Paulus, an Prosper, an Probus, an Placidus, an Pandulphus, an alius consimilis initiationis, per inchoativam literam P. denotatæ; à nostratibus ignoratur. Ad evitandas confusiones Dyptici Episcopalis, poterit *Pius* appellari, ab epitheto Pietatis, quam ei non defuisse censendum est, & erit V. in ordine Antistitum Cæsenatum. Cui deindè subrogatus fuit *Concordius* patria Tarvisinus Episcopus Cæsenæ VI. Illum commemorat Cæsar Brissius in Relatione ad Clementem 8. dicens: *L'anno 350. Concordio da Trevigi fù Vescovo di Cesena al tempo di Papa Liberio* (15). Consonatque illi Manzonius mox memoratus [16].

10 Hoc tempore decurrente regnarunt tres filii magni Constantini, omnes in sua quique parte, Imperiali honorifican-

[9] *Card. Baron. ann. 367. n. 1. & an. 312 num. 8.*
[10] *Labbe tom. 1. Concil. f. 1403. E.*
[11] *S. Optatus Milevit. l. 1.*
[12] *Card. Baron. ann. 313. num. 24. 25.*
[13] *Idem in notis ad Martyrol. Roman. die 20. Januar.*
[14] *Manzon. Chronolog. Cesen. fol. 8. & 208.*
[15] *Briss. Relat. Cesen. f. 22*
[16] *Bernard. Manzon. loc. cit.*

ficantia decorati, salva nihilominus unà simul Majestatis integritate. Horumque secundus, ac tertius, vocati respectivè *Constantius*, & *Constans*, literas scripserunt, quas ratio docet, esse directas Ordini civitatis Cæsenæ, hujusve Rectori, sancientes. *Circensium magistratus desertores, ad eam gravitas tua faciat necessitatem conditionis urgeri, ut quascumque pro his expensas civitas prorogaverit, refundere protinus, ac repraesentare cogantur. Dat. 14. Kal. Febr. Acindyno, & Proculo Coss.* Recensetur hæc epistola inter Leges civiles [17]. Ubi quamvis legatur inscripta Ordini civitatis Ædesenæ: tamen in prima syllaba irrepsit mendum ex levi, affinique mutatione C. in Æd. sicut pro Cæsenæ scriptum sit Ædesenæ. Quodque inscriptio ipsa incurrerit alterationem; patet ex Glossa, ibidem referente, antea dixisse *Constantinę*, sed pro hac voce, Cujacium aliam restituisse, *Ædesenę* [18].

[17] *Leg. Circensium. Codic. de Decurion. num. 20.*

(18) *Glos in dicto leg. Circensium Verb. Ædesenæ.*

11. Perperàm verò id factum esse videtur, quia nulla in orbe universo unquam fuit, aut est Civitas, quæ vocetur Ædesena. Et in Lexicis Geographicis memorantur quidem Edessa Mesopotamiæ, ac Ædessa Macedoniæ, ambæ cum duplici ss. [19]; at nulla est urbs Ædesena scripta copulativè cum diphtongo, & unico s. Accedit quod Mesopotamia, tempore filiorum Constantini, non suberat Romano Imperio: quamobrem nulla erat causa, cur hi Augusti quidquam statuerent ab Ædessenis observandum. Et respectu quoque ad Ædessam Macedoniæ (præter enunciatam incohærentiam literarum nominis) undenam discimus ibi extitisse magistratum Circensium, ad quos coercendos, quoties deficerent in officio, deberent Augustales pragmaticæ promulgari?

[19] *Baudrand & Ferrarius, in suis Lexicis.*

12. E' converso verò in civitate Cæsenæ aderant usque ab antiquis seculis, & a tempore, cujus initium ignoratur, ludi Circenses: qui & adhuc ibi annuo exercitio celebrantur. Generali namque titulo Circensium intelligebant Veteres omnes ludos publicos, Gymnicos, Athleticos, Equestres, aliosque hisce similes, qui ad exhibendam populis commu-

nem

nem lętitiam, velut ſpectacula peragebantur in Circo (20). Eiſque pręerat peculiaris magiſtratus, ſive pręfectus, curam habens, ut ordine, ac forma debita obirentur, confuſionibus, rixis, ac tumultibus excluſis: eoque munere ſolebat Romæ perfungi Pręfectus Urbis, & alibi quiſquam alius inclytus vir, ad hanc pręſidentiam, haud parum honorificam, deputatus (21). Plura de his loquuntur, qui erudito calamo pertractant de Circenſibus ludis, & Circo.

[20] *Panvin. de Ludis Circenſ. cap. 4. Bulenger. de circo Roman.*

[21] *Vid. Cobell. ad Bulton. regim. c. 40 à n. 23.*

13 Cæſenę, inquam, aderant olim, & noſtra ętate quoque adſunt, ſeu exercentur ludi Circenſes, eorumque ſpecies, in celeberrimo illo Haſtiludio conſiſtens, quod communi voce nuncupatur *la Gioſtra*: & ad inſtar Torneamenti, ac publici ſpectaculi, quotannis Bacchanalium tempore, ad exhilarandum populum ſuper majori platea civitatis exhibetur. Eſtque jam in tota Italia penè unicum: ac certè conſideratum in ſuis circumſtantiis, ſingularitatem pręſefert. Illud in Diatribis noſtris fuſiùs deſcribemus [22]: ideoque hìc de ipſo nihil aliud addimus, niſi quod ſicuti quoties celebratur, Pręſes quoque deputatur ejuſdem curam habens, dirigenſque regimen, & magiſtratum exercens; ita & idipſum antiquitùs fieri conſueviſſe in civitate noſtra, dubium non eſt. Undè valde conſentaneum eſt veritati, Auguſtalem epiſtolam, de qua loquimur, inſcriptam fuiſſe Civitati Cęſenę, magiſtratum Circenſium deputanti, & eoſdem ludos annuos populari lętificatione complenti; quam civitati Ædeſenæ, vel ideali, vel ignotæ an unquam extiterit, & habuerit ipſorummet Circenſium magiſtratum.

[22] *Braſch. Diatrib. Cæſen.*

14 Verum ſi ambiguitati ulli ſubjaceret ſuperſcriptio pręfata; certè omne dubium excludit epiſtola, quę ſubſequitur: *Conſtantii* Imperatoris, filii magni Conſtantini, directa Cętui patricio Cæſenatum ſub hoc tenore verborum: *Conſtantius A. Ordini Cęſenatium. Si qui ex Pręſidibus, vel Perfectiſſimatus acceſſione eſſe noſcuntur, manentibus Dignitatibus, quas ſuffragio meruerunt, fungantur Officiis Curialibus, ac municipalium munerum cura partita, nobis cum obſequio capiantur. Si quis autem clariſſimæ meruerit inſulas Dignitatis*

tis amittat, & cuncti, qui per Officia diversa nomina dederunt militiæ, si in Curialium numero originem trahunt, soluti sacramentis, vestris cœtibus adgregentur. Dat. 11. Kal. Jun. Mediolani, Constantino 7. & Constantio 3. Coss. Refertur hęc Augustalis epistola in corpore Juris leg. 42. tit. de Decurion. Cod. Theodosian.

15 Explicat, & commentatur istam legem Gottofredus, inquiens, *Cæsenatum Ordini, seu Curiæ, hoc tempore Curialibus exhaustæ, consulit enixè hac Epistola Constantius Imperator, tribus nimirùm hominum generibus revocari jussis. Primò iis, qui Dignitates honorarias sine administratione ex Pręsidibus, vel Perfectissimis consequuti fuerant, ut Dignitatis titulum ei conservet &c. Secundò revocari jubet Constantius eos, qui Senatoriam dignitatem adepti fuerant, nisi Codicillis eam impetrassent: Senatoria scilicet Dignitate Codicillis impetrata, hoc tempore quis Curia liberabatur &c. Constantius Curialem, Senatorem factum, liberari vult, si modo Codicillis commonstrare posset eam Dignitatem sibi collatam: non si verbo tantum id à Principe impetrasse diceret. Tertiò Constantius hac lege eos, qui ad Officia diversa confugerant, seu ad Officialium militiam, Ordini Cæsenatium reddi, militiaque solvi jubet, si Curiali origine sint.*

16 Vide hujusmodi ex Cæsareis literis abundè probari, quod ætate Constantii; civitati Cæsenæ inerat Optimatum, Patriciorumque cætus, appellatus *Ordo Cæsenatium* (juxtà loquendi morem illorum temporum). Et quod nonnulli ex eis à muneribus decurionalibus ejusdem urbis, hic expressis titulo *Officiorum Curialium*, sè subtrahere nitebantur, acquisitione militarium Dignitatum: quas, quales, & quandonam eis deberent suffragari, ut vacarent à publicis functionibus propriæ Patriæ, Imperator declarat: & id declarando patefacit, inter Cæsenates tunc viguisse viros conspicuos, splendidarum Dignitatum capaces: taliumque Dignitatum, per quas silere deberet exercitium Officiorum municipalium.

17 Ad aliam Epistolam transeamus, quam *Constans* Augustus Constantii frater, e Mediolano scripsit 11. Kal. Ju-

nii anni Christi 346. Cæsenatibus. Verum prius exhibeamus hic cernendas facies utriusque ipsius Cæsaris, qui civitatem nostram suis literis honorarunt.





Scripsit, inquam, Constans Augustus epistolam Cæsenatibus, de vino ad usum Imperialis Cellarii comparando, hisce verbis conceptam, apud Sigonium: *Vinum, quod ad Cellarii usus ministrari solet, cuncti Italię possessores, juxtà statutum Constantii fratris mei comparent. Quod ut fieri facilius possit, ab omnibus Italis nostris conferatur pecunię quantitas ea, quam Rufini viri clarissimi, & illustris Prefecti Urbis, parentis, amicique nostri, moderatio dandam esse censuerit* (24). Hanc epistolam fuisse ab Imperatore directam *Ordini Cęsenatium*, notat idem Sigonius, & ex eo Claramontius (25): Ideft Optimatibus, seu Consiliariis, representantibus Civitatem: quorum cætus antiquis temporibus appellari solebat *Ordo*, ut suprà latiùs dictum est (26). Ac reperitur quoque inserta Juri communi [27].

18 Quod Constans Imperator anno Christi 346. existeret Mediolani, citrà difficultatem est: illùc namque Roma se fuisse ab illo vocatum, scribit S. Athanasius ad Constantinum Cęsaris fratrem, inquiens: *Cum venissem Mediolanum expertus sum illius mirificam humanitatem, dum & me suis oculis dignatur; verbisque indicat, se ad te de celebrando Concilio literas misisse* [28]: Idque accidit mox fato anno [29]. Idem *Constans Imperator* deindè Mediolano recedens, ut proficisceretur ad almam Urbem, constitit Cęsenę: ubi sub 10. Kal. Julii rescriptum dedit, Anulino Prefecto Pretorio directum, de Curialibus à militia removendis, ut ad Curiam re-

[24] *Sigon. de Occid. Imper. l. 5. ad ann. 346 fol. 78.*
[25] *Claram. Histor. Cęsen. lib. 4. fol. 135. & 138.*
[26] *Vide supra capit. 10. num. 5.*
[27] *Lege Vinum. 46. Cod. Theodos. de Annon. & trib.*
(28) *S. Athanas. Apolog. ad Constant.*
[29] *Card. Baron. ann. 346. num. 3.*

revertantur. Quod Rescriptum integrum recenset Carolus Sigonius [30] & legi quoque potest apud nostrum Historicum (31). At fortassis hoc Rescriptum est unum, & idem cum epistola mox relata Constantii Cęsaris ejus fratris, & attributum Constanti propter nominum affinitatem.

19 Defunctis verò tribus filiis magni Constantini, lauream Imperialem adeptus est Julianus Apostata, illorum patruelis: qui cito à fide Christiana deficiens, & Idolorum cultui ab inferis revocando tensis nervis incumbens, rempublicam Christianam subvertere nixus est, ac pro posse fœdavit: resistente tamen Deo pravis illius conatibus, festina, & exitiali morte cęlitus eidem immissa: qua *in blasphema voce, quamvis vera, impuram animam* Orco *tradidit* [32]. Hunc tyrannum fuisse admodum infestum civitati Cęsenę, illamque graviter afflixisse, ferunt antiquę memorię, propter constantiam in fide Christi sartatecta servanda [33]. Et quòd per eam ętatem interitum passus est per manus hęreticorum, Novati sectam sequentium, *Gregorius Papiensis Episcopus Cęsenę VII.* [34]: quem sedisse circa Ære Christianę annum 361. etiam Historici Cæsenates recensent: & fuisse pro Christo ab Hęreticis occisum (35).

20 In serie Antistitum deindè sequitur *Ignatius II. Episcopus Cęsenę VIII.* [36]. De quo Bernardinus Manzonius testatur, Gregorio suffectum fuisse anno 403. (37). Usque autem ad quem annum pervenerit, ignoratur. Adfuisse tamen verisimile est conventui Pręsulum, quos Ravennæ convocavit Honorius Imperator, ut de meritis causę judicarent, vertentis inter Bonifacium, & Eulalium, de Romano Pontificatu disceptantes, quos ambos itidem Imperator jussit Ravennam accedere, idibus Februarii, anno 419. Cum enim Cęsar Urbis Pręfecto Symmaco scripserit, se diversis ex Provinciis ad eundem effectum Antistites accivisse [38] rationabiliter quoque judicandum est, convocatum ab eo fuisse Antistitem Cęsenatem, cunctis aliis ferme magis propinquum.

21 Post Ignatium II. infulas Episcopales assecutus est Eusebius noster Episcopus IX. [39]. Is interfuit Concilio

[30] *Carol. Sigonius ubi supra.*

[31] *Scip. Claram. loc. mox. citat.*

[32] *Jo. de Bussieres Flosc. Histor. an. 361 fol. 71.*

[33] *Chron. Manusc. Cæsen. fol. 37.*

[34] *Idem Chronic. f. 15.*

[35] *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 8. & 136. Claram. Hist. Cæsen. f. 425.*

[36] *Idem Claram. loc. mox citat.*

[37] *Manzon. ubi supr. f. 9.*

[38] *Card. Baron. an. 419 n. 10. & 11.*

(39) *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 171.*

Romano celebrato anno Christi 455. Hilari Papæ auctoritate: interfuit, inquam, sub titulo Episcopi Senensis [40] pro Sena intelligendo Cæsenam, juxtà morem antiquum, de quo superiùs (41). Nam etiam Carolus Sigonius, nominans Episcopos interessentes antiquissimo Concilio Lateranensi, tempore S.Silvestri Papæ, ac Imperatoris Constantini, ob causam Cæciliani Carthaginensis convocato, memorat *Florianum Senæ Episcopum* (42): quem certum est ex S.Optato Milevitano, ex Cardinali Baronio, & ex Philippo Labbeo superius enunciatis (43) fuisse Antistitem Cæsenatem.

(40) *Labbe tom. 4. in fol.* 1060.*E*
[41] *Vid. supr. c. 2. a n. 2. & c. 3. a n. 4. & cap. 6.*
(42) *Sigon. de Occid. Imper. ad an. 313. l. 3. f. 45.*
[43] *Vide sup. in hoc cap. n. 8.*

22 Ac profectò Eusebius prænominatus esse non poterat Episcopus Senogalliæ, tum quia hæc urbs nunquam antiquitùs denominata fuit simpliciter Sena, sed semper compositè Senogallia. Tùm quia contemporaneè tunc vivebat Venantius, subscriptus Conciliis Romanis IV. & V. sub Symmacho, titulo Episcopi Senogalliensis (44). Nec pariter idem Eusebius censeri valet Præsul Senarum in Etruria: quoniam hæc civitas, non Senæ in singulari, sed Senarum in plurali nomen habet apud castigatè loquentes: (quæ numeralis appellationis discrepantia distinguit quoque Venetiam in Britannia à Venetiis in Italia). Denique Senarum urbs per eam ætatem nondùm sortita erat proprium Episcopum; quem, uti notat Orlandus Malavolta, primò adepta est anno Christi 679. nomine Vitilianum (45). Idipsumque sentit alter Senensis, nempè Ubertus Benevolentius, de quo superiùs [46].

[44] *Labbe tom. 4. Concil. fol.* 1339. & 1368.
[45] *Malavolt. Histor. Senens. p. 1. l. 2. fol. 17.*
[46] *Vide hic supr. cap. 3 n. 4.*

23 Successores antedicti Eusebii fuerunt unus post alium *Veranus Episcopus Cesenę X.* Deindè *Flavianus ejusdem Sedis Antistes XI.* Hujus Flaviani memoriam facit Cæsar Brissius, auribus Clementis Papæ VIII. recensens, quod erat Patria Clusinus [47]. Et Chronologista Cæsenas tradit eum sedisse sub Papa Symmacho, ac vixisse usque ad annum 499. [48]. Post quæ notata quoad res Ecclesiasticas, nunc quoad profanas opportunè subnectimus intuendam speciem oris Principis, qui per hæc tempora in regione nostra regnabat: videlicet Imperatoris Honorii.

[47] *Brissius. Relat. Cæsen. f. 21.*
[48] *Bern. Manzonius Chron. Cæsen. f. 10. & 169.*

24 Or-



24 Ordinariam suæ residentiæ moram, hoc quintò Christi Seculo decurrente, faciebat idem *Honorius Imperator* (Arcadii frater, Theodosii Senioris filius, & junioris patruus,) apud Ravennam: ad cujus civitatis crassiorem aerem, intensumque fervorem æstivo tempore declinandum, Augustus proximam Cæsenæ urbem solebat frequentius advenire (49), ac equidem in hujus territorio, *ædibus ad æstivandam regiis excitatis*, inquit Scipio Claramontius [50]. Eandemque sanè permanentiam contestatur sequens rerum eventus. Cum Gildo tyrannus Africæ fuisset armis Cæsareis debellatus [51] à Stilicone tractatis Augusti Socero; Senatus, populusque Romanus triumphum, ac triumphalem arcum Honorio erexit: de quo Claudianus, Romę nomine, sub hac cecinit prosopopeja.

Ast ego frænabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monumenta dicabam
Defensam titulo Lybiam testata perenni (52).

(49) *Vincent. Cæsenat. de antiq. Rubicon. sect. 3. c. 11. fol. 65.*
[50] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. f. 137.*
[51] *Vid. Cardin. Baroni an. 398. a num. 48. ad 57.*
[52] *Claudian. in 6. Consulat. Honor.*

25 Verùm ipsemet Princeps, tametsi semèl, & pluriès à Romanis rogatus, ut Romam pergeret ad ineundum triumphum; nunc tergiversando, nunc pollicendo, spem dabat eundi, sed nunquàm illùc profectus est, parvipensa occasione tanti trophei, delusa expectatione Quiritum, & coarctata lætitia tam insignis victorię intra districtum, quem interluit fluvius Rubico, decurrens propè Cęsenam. Quamobrèm idem Poeta.

Jam

Jam toties missi proceres responsa morandi
Retulerant, donec differri longius Urbis
Communes non passa preces, penetralibus altis;
Prosiluit, vultusque palam confessa coruscos
Impulit ipsa suis cunctantem Roma querelis
Dissimulata diù tristes in amore repulsas.
Vestra parens Auguste queror, quonam usque tenebit
Prælatus mea vota Ligur, vetitumque propinqua
Luce frui? Spatiis discernens gaudia parvis
Torquebit Rubicon vicino nomine Tibrim [53]?

[53] *Idem Claudian. loc. cit.*

26 Eodem Principe imperante, illustrem Civem habuit Cęsena, nomine *Gennadium*, Proconsulem Gręcię, ac Egypti, & amicum Claudiani Poetę, cujus est ad illum Epigramma octosticon, seu epistola carminibus octo concepta, & sic loquens.

Italiæ commune decus, Rubiconis amæni
Incola, Romani fama secunda fori.
Grajorum populis, & nostro cognite Nilo:
Utraque gens fasces horret, amatque tuos;
Carmina, jejunas poscis solantia fauces.
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
Nam mihi mox nidum, pennis confisa, relinquunt;
Et lare contempto, non reditura volant [54].

(54) *Claudian. Epl. 5. ad Gennad. Proconf.*

Gennadio ergo, qui postulaverat ab eo carmina, respondet Claudianus, ea se in promptu non habere, quia quot modulatus fuerat, tot amicis tradiderat, ad quos (more avium nido abeuntium statim ac plumas emiserunt) abierant, sine spe reversionis.

27 Eundem Gennadium fuisse Italum, præfuisse Gręcię, ac Egypto, quem Nilus excurrit; satis clarè docet Poeta. Adhuc & illum fuisse Cæsenæ civem, indicat manifestè ipsemet Vates, dum illum appellat, *Incolam Rubiconis amæni*, methonymicè ponens flumen patriæ pro ipsa patria. Rubicon autem est ille fluvius, Cæsenæ adhærens, qui adhuc Rico, & populari voce Piscitellus, communiter appellatur. Ac quod hic, non verò alius, sit idem, & ipsemet Rubico Antiquorum, transitu Cæsaris armati contra Romanam Rempu-

publicam, celeberrimus, est adeò certum, ac tot, atque talibus rationibus per viros eruditos, nedùm semel, sed & iterum, ac tertiò divulgatis, ad evidentiam usque patefactum (55); ut id ultrà in controversiam revocare, sit meridianam Solis lucem, & Lunaris disci plenitudinem in quintadecima denegare.

28 Accedit, quod hoc idem Epigramma, multis ab hinc sæculis insculptum lapidi cernebatur, infixo ædibus, familiæ de Tibertis, Cæsenæ sitis, in colle Garampeo (nunc *la Rocca Vecchia*) ut antiquum Chronicon testatur [56]. Quo tempore nondùm excitata fuerat controversia de vero fluvio Rubicone. Præfatis autem ædibus inserta publicè non fuissent eadem carmina, si usque ab antiquissimo illo tempore, generalis omnium persuasio non extitisset, quod Gennadius Proconsul ad Cæsenam pertineret. Cæsenatem illum faciunt Bernardinus Manzonius (57], & Scipio Claramontius [58): ac optimè quidem propter mox recensitas rationes. Mirumquè sanè, quemdam Scriptorem comprovincialem, interdictæ lectionis, nullo constante fundamento, illum subtrahere Cæsenatibus, perperàm fuisse connixum.

29 Honorio sublato è vivis, Imperatoriam dignitatem in Occidente adeptus est Valentinianus, hujus nominis tertius, ejusdem ex Galla Placidia sorore, atque Constantio Cæsare, nepos (59). Quem designasse fertur Antistites suffraganeos Metropolitæ Ravennatis (60). Ac quamvis Cardinalis Baronius efficacitèr insistat, ut pro apocrypho privilegium istud ostendat, concessum, ut supponitur, S. Joanni Episcopo Ravennati à præfato Valentiniano: atque honorificentiam, & jura metropolitica non nisi à Romano Pontifice indultam fuisse Archiepiscopis Ravennatibus (61); attamen res benè sartatecta servari potest, si dicatur, Imperatorem designasse Antistites, quos optabat suffraganea subordinatione subesse Metropolitæ Ravennati: & Papam Apostolica auctoritate idipsum sanxisse, ut ipsimet Principi complaceret.

[55] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. in Apparat. par. 2. Vincentius Cæsenas de Rubicon. Antiqu. Brasch. de vero Rubicon. per ictum.*

[56] *Chron. Manusc. Cæsen. fol. 76.*

[57] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 138.*

[58] *Claramont. Hist. Cæsen. lib. 4. fol. 138.*

[59] *Dionys. Petau. Ratio-nar. temp. par. 1. lib. 5. cap. 12. f. 182. & seq.*

[60] *Hieron. Rubeus Hist. Raven. Girolam. Fabret. Memor. antic. di Raven. par. 2. f. 419. Ferd. Vghel. Italia Sac. in Archiepiscop. Ravenn. Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 197.*

[61] *Card. Baron. an. 432. n. 90. & an. 448. num. 44.*

30 Ac

30 Ac quantum ad rem nostram, perpendere oportet; quod olim Episcopi sibi alter alteri præcedebant ratione dignitatis Ecclesiarum, quibus præerant. Deinde verò ad tollendas competentias de illarum potioritate, decretum fuit, ut sibi vicissim præcederent juxta prioritatem eorum assumptionis ad gradum Episcopalem (62). Juxtà priscum ergò morem tunc vigentem, & attenta directione thematis in prefato Augustali diplomate designati, juxta Romani Pontificis præviam approbationem, Provinciam Ecclesiasticam Ravennatem componebant 15. Antistites. Intèr quos, post Metropolitam, primus locus assignatus fuit Episcopo Sarsinæ (quatenus erat Antistes totius provinciolæ nominatæ *Bobium*: quà de re vide infra (63). Ex Episcopis verò præsidentibus, non ulli provinciæ, sed alicui peculiari civitati, contentæ in Æmilia, primus locus datus fuit Episcopo Cæsenati. Ordo enim Suffraganeorum, & Comprovincialium Episcoporum in præfato diplomate post Archiepiscopum ità se habet: Sarsenæ, Cæsenæ, Fori Populi, Fori Livii, Faventiæ, Fori Cornelii, Bononiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Placentiæ, Brixiæ, Vicohabentię, Hadriæ (64).

31 Postremò memorare hìc oportet, adfuisse Cæsenatibus per decurrentia tempora Civem alium insignem nomine *Candidianum*, adeò equidem illustrem, ut attingeret linea necessitudinis D. Sidonium Apollinarem, qui ex Præfecto electus Episcopus Arvernensis, dudùm anteà commoratus fuerat Ravennæ, duxeratque in uxorem Papianillam, filiam Aviti, postmodùm ad Imperium assumpti (65). Floruitque Sidonius talitèr sanctitate, ut in Martyrologio Romano inter sanctos meruerit recenseri (66). Excelluit quoque doctrina, tàm soluta Oratione, quàm Poesi, ut ex ejusdem scriptis apparet (67). Eximius ergò Sidonius epistolam rescripsit Candidiano (68), jocose illi respondens, prout fuerat jocosè ab ipso prȩventus [69]. Ex tenore verò epistolæ innotescit, eundem Candidianum fuisse patria Cæsenatem. Cogitet proindè Lector

[62] *S. Gregor. lib. 7. epl. 114. Cap. Placuit 1. dist. 18. Concil. Bracar 3. cap. 24. Concil. Mileviton. cap. 13.*

[63] *Vide infra cap. 16. n. 7*

[64] *Card. Baron. ann. 432. n. 91.*

(65) *Gregor. Turon. Hist. Franc. c. 21. Patavius ubi supr. cap. 19. fol. 310.*

[66] *Martyrol. Rom. die 23. August.*

[67] *Vide in Biblioth. Sanctor. tom. 6.*

(68) *Sidon. Apol l. 1. epl. 8*

[69] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 141.*

ctor, quam conspicuum Civem in eo Cæsenę civitas obtineret (70).

[70] *Bern. Manzonius. Chronol. Cæsen. f.131.*

32 Epistola responsiva præfata sic loquitur. *Sidonius Apollinaris Candidiano suo salutem. Morari mè Romę congratularis: id tamen quasi facetè, & fatigationibus admixtis. Ais enim, gaudere tè, quod aliquandò necessarius tuus videam solem, quem utique raro bibitor Araricus inspexerim. Nebulas enim mihi meorum Lugdunensium exprobras, & diem quereris, nobis matutina caligine obstrictum, vix meridiano fervore reserari. Et tu istaec mihi Cęsenatis furni potiùs, quam oppidi verna deblateras. De cujus natalis tibi soli, vel jucunditate, vel commodo, quidquid etiam ipse sentires, dum migras indicasti: ita tamen quod te Ravennę felicius exulantem, auribus Padano culice perfossis, municipalium ranarum loquax turba circumsilit &c.* (71)

(71) *Sidon. Apollin. epist. 8. lib. 1.*

33 Posset hinc fortassis aliquis Cęsenam carpere de antiqua exiguitate: quandoquidem Sidonius illam vocat furnum potiùs, quàm oppidum. At citò calumnia conticesceret, facta collatione verborum utrimque scriptorum. Sidonius enim non seriò, sed facetè consanguineum pulsat eadem arte, qua prius fuerat vellicatus: & coarguit usque ad excessum de pusillitate Cæsènam patriam Candidiani, quia hic pari jocositate pugugerat de nebulositate Lugdunum, ubi occasionalem ortum ipsemet Sidonius fuerat assecutus (72). Nec alioquin est mirum, hunc talia, talitèrque scripsisse: cum *sæcularibus jocis homo natura lepidus* delectaretur, præsertim ante assumptum Episcopatum (73). Alia de sensu Epistolæ hujusmodi relative ad Cæsenam, vide apud Paulum Manutium (74).

[72] *Labbe dissert. de scrip. Eccl. tom. 2. in Sidonio f.346.*

[73] *Card. Baron. an. 472 num. 17.*

[74] *Paulus Manut. Ortho gr. V. Cæsena fol. 131.*

34 An autem iste Candidianus fuerit unus, & idem cum illo Candidiano, quem Imperatores Theodosius II. & Valentinianus III. alter in Thracia, & alter in Italia residentes, miserunt ad Concilium Ephesinum, ut eorum nomine legatione Cæserea fungeretur, inquientes, *Candidianum præclarissimum, religiosissimorum domesticorum*

CAPUT XIV.

De ipsa Civitate Cæsenæ, detinentibus Italiam Regibus *Herulorum*, *& Gothorum*.

SUMMARIUM.

1 *Post Valentinianum 3. Romanum Imperium quotidiè ruit in deterius, tandèmque desivit in Augustulo.*

2 *Gothi undenàm prodierint? Quinam Ostrogothi, & quinam Visigothi dicerentur?*

3 *Radagasius cum ingenti barbarorum exercitu victus fuit à Stilicone, tutore, ac socero Imperatoris.*

4 *Alaricus invasit Italiam, clàm excitatus à Stilicone contra Imperium.*

5 *Invasit & Romam: ubi tamen moderatè se gessit. Stilico interemptus fuit jussu Imperatoris.*

6 *Atila movit arma contra Imperium: Adversus eum in Gallia pugnarunt Ætius, & 4. Reges.*

7 *Reversus in Italiam Atila, sistitur opera S. Leonis Papæ. Paulò post moritur, & qualitèr.*

8 *Verba Ætii concitantis principes adversus Atilam. Ætius idem fuit beneficus in Cæsenates.*

9 *Gensericus Rex Vandalorum invasit Italiam, diripuitque Romam, & qua occasione?*

10 *Odoacer Rex Herulorum irrupit in Italiam, & Augustulum deposuit: cessavitque Imperium Occidentale.*

11 *Fuit Odoacer benevolus in Cæsenę cives: quorum urbs in ejus obedientia fidelis perseveravit.*

12 *Multæ Civitates dictæ sunt Castellum: & hæc dictio quid sit apta significare?*

13 *Theodoricus, occiso Odoacre, fundavit Regnum Gothorum in Italia.*

1 TAm socordia Principum, qui Romano præfuerunt Imperio,(1)quàm opulentia, & amęnitas Italiæ, barbaras nationes ad ejus invasionem iteratis vicibus provocavit, quinto Christi Sęculo decurrente: Gothos, Hunnos, Vandalos, qui eandem regionem diris invasionibus afflixerunt. Ipsumque Imperium quotidie ruens in deterius (post interitum Honorii, haud parum inertis [2], necnon Valentiniani III. omnibus penè vitiis inquinati, usque ad magicę artis deliramenta [3], quibus suę luxurię deserviret]. Ipsum, inquam Imperium, Occidentale, velut pila, hinc indè percussa, super caput novem Principum, per breve quibusque tempus, infelicissimè saltitavit. Hi fue-

[1] *Torsellin. Epitom. Hist. lib. 5. ad ann. 451.*

[2] *Dionys. Petav. Ration. temper. par. 1. lib. 6. cap. 12. §. At in.*

[3] *Card. Baron. an. 455. 3.*

fuerunt, Maximus, Avitus, Majorianus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, & Romulus: qui simul omnes vix viginti duorum annorum spatium impleverunt (4). Et hic postremus ętate imbellis, non Augustus, sed irrisoriè fuit Augustullus appellatus: in eoque prorsus Romanum idem desivit Imperium *Occidentale*.

2 Gothi ex Scandinavia peninsula prodiere, ac in Scythiam prius profecti, ad Euxini Ponti littora constiterunt (5). Ubi qui morabantur versus Orientem, *Ostrogothi*, videlicet Orientales Gothi dicti sunt: habitantes verò versus Occasum, *Vvisigothi* appellabantur, nempè Gothi Occidentales (6). Priorésque *Amalorum*: posteriores autem *Balthorum* familiis paruerunt (7). Ac post varias contentiones cum finitimis populis habitas, ipsumque Orientis Imperatorem Valentem prelio victum, & in rustico mapali combustum (8): in amicitiam tandem Imperii Romani admissi sunt, veluti fæderati (9). Ac postremò contrà ejusdem regiones occidentales arma moverunt.

3 Primus omnium *Radagasius* cum ducentis (10), vel ut aliis placet, cum quadringentis millibus Gothorum (11) Italiam inundavit. Cui occurrit Stilico, religione Paganus, & natione Vvandalus: at strenuissimus Dux, & maritus Serenæ, quæ fuit soror Theodosii senioris, olim Imperatoris: necnon Tutor Honorii tunc Imperantis: hujusque bis socer, propter Mariam, atque Thermantiam filias, eidem Cæsari successivè neptui copulatas (12). Et quamvis penès ipsum Honorium Imperii titulus esset; res attamen, potentia, & administratio Imperialis unius erat Stiliconis (13). Hic ergò Redagasium cum illa ingenti Barbarorum colluvie, *Fesulanis inclusum montibus internecione delevit, Duce ipso capto, & occiso, quod anno* 405. accidit, vel sequenti (14). Ac equidem tam terribili strage, *ut quibus captivis ferrum pepercerat, passim pestilentia, quasi vilissimis pecudum gregibus vitam eriperet* (15). Sub Gothis autem ingentem calamitatem perpassa est Cæsena (16). Nùm autem sub Radagasianis, incertum est.

4 Paulo post irrupit in Italiam *Alaricus*, ex prosapia *Bal-*

[4] *Sigon. de Occid Imper. cap.* 14.

[5] *Jornand. de Rebus Goth. cap.* 3. 4.

[6] *Paulus Diacon. Miscel. lib.* 12. *cap.* 21. *Turselin. l.* 5. *ad ann.* 408.

[7] *Petav. ubi supr. par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14.

[8] *Card. Baron. ann.* 378. *num.* 25.

[9] *Jornand. loc. cit. cap.* 18.

[10] *Paul. Oros. Histor. lib.* 7. *cap.* 37. *Baron. an.* 406 *num.* 1.

[11] *Zosimus Histor. lib.* 5.

[12] *Petav. Ration. Tempor. par.* 1. *lib.* 6. *cap.* 10.

[13] *Joan. de Busieres Flosc. Histor. par.* 2. *cap.* 2. *f.* 83.

[14] *Petav. loc. cit. Baron. an.* 406. *à n.* 1.

[15] *Busieres. loc. mox citot.*

[16] *Chron. Manuscr. Cæsen. fol.* 5.

Baltha, cum alio immani examine Visigothorum, clam à Stilicone ad id excitus: qui diadema Imperiale transferre gestiens, ab Honorio genero in Eucherium filium, barbaros incitabat, ut armis Imperium lacerarent [17]. Ab ipso Alarico Cæsenam fuisse devastatam, antiqua monumenta recensent [18]. Et sanè Rex ipse ità Honorio Cæsari scripsit: *Geritur bellum propè Ravennam ab hinc triennio varia fortuna, maxima utriusque exercitus clade, quod libidine Stiliconis Ducis tui nobis indictum est, &c.* [19]. Si bellum agebatur jam per triennium varia fortuna propè Ravennam, nil mirum, quod & Cæsena illi proxima, exempta non fuerit à furore Barbarorum, omnia ferro, & igne vastantium.

5 Porrò Alaricus Romam quoque hostilitèr invasit, quam Honorius, nec *obsessum juvit, nec captam prosecutus est lacrymis &c. Urbs triduum spoliata, sed modestia barbaris rara* (20). Invasor ille namque à molestiis exemit quotquot ad sacras Basilicas confugerunt (21). At simile præsidium non profuit Stiliconi: cujus *occultis artibus ab Olympio detectis, anno Christi* 408. *Ravennæ, cum ad Ecclesiam confugisset, occisus fuerat Heracliani manu &c. Tum anno sequenti Eucherius cum Serena matre peremptus est* (22). Roma demùm digressus Alaricus, ut versus Siciliam properaret, subita morte correptus, & in alveo fluminis Bisentii propè Cosentiam fuit cum suis divitiis tumulatus: illique successit in Regno Athaulphus, qui Gallam Placidiam Honorii sororem, Roma traductam, justis sibi nuptiis copulavit [23]. Hæ nuptiæ celebratæ fuerunt apud Forum Cornelii Kalendis Januarii anni 414. [24]. Tum sponsæ precibus delinitus Athaulphus ab Italia recessit (25), novum sibi regnum alibi positurus, donec à suis apud Barcinonem occisus est [26].

6 Arma deindè contra Italiam erexit *Atila* Hunnorum Rex, Bendekuzi filius, ac frater Bledæ, quem occidit; dictus Flagellum Dei (27). Alluvione inexhausta barbarorum stipatus, quatuor simul adorsus est gravissima bella: I. adversus Theodoricum Vvisigothorum Regem. II. contra Merovęum Francorum item Regem. III. adversus Valen-

[17] *Petavius ubi supra Cabasut. Synops. Histor. Secul.* 5. n. 6. *fol.* 182.
(18) *Chron. Cæsen. Manusc. fol.* 81.
(19) *Epistol. Princip. f.* 67.
[20] *Busser. Flosc. Histor. p.* 2. c. 2. *f.* 84.
[21] *Card. Baron. an.* 410. *num.* 14. & 23
[22] *Petavius Ration. temp. par.* 1. *lib.* 6. *cap.* 10.
[23] *Paul. Diac. Miscel. lib.* 13. *Baron. ann.* 411. *n.* 1.
[24] *Petav. loc cit cap.* 10. *in fin. & cap.* 12. §. *Athaulpho.*
[25] *Cabasut. Synops. Hist. Secul.* 5. *n.* 7. *fol.* 182.
[26] *Turselin. Epitom. Hist. l.* 5. *ad an.* 408.
[27] *Paul. Iovius in Vita Attilæ.*

lentinianum III. Imperatorem Occidentis. IV. contra Marcianum Imperatorem Orientis (28) Proficiſcentis prius in Galliam vexilla ſecuta ſunt barbarorum millia ſeptingenta [29] : sèsèque illi oppoſuerunt ſimul ex condictò Ætius Valentiniani Dux , nec non Meroveus Francorum , Theodoricus Vviſigothorum , Gundericus Burgundiorum , & Sangilanus Alanorum Reges. *In campis Catalaunicis in Gallia , anno Chriſti* 451. *pugna conſerta : cui vix par ulla veterum alia . Fuiſſe horribilem, cæſa utrinque* 162. *millia huminum docent : præter* 90. *millia Francorum , & Gepidarum , qui nocte pugnæ prævia ſibi occurrentes , quaſi ad præludium mutuis vulneribus conciderunt* [30].

7 Victus Atila redivit in Pannoniam , ut copias repararet (31) : quibus deinde aggreſſus Italiam , Aquileia devaſtata , Mediolano , Ticino , aliiſque Inſubriæ Civitatibus , quà ſubverſis , qua concuſſis , Romam verſus iter dirigebat [32] : & Italiam univerſam exterminaſſet ; niſi occurrentis eidem , ubi Mincius in Padum influit , ſancti Leonis Papæ primi , precibus , majeſtate , pietate , ac facundia dellinitus : nec non ſimul terrefactus viſione ſanctorum Petri , & Pauli Apoſtolorum , interminantium illi mortem , niſi Leoni obſequeretur ; promiſſa Romano Imperio pace firmiſſima , ultrà Danubium , haud rediturus ampliùs, abiiſſet [33] . Ubi occaſione novarum nuptiarum cum Ildide ſpecioſa puella, mero largius hauſto , ſanguinis eruptione , illi à naribus, & vomitu immodicè profluentis, peremptus eſt (34). *Ita homo cruoris humani ſitientiſſimus ſuo cruore ſuffocatus extinguitur* [35] . Vel, ut alii ferunt, Ætii hortatu nocte manu mulieris fuit cultroconfoſſus [36]

8 Hæc memoraſſe proderit, ut ſciatur , quanta fuerit virtus , providentia , & ſtrenuitas Ætii Patricii , cujus fere ſolius viribus , ac tutamine , tota tunc Imperii Occidentalis ſuſtentatio nitebatur [37]. Ipſe namque inferenda per Atilam exterminia prævenit , ſcribens Theodorico Balthæ Vviſigothorum Regi: Opus eſt , *ut nos communi impenſa , de periculo illi occurramus . Si enim Alanos , Burgundiones , Francos , Saxoneſque auxiliares copias habeamus ,*

[28] *Cabas ubi ſupr. in Appendic. f.* 194.
(29) *Paul. Diaconus Miſcel. lib.* 15.
[30] *Joan. de Buſieres Floſc. Hiſtor. par.* 1. *cap.* 2. *fol.* 94.
[31] *Jovius in Vita Attilæ.*
[32] *Paul. Diacon. in Miſcel. lib.* 15.
[33] *Card. Baron. an.* 452. *num.* 54.
[34] *Jovius. ubi ſupr. in Vita Attilæ. Turſelin. l.* 5. *ad an.* 451.
(35) *Idem Turſellin. loc. cit.*
[36] *Baron. an.* 454 *n.* 23.
[37] *Hor. Turſelin. loc. cit.*

donavit ei reditum sex millia solidos, & misit eum intrà Campaniam cum parentibus suis libere vivere [47]. Erat ejus nomen, non Momylus, ut aliqui censent; sed Romulus Augustus, qui *ob puerilem ætatem vulgò Augustulus vocabatur* (48). Sive autem spontè, sive vi exauctoratus ab Odoàcre, fuit in provinciam Campaniæ relegatus [49]. Et ità denique anno Christi 476. in ipso imbelli Augustulo, finem habuit Occidentale Imperium, *in Julio Cæsare conditum, totius penè Orbis strage, cum stetisset annis 525. Et in eo desiit illa Respublica terrarum potens, ut barbarorum omnium, suorumque præda, nec qui imperaret, nec in quem regnaret, habuerit* (50).

11 Odoacer, Ædiconis filius, (51) ditione potitus, nomen Impèratoris, vel modestè respuens, vel arrogantèr contemnens, Italiæ Regis dumtaxat sèsè titulo contentum ostendit [52]. Attamèn sibi præfixit in animo propositum subtrahendi antiquam denominationem almæ Vrbis, ut non jam Roma, sed Odoacria vocaretur: ast deliberationem non implevit [53]. Ipse fuit primus Rex Italię post Cæsares Occidentales exactos: & sedem sui Regni posuit apud Ravennam. Se Cæsenatibus autem benignum exhibuit: & schema prospectus illius est istud, ex Emanuele Thesauro de Regno Italiæ desumptum.

[47] *Miscella antiq. lection. fol. 17.*

[48] *Henric. Vales. note in ead. Miscell. fol. 47. 48.*

(49] *Petav. ubi supr. c. 18. Sigon. loc. mox cit.*

[50) *Busier. Flosc. Histor. por. 1. cap. 2. fol. 102.*

(51) *Miscell. antiq. lection. fol. 20. Et ibi Valens. et f. 48*

(52) *Sigon. de Imper. Occidi. lib. 15. in prin. Brasch. de Libert. Eccl. t. 2. cap. 25. nu. 33.*

(53) *Theatr. Vitæ hum. V. Magistratus fol. 41.*



Cęsenę profectò urbem ita fortem, & fidelem in ipsius obsequio expertus est Odoacer; ut advenientes postmodum Gothi ad illum Italia depellendum, Cæsenam non potuerint expugnare: cum jam alias circumpositas civitates sibi viri-

litèr subiugassent [54]. Hinc Leonardus Aretinus: *Gothi in urbe Ravenna Odoacrem obsederunt &c. Triennio ferme toto circà illam commorati capere nequiverunt. Finitima tamen Ravennæ Oppida* [hic Auctor, ut plurimum Civitatibus dat nomen Oppidi] *per hoc idem tempus ceperunt omnia, præter Cæsenam, quæ & ipsa valido Odoacris præsidio tenebatur* [55].

12 Idipsum testatur Procopius historicus Græcus, qui propius ad illa tempora vixit, recensens, quod Theodoricus Ostrogothorum rex optimè bellum administrans contrà Odoacrem, illum tribus præliis victum, & fugatum; intrà mænia Ravennę gravi obsidione coarctavit, atque omnia quotquot aggressus est loca, sibi felicissimè subiugavit: *Cęsenam autem Castellum, Ravenna stadiis 300. dissitum, necnon Ravennam ipsam, ubi erat Odoacer, in potestatem suam nec vi, nec deditione redigere valuit* [56]. Non mireris verò, quod Procopius vocet Cæsenam *Castellum*, quia Scriptor iste Græcus frequenter tali nomine denotat Civitates. Et ità dat *Anconæ* titulum Castelli: *Rusciano* item Calabriæ, necnon *Rhegio* primariæ urbi ulterioris provincię Calabrę, attribuit eandem Castelli appellationem (57): ne similes alias Civitates enumeremus ab eo expressas voce Castelli: qua significare intendit, non aliquod Castrum, vel paruum Oppidum, sed locum fortem, atque munitum, qualiscumque ille esset, sive Urbs, sive Oppidum, sive Arx, aut aliud Fortalicium (58). Hæc omnia namque significare apta est dictio *Castellum* (59]. Eo modo, quo si dicamus Italicè, *una Piazza*, una *Fortezza*; nedum plateam, & arcem; sed etiam Urbem, & Oppidum significamus, ad res militares validè communitum. Vide quæ de verbo Oppidum infra dicemus *cap.* 15. *n.* 14. Et de dictione Castrum ibidem loquemur *cap.* 15. *n.* 19. & 20.

13 Itaque Theodoricus ex regali progenie Amalorum, Ostrogothis dominante (filius nothus Theodomiri, orti ex quondam Vvandalario) à Zenone Imperatore Constantino-

po-

(54) *Blond. histor. incl. Imper. dec. 1. lib. 3. Rubeus hist. Raven. l. 2. sub ann. 492.*

(55) *Leonard. Aret. de Bell. Gothor. lib. 1. fol. 9.*

(56) *Procop. eod. titul. lib. 1. cap. 1. in med.*

(57) *Idem lib. 2. cap. 11. 13. & 24. ac lib. 3. cap. 29., & 39.*

(58) *Scip. Claram. Hist. Cęsen. lib. 5. fol. 157.*

(59) *Onomastricon. Roman. V. Rocca.*

politano missus, ut Odoacrem Italiæ detentorem armis expelleret (60); ingenti Ostrogothorum exercitu constipatus, anno Christi 489. prius ad Isontium flumen propè Aquilejam, deindè in agro Veronensi, rursusque ad flumen Abduam, seu Ducam, eundem Odoacrem tribus præliis vicit: ipso Tufa magistro militum Herulorum, & maxima parte illius exercitus, transeuntibus ad partes Victoris (61): qui Victum Ravennam regressum, ibi *triennio illum obsedit: ac postremò fraudulenta cum eo pactione facta, ut Italiam communiter obtinerent, ad convivium adhibitum, eundem interfecit, anno* 493. (62) quamvis adversæ fortunæ compulsus necessitate, victus Rex dedisset *filium suum Thelanu obsidem* victori Regi, *accepta fide securum se esse de sanguine* (63). Celebris est apud Historicos hęc proditoria Odoacris regis oppressio (64). Quam Theodoricus excusare nixus est, scribens Zenoni Imperatori: *Quam primum Ravennam ingressus sum, de Odoacre, ac filio supplicium sumpsi, qui agros incenderat, urbes everterat, tantumque ubique locorum humani sanguinis effuderat* (65).

14 Tunc Gothorum Regi Cęsena quoque demùm se subdidit (66). Nàm antea triennali obsidione Ravennate durante, Rex *Theodoricus omnibus, quæ adiit oppidis, magna felicitate, una Cæsena excepta, potitus, rediit ad castra* (67). Refluitque in honorem nostrę Civitatis, potuisse penè solam valido invasori per adeo diuturnum tempus resistere. Nec enim præsidium Herulorum dumtaxat, verùm etiam situs natura, munimen arcis, & fides civium Odoacri pręcedentèr obstricta, illam reddidit inexpugnabilem. *Et cum adversus Cæsenam frustrà triennium arma Gothi intentaverint, argumento est, ipsam situ nedum, sed & opere munitam, imò & forti, ac fido populo, nedum magno, & strenuo prȩsidio instructam* fuisse. Nam ad *longam obsidionem ferendam, oportet cum loci monimentis, & cum fortitudine militum, populi conspirare fidem, & virtutem* (68).

15 Regnum igitur Herulorum in Italia unicum habuit Regem. Regnum verò Gothorum, sive Ostrogothorum octo

(60) *Evagr. Histor. lib.* 3. *Ioan. Magnus lib.* 9. *cap.* 18.

(61) *Miscel. Antiq. lection. fol.* 23.

(62) *Petau. Ration. Temp. par.* 1. *lib.* 6. *c.* 18. *in fin*

(63) *Miscel. Antiq. lection. fol.* 24.

(64) *Card. Baron. ann.* 491. *n.* 19. & 492. *num.* 2.

(65) *Epistolæ Principum fol.* 74.

(66) *Chronic. M. S. Cæsen. pag.* 81.

(67) *Sigon. de Occid. Imper. lib.* 15. *f.* 263. 9

(68) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib.* 4. *fol.* 140.

octo Reges numeravit: qui fuerunt Theodoricus, Athalaricus, Theodatus, Vitiges, Ildebaldus, Eraricus, Totila, & Teja (69). Matre catholica Exereliva, quę in baptismo dicta est Eusebia, erat ortus Theodoricus: ipse tamen Arrianam hęresim sectatus est, sed talitèr, ut nihil contra fidem orthodoxam aggrederetur. Annis 33. regnavit: uxorem habuit Angofledam ex progenie Francorum: bellicosissimus fuit, & amator fabricarum, ac civitatum restaurator (70): sed adeò literarum peritia destitutus, ut nec sciret suum nomen paginę subsignare: quare *laminam auream jussit interassilem fieri, quatuor literas regis habentem, ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam, per eam pennam duceret, & subscriptio ejus tantum videretur* (71). Eo regnante *Gothis ad Romanam transire fidem tutò licuit. Nemo prætereà, qui ad Christiani cultus Ecclesias confugisset, à Ghotis per vim abstractus est. Magistratus publici penès Romanos mansere, nec ullus Gothus eos gessit* (72).

16 Mortuo Theodorico, regnavit Athalaricus puer, ejus nepos ex Amalasunta filia, Eutharici Amali uxore: quę post maritum, filiumque defunctos, Reginę nomine, ac potestate insignita, nupsit secunda vice Theodato patrueli suo. Hic verò haud multò post, ipsam fecit nequissimè in Vulsini lacus insula strangulari (73). At & ipse citò Regnum amisit. Nam cum Roma in Æmiliam reverteretur, *occisus est à Gothis 15. milliario à Ravenna, mense Decembris*, anno Christi 537. (74). Regiumque diadema Gothicum ad *Vitigem* transivit, maritum Matasuentæ, sororis Athalarici olim Regis. Vitiges dilexit civitatem Cæsenę: ubi & cum uxore sibi complacebat frequentiùs permanere. Munivit eam quoque vallis, ut firmiùs posset bellicis periculis obviare [75]: addito civium robori, ei fidelitèr obsequentium, pręsidio quingentorum quandoque Gothorum, qui arcem fortitèr custodirent [76]. Ejus, tamquam de Cæsenatibus benemerentis, damus hìc effigiem.

(69) *Sigon. loc. cit. l. 15. Emon. Thesaur. de Regn. Ital.*

(70) *Miscella Antiq. lection. f. 24. 25. 30.*

(71) *Ibidem f. 33.*

(72) *Henric. Valesius in not. ibid. fol. 49.*

(73) *Petav. Ration. Tempor. par. 1. lib. 6. cap. 14. Sigon. ubi supr. lib. 18. f. 304.*

(74) *Agnel. Rav. lib. Pontifical. par. 2. in Vit. S. Ursicin. cap. 1.*

(75) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 37. & 82.*

(76) *Procop. de Bell. Gothic. lib. 2. cap. 12. Leonar. Aret. eod. tit. lib. 2. fol. 73.*



17 Interim Belisarius, à Justiniano Imperatore missus; ut Gothorum regnum subverteret, Æmiliam penè totam subiugavit, non tamen Cęsenam [77]: ita ut in eo rerum conflictu *sola Ravenna, & Cęsena, in hac regione à Gothis retineretur* [78]. Supervenit & Narses: narratque Procopius, quod cum Belisarius Urbinum occupasset, *Narses tenuit se Arimini: & Joanni* [Vitaliano] *ut cum omnibus copiis Cæsenam peteret, imperavit. Illæ scalis instructę, ad Castellum eum accessissent, muro impressione tentato, ac Barbaris* (idest Gothis) *validè propulsantibus non paucos ibi amiserunt: in quibus fuit Erulorum dux Phanateus. Joannes peracta semel ad Cęsenę Castellum opera, adoriri iterum noluit, quod inexpugnabile videretur. Indè cum Justino, reliquoque exercitu progressus Forum Cornelii, urbem antiquam occupavit ex improviso: ac retro usque cedentibus, nec manus usquam conserentibus, universam Æmiliam in jus, ac potestatem Imperatoris redegit* (79). Sola ergò Cæsena delusit vires Græcorum. De cujus insuperabilitate Leonardus quoque Aretinus testatur (80).

18 In tam gravi rerum Gothicarum perturbatione, Vitiges rex tutum se fecerat Ravennę: ubi & longa, diraque obsidione circumdatus, hostes pro posse retudit: donec ruentibus quotidiè in deteriùs tàm rebus, quam viribus ipsius, jamque cernens deesse modum ulterius resistendi; se se pariter, & Ravennam in potestatem tradidit Belisarii (81). Tuncque milites quoque Gothi, qui custodiebant munimenta remotiora tractus Venetici, fortunæ,

(77) *Sigon. de Occid. Imper. lib. 18. f. 315.*

(78) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 145.*

(79) *Procop. loc. cit. lib. 2. cap. 19*

(80) *Leonard. Aret. de Bell. Gothor. lib. 4. fol. 86.*

(81) *Card. Baron. ann. 540. nu. 37. & 54. num. 4.*

næ Victoris absque ulteriori cunctatione cesserunt. Belisarius, inquit Procopius, *omnibus animo propensissime data fide Tarvisium, & alia quoque subdit Venetorum munimenta. Cęsenam, quæ in Æmilia restabat sola, prius, eodem nimirum tempore, quo Ravennum, subegerat*, currente anno quinto Gothici belli [82]. Cæsena igitur constantissimè perstitit in Vitigis regis sibi dominantis obsequio: & fuit ultima civitas Æmilię, quam Græci valuerint expugnare (83). Victus deindè rex, cum sua uxore, à Belisario Constantinopolim perductus fuit (84): ubi se adversantis fortunæ spectaculum exhibuit miserandum, anno Christi 541.

[82] Procop. de Bell. Gothic. lib. 2. cap. 29.
(83) Scip. Claram. loc. cit. f. 145.
(84) Procop. lib. 3. in princip.

19 Post Vitigem Gothis prefuerunt priùs Ildebaldus, deindè Eraricus, ambo reges, amboque brevi tempore morte violenta sublati. Subsecutus est *Totila* Baduilla, Ildebaldi ex sorore nepos, vir magnanimus, ac terribilis; tantundemque celebris: qui sua strenuitate nutantes res Gothicas reparavit: & citò penè universam ad sua obsequia revocavit Italiam, tunc vacuam Belisario, ad bellum Persis inferendum transmisso (85). De ipso Totila, quantum ad nostram pertinet civitatem, ita scribit Leonardus Aretinus initio anni octavi belli Gothici: *Ut primum educendi copias tempus fuit: Totilas coacto exercitu in agrum Gallicum venit*. (idest in regionem, cui olim præerant, Galli Senones). *Ibi Cęsenam, & Petram oppidum, quod hodie corrupto in vulgus nomine, Bretanorum appellant, obsedit. Cætera verò ejus regionis oppida permulta, vel vi, vel pactione cæpit* (86).

(85) Paul. Iovius Homin. Illustr. in Totila.
(86) Leonard. Aret. de Bell. Gothic. lib. 3 f. 124.

20 Nec obsessam dumtaxat, sed & denique captam tradit evidentèr Procopius fuisse Cęsenam à Totila rege (87): qui & illius militare præsidium, arcem custodiens, in ore gladii trucidavit: ac ipsam quoque civitatem totaliter desolasset; nisi precibus *Ignatii III. Episcopi Cęsenæ XII.* delinitus, aliquanto mitius desævisset [88]. Ejusdem regis Cęsenatibus infesti, hæc est effigies

[87] Procop. eod. titul. lib. 3. cap. 5.
[88] Bernard. Manzon. Chronolog. Cæsen. f. 10.

In



In ea civitatis expugnatione pars murorum urbanorum vastata fuit, pluresque civium ædes dirutæ, ac antiquissima quoque Cathedralis Ecclesia devastata [89]. Quo fit, ut à nonnullis censeatur, Cæsenam fuisse à Totila Gothorum rege subversam (90): solito urbes victas involere ruinis, ne salva quidem alma Roma: quam ingentibus detrimentis affectam non totaliter æquavit solo, quia minis territus Belisarii manum compescuit [91] receptis literis ita loquentibus: *Si bello victoria potitus fueris, Romamque deleveris, rem non alienam, sed tuam perditum ibis. Sin victus eris: servata urbe Roma, gratias immortales; deleta vero humanitatem nullam à victore expectare debes* [92].

21 Per hæc tempora præfuit Ecclesię nostræ *Gisulphus Episcopus Cesenæ XIII.* quem nostrates filium regis Totilę appellant (93). Et sanè natione Gothum fuisse, facilè suadet etiam ipsa nominis euphonia, quæ sonum Gothicum habet. Attamèn reperire est in historiis plures Gisulphos, ad posteriora sæcula pertinentes: prout Gisulphus Forojuliensis Dux [94]: Gisulphus Abbas S. Christinæ (95): Gisulphus Abbas Cassinensis [96]: Gisulphus Dux Beneventanus: Gisulphus I. & II. Principes Salernitani: Gisulphus Capuanus: Gisulphus Teanensis &c. de quibus Leo Ostiensis. Fortè Totila mitigare voluit plagas, Cæsenæ, ac Cæsenatibus illatas, præficiendo illis in Antistitem proprium filium Gisulphum.

22 Ambiguam tamen hanc filiationem reddit perpensio, quod idem Rex legitima carebat uxore. Nam tempore, quo Gothis imperabat, nuptias postulavit Filiæ Re-

gis

[89] *Chron. M. S. Cæsen. fol. 15. & 39.*

(90) *Gio. Villan. Hist. lib. 2. cap. 3. Bernin. Hist. delle Heres. tom. 2. Secul. 8. cap. 9. fol. 102.*

(91) *Procop. de Bell Gothic. lib. 3. cap 22.*

(92) *Epistolæ Principum fol. 66.*

(93) *Manzoni Chronol. Cæsen. fol. 171. Chron. M. S. Cæsen. fol. 82.*

(94) *Paul. Diac. de Gest. Longob. lib. 4. capit. 12.*

(95) *Ioan. Pap. 8. epist. 239.*

(96) *Leo Ostiens. Chronic. Cassinen.*

gis Francorum [97]. Nedumque non obtinuit, sed imò haud gratam passus est repulsam his verbis: *Si amplitudinem regni tui, ac rerum gestarum gloriam respiciam, dignus profectò eras, cui tutò filiam meam uxorem darem: Sed illud sævitię, ac improbitatis me penitùs deterrebat, quod te perditissimum regum Romanam urbem omnium pręclarissimam, incendere, ac evertere non puduerit. Tantum enim abest, ut filiam meam tibi despondeam, ut tù etiam tanti sceleris aliquando pęnas mihi daturus sis* (98). Vel ergo Gisulphus Episcopus Cæsenæ non fuit filius Totilæ: vel natus est ex alia patris uxore, antequam Gothico regno præficeretur: (de qua tamen minimè constat apud Historicos, quod sciamus): vel demùm ex damnato conceptus coitu, præjudicio erat illegitimorum natalium irretitus.

(97) Eman. Thesaur. Regn. Ital. in Totila.

(98) Epistolæ Principum fol. 66.

23 Totila denique, cum jam per annos undecim regnasset, strenuique, ac formidandi Regis famam sibi undique conciliasset; obvius factus Narseti Duci Græcorum in Piceno, inter Callium, & Aqualagnam, libens cum eo arma conseruit. Verùm adversante sibi forte, in conflictu pugnæ succubuit: à quà per fugam elapsus, ab insequentibus hastæ cuspide vulnus accepit, citòque moriens, post sepem agrariam in monte Catritano fuit miserrimè tumulatus (99). Sunt qui dicunt, illum alibi decessisse. Prostratis cum suo Rege Gothis, perplures Civitates Græcis manus victas dederunt: & inter has Cæsena: quam Narses reparavit, ac taliter munimentis, & præsidio roboravit; ut paulò post gravem obsidionem valuerit sustinere.

(99) Paul. Iovius in Totila.

24 Nam *Teja*, Totilæ subrogatus in officio Regis Gothorum, Cæsenam recuperare desiderans, eam castris circumvallavit, & obsessam bellicis insidiis constrinxit: illa tamen imperritè resistens, astus invasoris elusit (100) Phaga Duce Græcorum Gothos obsessores exteriùs fatigante: ac magno nivis turbine cælitus illabente, qui obsessos tuitus est: quamobrem Teja desperata urbis expugnatione confusus abscessit (101). Indè progressus in provinciam Campaniæ, ut res Gothicas ruentes in præceps pro viribus

(100) Scipion. Claram. Hist. Cæsen. lib. 4. f. 147. Chronic. M. S. Cæsen. fol. 82.

(101) Eman. Thesaur. Regn. Ital. in Teja Claramon. loc. cit.

bus repararet, fortuna votis ejus minimè respondente, ibidem fortitèr pugnans cum hostibus, deniquè interemptus est, anno primo sui regni, & Æræ Christianæ 553. (102). Sunt qui alibi extinctum ferunt. Certè verò in eo prorsùs defecit Regnum Gothicum Italiæ, quod substiterat sexaginta duobus circitèr annis.

(102) Carol. Sigon. de Imper. Occident. lib. 19. f. 344.

25 Dignùm verò est hic solerti ponderatione, quod civitas Cæsenæ in brevi curriculo Regni Gothorum, sive Ostrogothorum, quatuor sustinuit gravissimas obsidiones, nempè Theodorici, Totilæ, ac Tejæ, potentissimorum regum Gothicæ gentis: necnon Joannis Vitaliani Græcorum Ducis, missi à Narsete. Nedùmque invasoribus restitit inconcussa; verum etiam ter inexpugnata vires efferatas hostium superavit. Hæc verò proculdubiò non evenissent; nisi eadem urbs, & naturali terreni situs, & artificiali operis humani, & lauti commeatus, atque apparatus bellici munimentis, vallata fuisset: simulque suorum civium, tum affluentia, tum constantia, tum strenuitate suffulta. Quibus omnibus in unum conspirantibus; & minantes adversarios contempsit: & irruentes pertulit: & pugnantes non tam fortissimè, quam & honorificentissimè fatigavit.



CAPUT XV.

De Urbe Cæsenate, Dominantibus Italiæ Regibus *Longobardis*, et *Exarchis* Græcorum.

SUMMARIUM.

1 *INcursio Leutharis, & Bucelini Francorum Italiam afflixit, Narsesque illos repressit.*

2 *Leutharis Cęsenam diripuit. Pestilentia sublatus dedit occasionem Italis magnæ lętitiæ.*

3 *Anno 565. Arx vetus Cæsenæ incendio conflagravit, quę deinde reparata est.*

4 *Eodem tempore S. Severus, prævio indicio Columbæ insidentis capiti ejus, electus est Episcopus Cæsenæ.*

5 *Alii sancti viri recensentur, simili Columbæ signo ad Episcopatum provecti.*

6 *Narses post Gothos rexit Italiam: Cesenam reparavit: Ædem B. Virginis de Monte construxit.*

7 *Longobardos in Italiam accivit: quonam primus rex ferè totam intra triennium occupavit.*

8 *Ea excepta parte, quæ obtemperabat Imperio Constantinopolitano: illamque regebat Exarchus.*

9 *Hinc incepit* Exarchatus *Ravennæ: qui quęnam loca complecteretur? Ei quindecim Exarchæ præfuerunt.*

10 *Regnum Longobardicum sub 23. Regibus duravit annis 206. Subversum denique à Carolo Magno.*

11 *Cæsena diu paruit Exarchis. Jussu Agilulphi regis obsessa: ab Ariperto II. expugnata.*

12 *Excubiæ illi assignatæ contra invasionem Græcorum. Tunc erat populo numerosior, quam sit modò.*

13 *Inde ab Exarcho fuit occupata: mox Luitprandus rex Longobardorum illam recuperavit.*

14 *Signi-*

14 *Significatio dictionis* Oppidum. *Etiam civitates eximiæ nominatę reperiuntur Oppida.*

15 *Papæ intercessione Luitprandus restituit Exarcho duas partes Cæsenæ, retenta sibi tertia, idest* la Murata.

16 *In hac divisione quomodo regeretur Civitas? Eam Rachisius rex iterum totam occupat, inde restituit.*

17 *Aistulphus rex rursus ipsam invadit. Quem Pipinus compellit Papæ tradere totum Exarchatum jam extinctum.*

18 *Desiderius rex depopulatus est Cæsenam. Hęc regebatur à proprio Gubernatore sub titulo Ducis.*

19 *Florius Episcopus Cæsenę. Natalis ejus successor. Monasterium S. Laurentii ubinam esset?*

20 *Concordius 2. Antistes Cæsenas: de quo scribit S. Gregorius occasione Abbatis dicti monasterii.*

21 *Maurus 1. Episcopus Cæsenę, antea Abbas Classensis: de quo scribit S. Gregorius.*

22 *Adfuit Concilio Romano, in quo pluries, tum proprio, tum Ravennatis Metropolitę nomine peroravit.*

23 *Florus Episcopus Cæsenæ subscripsit Concilio Romano sub Agathone. Antiqua est Ecclesia Cæsanas.*

24 *Constantinus, Candidus, Marcellus, Claudius Episcopi Cæsenæ. Luitprandus rex quid circa Monachos?*

25 *Idem rex pronus in construendis Cęnobiis: forte adstans Ædi Deiparæ de Monte excitavit, vel auxit.*

26 *Antoninus Episcopus Cæsenę interfuit Concilio Lateranensi sub Stefano PP. III.*

1 EXtincto Regno Gothorum, quod Narses Persa eunuchus, dignitate Patricius, Græcorumque summus Dux, in Italia militantium pro Imperatore Constantinopoleos Justiniano I. magna virtute pariter, ac felicitate subverterat; subsecuta est generalis incursio, qua Leutharis, & Bucelinus fratres, post sè ducentes innumeram colluviem Francorum, incendiis, rapinis, & vastationibus, ipsam Italiam afflixerunt (1). *Et excidium multis oppidis, populationem universæ ferme regioni attulerunt*

[1] *Card. Baron. ann. 555. num. 12.*

lerunt (2). Bucelinum per oras inferi maris progredientem, idem Narses adeò ingeniosè ad prælium coarctavit, aciemque direxit, ut cruenta internecione Barbaros dissipaverit (3).

2 Leutharim verò cum suis copiis secus tramitem æquoris superi, seu Adriatici properantem, atrox pestilentia in Venetico tractu consumpsit: tanta populorum jucunditate, ut Agathias referat, quod statim incæperunt *duplicato gaudio, & plebs, & moles dies festos agere, ducere choreas; ut omni ab hoste metu sublato, alta in posterum pace fruituri* [4]. Ipse Leutharis obiit inter Veronam, & Tridentum juxta lacum Benacensem (5). Isque anno 555. Cæsenam diripuit, dum inde cum suo exercitu pertransiret: ac illius Ecclesias prætiosis vasis, atque ornamentis iniquissimè denudavit (6). Quod & alibi factum sacrilegè fuisse ab his Barbaris innotescit [7].

3 Aliud item grave infortunium paulo post nostra Civitas est perpessa. Nam anno 565. Arx Cæsenæ funestum subivit incendium (8): à quo devoratam fuisse memorat Andreas Agnellus [9]. At Scipio Claramontius talem eventum refert ad tempus aliquanto posterius (10). Idque incendium intellige de *Arce veteri*, sita tunc in colle Garampeo, ubi nunc adest Conventus Fratrum S. Francisci de Paula, & in adiacentia illius à dextris. Cujus Arcis adhuc supersunt duo propugnacula, vulgo *bastioni*, muro civitatis innixa, quæ nondùm à prolixa temporis edacitate fuerunt prorsus consumpta. Eadem deinde Arx opportunè restaurata, functa diu est munere fortissimi munimenti tuentis Civitatem: & differentis ab alio recentius constructo fortalitio, quod Arx nova communiter appellatur.

4 In Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, tunc Cathedrali, nunc parochiali, eodem anno 565. electus fuit novus Antistes, *S. Severus Episcopus Cæsenæ XIV.* unus ex Sanctis Tutelaribus nostræ Civitatis: cujus memoriam facit Cardinalis Baronius (11). Electioni ejus adhuc in Diaconali

[2] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen. lib. 4. f. 148.*
[3] *Paul. Jovius in Narsete.*
[4] *Agathias de Bell. Gothic. lib. 2.*
[5] *Paul. Diacon. de Gestis Longobar. lib. 3. cap. 1.*
[6] *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 79.*
[7] *Jovius in Narsete. Card. Baron. an. 555. num. 13.*
[8] *Rubeus Hist. Ravenn. lib. 3. fol. 171. Chron. M. S. fol. 82.*
[9] *Agnel. lib. Pontifical. in vit. S. Agnel. cap. 3.*
[10] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 154.*
[11] *Cardin. Baron. in Not. ad Martyrol. 20. Januar.*

nali ordine constituti, præcessit signum candidæ Columbæ de sublimi advolantis, & quiescentis super caput ipsius, in Ecclesia cum aliis orantis Deum pro novi Præsulis electione (12). Quod prodigium evenisse in ipsamet Ecclesia, testatur publica Inscriptio ibi existens, traduntque concorditèr scriptores Cæsenates, tam impressi, quam manuscripti (13). Quod paritèr nedum Episcopus, verum etiam civis esset Cæsenæ, suggerunt Philippus Ferrarius, Brissius noster, & Bernardinus Manzonius (14). Claramontius tamen censere videtur, fuisse natione Teutonicum (15).

5 Denique quod fuerit electus indicio Columbæ, conquiescentis super caput ejus, una voce fatentur tum ejus vita, tum nostrates omnes in margine mox citati. Hocque portentum tanto majorem adfert Clero, & populo, Ecclesiæ, ac civitati Cæsenati prerogativam honoris; quanto magis rarus est hujusmodi eventus. Tametsi enim pluries visę fuerint candidæ Columbæ adstare capiti, vel humeris plurium Sanctorum; attamen hos fuisse ad Pontificale munus assumptus indicio advolitantis Columbæ, non nisi paucissimis contigit: uti S.Fabiano Papæ (16) S. Evortio Aurelianensi (17), ac S. Severo Ravennati (18): quod & de nonnullis quoque aliis Pręsulibus antiquioribus itidem Ravennatis Ecclesiæ contigisse refertur. Obiit S. Severus Cęsenas die 6. Julii ann. 571. ejusque corpus requiescit in Ecclesia eidem dicata, quo translatum fuit anno 1602. (19).

6 Regimen Italiæ post Gallos exactos Narses tenuit, superiùs memoratus, per annos circiter 16. qui omnia poterat, & cuncta pro suo arbitrio disponebat. Hic favit civitati Cæsenæ, illamque, ut vidimus, à Totila devastatam, beneficentissimè reparavit [20]. Sunt adhuc & qui existimant, ab eo constructam fuisse sacram ædem in honorem B. Virginis Mariæ dictæ de Monte: in colle Spatiano erectam, Cæsenæ propinquo, ubi Ethnicorum tempore colebatur Idolum Jovis Osirii, oracula reddentis, de quo superius [21]. Et sanè hujusmodi templum Domini, cum

(12) *Vita S. Severi Episcopi Cæsen. apud Claramont. l. 4. fol. 151.*

[13] *Manzon. loc. cit. fol. 11. & 94. Claram. ubi supr. lib. 4. fol. 149. Chronic. Cæsen. M. S. fol. 16. & 82.*

(14) *Philip. Ferrar. Catal. Sanctor. Ital. die 6 Julii Cæsar. Briss. Relat. Cæsen. ad Clem. 8. Manzon. Chronol. Cæsen fol. 11. & 94.*

[15] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 4. fol. 154.*

(16) *Euseb. lib. 6. cap. 22.*

(17) *Martyrol. Roman. 7. Septembr.*

(18) *Martyr. Roman. 1. Februar.*

(19) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 11. & 94.*

(20) *Vide cap. praeced. n. 23.*

(21) *Vide sup. cap. 9. num. 15.*

cum adjacente Cænobio Monachorum, non potuit extrui, nisi à viro potente, ac divitiis abundante, propter immensitatem sumptus, ad tantum ædificium necessarii. Et Narses alioquin, teste Paulo Diacono, *erat vir piissimus, in Religione catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Basilicis satis studiosus* [22]. Erat & devotissimus B. Virginis Mariæ, uti recenset Nicephorus (23). Unde à verisimili non aberrat, quod ipse primò Ecclesiam præfatam construxerit, successivè postmodum ab aliis ampliatam, & in præsentem formam redactam cum vasta mole adjacentis Monasterii.

7 Contra ipsum Narsetem invidia malorum hominum concitata, Justinum II. Imperatorem induxit, ut illum Patriciatus honore spoliatum, ad aulam revocaverit, subrogato in ejus locum Longino. Auxitque injuriam Sophia uxor Augusti, eundem interpellans, ut cum ineptus esset ad arma, & ad regimen tantæ Regionis, quanta erat Italia; rediret Constantinopolim, ubi, tamquam eunuchus, pensa distribueret puellis nentibus lanam, & linum in gyneceo. Cui scommati respondit Narses; neudo se talem texturum telam, ut illam nec ipsa facile posset, nec imbellis ejus vir imperans extricare (24). Itàque impatiens contumeliæ receptæ, clam excitavit ad Italiam occupandam Longobardos in Pannonia commorantes (25): qui magno usui sibi fuerant, dum Gothis bellum inferret (26). Narsetis consilio penetrato Joannes PP. III. illum Neapoli consistentem adivit, suadens, admonens, obsecrans, ut iram compesceret, injuriam parvipenderet, ac nè quæro in Italiæ perniciem ipsos barbaros advocaret (27): obtinuitque, ut ipsorum adventum retardaret (28). Alboinus nihilominus Rex Longobardorum Italiam invasit, kalendis, vel quarto nonas Aprilis anno 568. (29): Quam sibi penè totam intra triennium subjugavit (30).

8 Pars aliqua nihilominùs Italiæ perstitit in obsequio Imperatoris Constantinopolitani, quam rexit Longinus mox memoratus, ejusque successores Duces Græci, &

Exar-

[22] *Paul. Diac. de Gest. Longobardor. lib. 2. cap. 3.*
(23) *Niceph. Histor. lib. 11. capit. 13.*
[24] *Sigebert. & Marianus Scot. an. 566. Herman. Contract. sub ann. 560.*
[25] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 1. ad ann. 566.*
(26) *Busieres Flosc. Histor. par. 2. capit. 3. fol. 125.*
(27) *Marianus Scot. Chronic. lib. 2. ætat. 6. ann. 566. Paul. Diacon. lib. 2. cap. 5.*
(28) *Paul. Jovius in Vit. Narset.*
(29) *Card. Baron. ann. 568. num. 2.*
(30) *Paul. Diac. de Gest. Longob. lib. 2. cap. 14. 20. 26. Panuin. Rom. Princip. lib. 1. in Regil. Longobard.*

Exarchi appellati, Ravennæ residentes: de quibus Petavius: *Eodem tempore, quo Longobardi in Italia dominabantur, Ravennam Exarchi tenuerunt. Greci erant Præfecti, qui Constantinopoli ab Imperatore mitti consueverant: & utcumque Longobardis resistentes, reliquias illic Imperij tuebantur: sed per impotentiam, majora, quam hostes ipsi, damna suis afferebant* (31). Undè & nonnulli eorum populari furore fuerunt à proprijs subditis, obsequentibus Imperio, trucidati; fereque omnium ipsorum regimen, improvidum, & impium, causa non modica fuit ruinæ tandem ditionis Græcæ in Italia.

(31) *Dionys. Petav. Ration. Temp. par. 1. lib. 7. cap. 10. in fin.*

9 Ab his, eorumque magistratu nomen habuit *Exarchatus* Ravennas, qui referente Sigonio, *complexus est Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Pompilii, Forum Livii, Cæsenam, Bobium* [ubi est Sarsina] *Ferrariam, Comaclum, Adrium, Ficoclas* (nunc Cerviam) *& Gabelum* (32). Cujus tamen fines, modò latiores, modò arctiores fuerunt progressu temporis, proùt militaris vis, & ratio plusve, minusve prævaluit. Hanc ditionem rexerunt 15. Exarchi, nempe Longinus, Smaragdus, Romanus, Callinicus, Smaragdus iterùm, Joannes Lemigius, Eleutherius, Isacius, Theodorus Calliopa, Olimpius, Theodorus Calliopa rursùs, Joannes Platina, Theophylactus, Joannes Trizocopius; Scolasticus, Paulus, & Eutychius, partim catholici, partim hæresis tuitores (33). Incæpit Exarchatus in Longino anno 568. & desiit in Eutychio anno 751. vel sequenti: perseveravitque annos circitèr 183. (34).

(32) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. sub ann. 755. fol. 80.*

(33) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 5. fol. 187.*

(34) *Petavius loc. cit. §. Ergo.*

10 Regnum itidem Longobardorum contemporaneè ad Exarchatum, suscepit initium ann. 568. & propagatum fuit per annos 206. sub Regibus 23. quorum nomina hæc sunt, Alboinus, Clephus, Autharis, Agilulphus, Adaloaldus, Ariòvaldus, Rotharius, Rodoaldus, Aripertus I. Godebertus, & Bertaritus fratres insimul, Grimoaldus, Garibaldus, Bertaritus iterum, Cunipertus, Luitpertus, Regempertus, Aripertus II. Ansprandus, Luitprandus, Hilprandus, Rachisius, Aistulphus, & Desiderius. Hic postremus à Carolo Magno,

gno, tunc Francorum Rege, Ticini obsessus, tandemque captus, in Galliam traductus est an. 774. (35), & apud Leodium Eburonum deportatus cum uxore, ac liberis, ibi perpetuò custodiendus: in eoque finem habuit Regnum Longobardicum (36): superstite Adalgiso ejusdem Desiderii primogenito, qui Cōstantinopolim profectus, Patriciatus honorem obtinuit à Cōstantino Copronymo sceleſtiſſimo Imperat. (37).

11 Alboino regnante, civitas Cæsenæ constantèr sub Exarcho Ravennate permansit (38). Et in eadem permanentia successive perseveravit regnante Clepho, quamvis hic jam quædam Oppida Romandiolæ corripuisset. Regnum detinente Agilulpho, mandatum ab eo recepit Ariulphus Dux Spoleti, ut agrum Cæsenatem incursione hostili vestaret, circa 601. annum Christi (39). Nec tamen transisse reperitur tunc Cæsenam in potestatem Longobardorum: imo nec etiam tempore Grimoaldi eorum regis undecimi: Qui subita irruptione facta urbem Fori Pompilii barbarè desolavit, ejusque cives cruenta internectione mactavit, ipso venerabili die decurrente Sabbati ante Pascha Resurrectionis Dominicę (40): Talique immanitate patrata, invasit quoque Cæsenam, gravibusque affecit molestiis, tametsi non eam valuerit expugnare (41). Demum rex Aripertus II. eandem adnixus est adipisci anno 706. cum jam Longobardi à 138. annis in Italia regnarent (42).

12 Accidit successivè, quod Justinianus II. Rhinotmetus Imperator Græcus Theodorum Patricium deputavit, ut cum navali exercitu Italiam adveniret, ac Ravennates perduelles armis ad obedientiam Exarchi Cęsarei revocaret (43). Ad resistendum tanto conatui, electus fuit Dux Georgius Joannicii filius: qui statim suppetias militares à finitimis urbibus, & oppidis postulavit: assignatis quibuslibet eorum, locis, ubi excubias facerent, & forti custodia impedirent hostes superventuros, proùt fusius recenset Andreas Agnellus in suo libro Pontificali (44). Tunc Cæsena, non secus ac aliæ finitimę civitates, valida subsidia Ra-

(35) *Cardin. Baronius ann. 774. num. 7.*

[36] *Cabasut. Synops. Histor. saecul. 8. n. 14.*

(37) *Petavius ubi supr. §. Ut ad*

(38) *Chronic. M.S. Caesen. fol. 82.*

[39] *Scip. Claram. Hist. Cęsen. lib. 5. fol. 164.*

(40) *Paul. Diac. de Gest. Longob. lib. 5. capit. 27.*

(41) *Claram. ec. cit. f. 175.*

(42) *Chronic. M.S. Caesen. fol. 83.*

(43) *Card. Baron. ann. 708. num. 2.*

(44) *Agnel. l. Pontif. par. 2. in vit. S. Felic. cap. 3.*

Ravennatibus ministravit (45). Notatque Blondus, quod *Cæsenates, Imolenses, Faventini multo plures miserint armatos, quam nunc sit populi eorum collectio*. Talemque diminutionem passa est Cęsena propter multiplices obsidiones, pestilentias, bella, vastationes, & excidia, diversis temporibus tolerata; proùt alibi notatum fuit.

13 Sceptrum deindè Longobardicum tenente Luitprando, huc accessit Pharoaldus Spoletanus Dux, militum agmine constipatus, repentino illapsu arma laturus adversus Ravennates. Qui *veniens cum Cęsenę applicuisset, ad mare descendens Classense Oppidum furto cępit. Mittens tamen nuncios Luitprandus, illicò oppidum ab invasore illęsum dimittendum curavit*, prout Blondus recenset (46). Accidisseque hanc irruptionem Pharoaldi anno 718. indigitat Sigonius (47). Novennio autem post ipsam, rex Longobardorum Luitprandus, arrepta opportuna occasione corripiendi Exarchatum; Cæsenam, aliasque Civitates usque ad Auximum Piceni occupavit, parvipensa Ravenna (48). Cumque deindè absente in Gallia antedicto Luitprando, Eutychius Evarchus amissas civitates recuperasset, successivè Rex reversus, *exercitum de integro in Exarchatum immisit, ac Cęsenę oppido occupato, Ravennam inde se oppugnare velle ostendit*, anno 743 (49).

14 Ità Sigonius: à quo non mireris, Cæsenam vocaris *oppidum*. Hic Auctor enim passim dat Civitatibus tametsi notabilibus, & eximiis, simplicem titulum oppidi. Quod & plures alii quoque faciunt, ac liberè facere possunt. Namquè oppidum *propriè est omnis urbs pręter Romam, quę peculiari nomine urbs vocari cępta, fecit ut cęterę urbes vocarentur oppida* (50). Hinc Cicero dicit Oppidum *Antiochiam*, Oppidum *Nolam*, Oppidum *Segestam*, & sic de aliis Civitatibus (51). Ac quamvis inter oppidum, & Civitatem sua sit differentia; quoad formam tamen loquendi, & scribendi, confusè, sivè promiscuè utraque vox adhibetur: *& sępe legimus eundem locum indifferenter*

[45] *Claremont. Histor. Cæsen. lib. 5. fol. 173.*

[46] *Idem Claram. pag. 177.*

[47] *Carol. Sigon. de Regno Ital. lib. 3. in Luitprand. ad ann. 718.*

[48] *Claram. Histor. Raven. lib. 5. fol. 179. Sigon. loc. cit. ad ann. 727. fol. 64.*

[49] *Carol. Sigon. eod. loc. ad ann. 743 f. 70.*

[50] *Nizzol. Thes. ling. Lat. V. Oppidum.*

[51] *Vid. Thesaur. Ciceron. eodem Verbo.*

[52] *Ambr. Calep. V. Oppidum.* *oppidum, & urbem appellari* (52). Quamobrèm sive hìc, sive alibi Cæsena quandoque oppidum appelletur; nihil ei deperit, quin sit, & semper fuerit vera civitas, atque urbs ad instar aliarum [53]. Vide quæ de voce Castelli diximus cap. 14. n. 2. Caput Luitprandi regis, Cæsenates benevolentia prosequentis, hic exhibemus.

[53] *Vide supra c. 12. n. 16.*



15 Hujus autem regii Principis potentiæ, propè diem illaturi bellum Exarchatui, se viribus imparem sentiens Exarchus, rogavit S. Zachariam Papam, ut pro ineunda pace Regem Longobardum interpellaret. Quod & Pontifex fecit, pergens Ticinum (54), ubi magno exceptus honore sua eloquentia, maestate, ac dexteritate, apud Regem ipsum *suppliciter institit, ne Ravennatem ditionem vexare vellet, & ut adempta Italię loca, imprimisque Cęsenam restitueret. Cui Rex, licet gravatè, se in ejus auctoritate futurum respondit. Decedentem indè usque ad Padum prosequutus dimisit, datis ex primoribus suis, qui Ravennatium loca, in primisque Cęsenam redderent, tertia tantum parte retenta* (55). Videlicèt retenta sibi ea tertia parte civitatis, quæ in colle posita, murisque, ac propugnaculis, & arce munitissima constipata, dicitur etiam nostra ætate *la Murata*: idest pars superior civitatis, muris peculiaribus circumcincta, non secus ac amplum fortalitium, & castellum latiùs assurgens: dictum à S. Gregorio *Castrum Cęsenę*: prout paulò infrà videbimus hic *n.* 20. Reliquæ verò duæ tertiæ partes, erant pars inferior civitatis in plano posita: nec non suburbia, quæ postmodùm circumdata mæniis

[54] *Card. Baron. ann. 743. num. 12. &c.*

[55] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. ad ann. 743. fol. 71.*

niis, vallis, & erismatibus, corpus ejusmet civitatis nunc repræsentant uberius habitatæ.

16 Hunc Zachariæ Papæ, & Luitprandi Regis tractatum, & conventionem circa Cæsenam, recenset quoque Anastasius Bibliothecarius: & difficultatem, qua Rex tali se civitate privavit (56). Assensus est nihilominus votis Pontificis præsentis, quod priùs negaverat ejus Missis (57). Et ità retento Castro, Cæsenam restituit Eutarcho (58). *Permagni* autem *momenti fuisse tum nostram Civitatem patet, cuius partem Rex Ticini residens, validum reputaret munimentum, undè & bellum, si liberet, Exarchis inferret: & resisteret, si sibi ab illis inferretur. Tum ergo civitas divisa jurisdictione regebatur à Longobardo intra mœnia: ab Exarcho in suburbiis* (59). In hoc statu divisi regiminis ad sexennium permansit usque ad annum 749. cum Rachisius Rex Longobardorum, tertia parte non contentus, reliquas quoque duas Cæsenæ partes vi, & armis prævalens dominio suo adjudicavit, ac deindè Papa commonente restituit (60): imò quidquid etiam pertinebat ad Exarchatum relaxavit: & monasticam cucullam induit in cœnobio Montis Casini (61).

17 Regnum inde suscepit ejus frater Aistulphus: qui parvipensa restitutione Rachisii, Cæsenam iterùm occupavit [62]: subiugata sibi prætereà tota ditione Græcorum, ac Exarcho liberè abire permisso. Quo factum est, ut extinctus remanserit Exarchatus. Verum Pipinus Francorum Rex, à Stephano PP. III. invocatus, ut compesceret Longobardum, sibi, almæ Urbi, & Ecclesiæ Romanæ intolerabilitèr infestum, armis petiit Aistulphum: eumque voto facto, coegit ad attribuendum Pontifici, nedùm Cæsenam, verùm etiam alias civitates, pertinentes ad Exarchatum præfatum (63): qui præcipuè continebat, ut diximus ex Sigonio, *Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Pompilii, Forum Livii, Cæsenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficoclas, & Gabelum* (64). Sed talitèr tamen, ut & ad plures alias Civitates, quan-

[56] *Anastas. Bibliot. in Vit. S. Zachariæ.*
[57] *Differt. Ital. medii ævi sect. 16. n. 82. in Rerum Italic. tom. 10.*
[58] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 5. fol. 180.*
[59] *Idem loc. cit. fol. 181.*
[60] *Card. Baron. ann. 750. num. 1.*
[61] *Chron. Cæsen. M. S. fol. 84.*
[62] *Baron. ann. 755. n. 26.*
[63] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. in Aistulph. fol. 80.*
[64] *Platin. in Stephan. 2.*

quandoque extenderetur (65). Neque autem prædictas dumtaxat, sed & plures alias urbes, *quas ab Aistulpho Grecis Imperatoribus ereptas, Constantinus Copronymus à Pipino per legatos frustra repetebat, Romano Pontifici tradidit, perpetuoque addixit, anno 706.* (66).

18 Itàque durante regno Longobardico, quod initium habuit anno 568. & finem anno 774: Cæsena fuit una ex civitatibus Exarchatus Ravennatis Imperatori Græco subiecti, sed modo Exarchis subtracta per Longobardos Reges, modò his ab illis adempta, prout vires bellicæ prævalebant hinc, & indè. Postquàm à Luitprando fuit occupata, primo tota illi paruit: at compositis inter Regem, & Exarchum, auctore Pontifice rebus, utrique partiario jure subjacuit. Ac fortè Rachisii tempore; sed certè Aistulphi, in Longobardorum ditionem universa venit. A Pipino posteà jure belli acquisita, Pontifici tradita est, & Pontificiæ ditionis pars extitit. Nam in ejusdem Pipini Francorum regis Donatione multarum Civitatum facta Romanæ Ecclesiæ, Cæsena, ab Anastasio Bibliothecario enumeratur (67). Nec deindè à Desiderio ultimo Longobardorum rege capta fuit: sed solum depopulationem hostilem passa est. Quo verò ad regimen politicum; tunc civitatibus præesse solebat Gubernator, *Dux* appellatus: & ita Dux Arimini, Dux Clusii, Dux Perusiæ, Dux Neapolis; Duces demùm aliarum Civitatum, leguntur apud Sigonium (68). Qui Duces totidem erant Rectores, Capitanei, & Gubernatores earum, saltem ut plurimum, prout alibi diximus (69). Undè Cæsenam quoque gubernatam fuisse à proprio Duce, opinatur ejus Historicus (70).

19 Quantum autem ad res Ecclesiasticas, regnantibus in Italia Longobardis, post S. Severum, præfuit Ecclesiæ Cęsenati *Florius I. Episcopus XV.* circa Christi annum 571. cujus præter nomen alia notitia non habetur [71]. Successorque illius fuit *Natalis Episcopus XVI.* patria Utinensis, electus circa Æræ Christianæ annum 590. (72). Quo sedente, jam datus fuerat Cæsenæ locus instituto monacha-

[65] *Cabasut. Notit. Eccles. Secul. 8. n. 13.*

[66] *Anastas. Bibliothec. in Stephan. PP. III.*

(67) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 5. fol. 185.*

[68] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 2. & 3.*

[69] *Brasch. de libert. Eccl. tom. 2. cap. 25. num. 40. & 48*

[70] *Claram. loc. cit. fol. 184*

(71) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 12.*

[72] *Idem Manzon. loc. citat.*

chali (cum S.Benedictus paulò antè obiisset). Nàm idem Natalis præfecit Fortunatum quemdam, (de quo paulò infrà redibit sermo) Cęnobio SS. Laurentii, & Zenonis, tunc sito in parte superiori *civitatis, quæ nunc usque Murata antiquo nomine dicitur: quę superior pars situ, & munitione, arcem, & castrum Civitatis repręsentabat*, inquit Claramontius [73]. Addens ad idem Cænobium aliqua relatione referri Ecclesias S.Zenonis, & S.Mariæ Rosarum, quæ adhuc subsistunt: nec non aliam S.Laurentii ad flumen Sapis, quæ jam diu corruit.

[73] *Claramont. ubi supr. fol. 166.*

20 Natalis defuncti locum implevit *Concordius II. Episcopus XVII.* patria Tarvisinus, qui vitæ subtractus fuit anno 614. (74). Hicque dum viveret, destituit Abbatem præfatum: causaque ad Sedem Apostolicam delata, S.Gregorius PP. I. Mariniano Antistiti Ravennati scripsit: *Fortunatus lator pręsentium, in Monasterio SS. Laurentii, & Zenonis, quod in Cęsenati Castro est constitutum, à Natali quondam Episcopo officium quondam Abbatis sibi asserens esse commissum; nunc se à successore ejus Concordio, nulla existente causa, aut culpa, exindè remotum, atque alium in loco suo quæritur esse ordinatum: quod etiam coram testibus quibusdam Diaconibus nostris, pręsente Diacono Concordii, Episcopi sui causas allegante, ex parte ita esse perclaruit. Sed quoniam certior in partibus illis, ubi res acta est, potest esse probatio; Fraternitas tua diligenter, ac sollicitè hoc studeat scrutari* (75). Quem finem habuerit præsens controversia, nostram ad notitiam nondùm pervenit.

[74] *Mãzon. Chronol. Cæsen. f. 13. Claram. fol. 165.*

[75] *S.Greg. Regest. lib. 12. epl. 1.*

21 Obeunte Concordio, Infulas Cęsenates accepit *Maurus I. Episcopus XVIII.* (distinctus à S.Mauro II. inferiùs recensendo: sic ut unus cum alio (76) minimè confundatur). Ipsius Mauri I. honorifica fit mentio in Annalibus Ecclesiasticis (77). Fuitque priùs Monachus, indè Abbas Cęnobii SS. Joannis, & Stephani, quod erat in oppido Classis apud Ravennam (78). De illo scripsit S.Gregorius PP. Joanni Subdiacono, quod mortuo Claudio Abbate, diligentèr cognosceret, num ipse Maurus esset dignus, & idoneus

[76] *Mãzon. Chronol. Cæsen. fol. 13. 64. & 172.*

(77) *Card. Baron. ann. 649. n. 13.*

[78] *Rubeus Histor. Raven. lib. 4.*

neus ad Abbatiale ministerium: reque ità se habente, satageret, ut à Mariniano Antistite Ravennate ipsimet Cænobio præficeretur (79). Ex hoc officio successivè ad Episcopatum patriæ suæ Cæsenæ provectus est, post annum Christi 614. Ac inter Cæsenates Antistes pietate insigniores connumeratur (80).

22 Eo sedente convocatum fuit à S. Martino PP. I. Concilium Romanum anno 649. cui adfuerunt Episcopi 105. ut condemnarentur hæresis, & hæretici Monothelitæ, ac *Typus* Constantis Imperatoris (81). *Hæcque sancta Synodus tantę est amplitudinis, dignitatis, ac majestatis, ut ad plenam fidei Catholicę professionem, post quinque universalium Synodorum assertionem, hujus quoque confessionem, usque ad plenam sexti Oecumenici Concilii promulgationem, fideles adiicere solerent* (82). In isto Concilio pluriès peroravit Maurus Cæsenas: & nomine Metropolitæ Ravennatis (vocati pariter Mauri) obedientiam præstitit Summo Pontifici, quam Archiepiscopi ejusdem antecessores, detrectaverant exhibere. Deniquè Concilio propria manu subscripsit (83).

23 Sicut autem quo anno promotus, sic & quo Maurus fuerit mortuus, ignoratur: longaque intercapedo successoris ei dati, dubitari facit, quin antiquitas hic nomen alicujus ex nostris Præsulibus aboleverit: In elencho sanè illorum occurrit *Florus Episcopus XIX.* quem præfuisse reperitur anno 680. (84). Nàm interfuit Concilio Romano sub Agathone Papa tunc celebrato: *in quo* 125. *Episcopi Orthodoxam fidem confirmarunt, Monothelitarum hęresim condemnarunt, atque Legationem Constantinopolim ad Synodum oecumenicam decreverunt* (85). Interfuit, inquam, & subscripsit (86). Memorat illum Cardinalis Baronius, asserens: *Antiqua est Ecclesia Cæsenas, cujus Episcopus nomine Florianus &c. tempore Melchiadis Papę interfuit Romano Concilio, celebrato in causa Cęciliani Episcopi Carthaginensis. Alius dictus Florus pręsens fuit Romanę Synodo habitæ sub Agathone &c.* (87).

(79) *S. Greg. Epist. ad Joan. Subdiac.*

[80] *Bernard. Mãzon. Chronol. Cæsen. fol.* 13. 64. & 172

[81] *Card Baron. ann.* 649. *num.* 2.

[82] *Bail. sum. Concil. in Concil. Lateranen. ann.* 649. *n.* 2. *fol.* 254.

[83] *Labbè to.* 6. *Concil. fol.* 78. 94. & 362

[84] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol.* 12. & 14.

(85) *Bail. sum. Concil to* 2. *in Concil. Rom. an* 680. *f.* 277.

(86) *Labbè to.* 6. *Concil. fol.* 708.

[87] *Baron. in notis ad Martyrol. die* 20. *Januar.*

24 Su-

24 Subsequitur in ordine Antistitum Cæsenatum *Constantinus Episcopus XX.* qui floruit anno 690. discrepatque à Constantio inferiùs nominando. Postmodùm *Candidus Episcopus XXI. electus anno* 702. Deindè *Marcellus Episcopus XXII.* qui sedit anno 709. successivè *Claudius Episcopus XXIII.* præsidens anno 742. (88). Ad hujusque Claudii, aut Marcelli tempus referendum esse videtur, quod Luitprandus Rex Longobardorum subjugata sibi Cæsena, introduci fecerit in sacra æde, ac Cænobio S. Mariæ de Monte, Monachos S. Benedicti (89). Ac satis est verisimile, quod quando cum S.Zacharia Papa convenit de retinenda sibi ea parte Civitatis, quæ dicitur *la Murata*, ut in ea fortalitium haberet contra vim Exarchorum; abduxerit Monachos (ibi existentes in Monasterio SS. Laurentii, & Zenonis) ad præfatum Cænobium S. Mariæ de Monte, ubi & adhùc permanent (90).

[88] *Mũzoni Chronol. Cæsen. fol.* 15. 64. 173. 205. & 227.

[89] *Chron. Cæsen. M.S. fol.* 39. & 83.

[90] *Vide supr. in hoc cap. num.* 15. & 19

25 Cum item Luitprandus fuerit pronus in construendis Monasteriis, teste Sigonio (91); probabile est, quod ipsimet ædi S.Mariæ (quam censetur ædificasse Narsetem; ut supra dictum est) addiderit partem, vel totum Cænobium à Monachis inhabitandum. Cujus profectò ædificium, quia vastæ molis est, nec potuit sine ingenti sumptu perfici; regii ęrarii vires exegisse videtur. Sunt & qui hanc ibi Monachorum introductionem attribuunt Agilulpho Regi, qui præcessit Luitprandum per sæculum, & ultrà. Sed si chronologiæ, ac eventuum contemporaneorum regni Longobardici ratio habeatur; & subsistat, introductionem ipsam fuisse factam ab uno ex illis Regibus; verosimilius adjudicanda videtur Luitprando. Eo etiam attento, quod nullibi legitur, quod sciamus, Cęsenam fuisse ab Agilulpho possessam.

(91) *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 3. *in Luitprãd. in fin. fol.* 71.

26 Memorandus est nunc *Antoninus Episcopus XXIV.* nupèr detectus ex Concilio Lateranensi sub Stephano PP. III: quod celebratum est anno 769. & cujus acta primo impressa fuerunt Romæ anno præterito (92) continentia inter Patres ibi coassidentes *Antoninum Episcopum Cęsinæ*, & Joan-

[92] *Ex Typogr. Vatican. ann.* 1735.

[93] *Conc. Later. ann. 769. fol. 3.* Joannem Episcopum Fentiæ, ideſt Faventiæ (93). Ubi Auctor Diſſertationis eidem Concilio adiactæ ſic habet: *Utrumque eſſe miſſum ab Archiepiſcopo Sergio* (Ravennæ) *cujus erant ſuffraganei teſtatur Codex: qui Sedium nomina pro barbara illa ętate corrumpit. At Cęſinam pro Cęſena videre eſt in epiſtola* 54. *Codicis Carolini*: *&* *Cęſniam in Embolo epiſtolę* 31. Demùm concludit, quod Antoninus præfatus fuit ſucceſſor Claudii Epiſcopi Cæſenatis (94).

[94] *Ibid. Diſſert. cap. 4. fol. 109.*

27 De nomine *Cęsinę*, quo antiquis temporibus interdùm ſolita fuit Cęſena nuncupari, abundè ſuprà locuti ſumus cap. 3. num. 17. Ac infrà quoquè iterùm Deo dante, dicemus cap. 16. num. 23. Quoad reliqua, novum non reputetur, quod Elencho Antiſtitum Cæſenatum facta ſit acceſſio nominis Antonini mox memorati: quippè cum in dies publici juris fiant Concilia, Epiſtolæ, Monumenta, & Acta Eccleſiaſtica pridèm inedita, pluriès contingit, in eis fieri mentionem Præſulum antecedentèr minimè cognitorum: admodùmque utile eſt, & decorum, ut Eccleſiæ recuperent poſtliminio ſuos Epiſcopos, quorum nomina deliteurant in latibulis antiquitatis.



CA-

CAPUT XVI.

De Civitate Cæsenæ, à tempore *Caroli Magni*, usque ad tres *Othones Imperatores*.

SUMMARIUM.

1 *Papa invocat Carolum Magnum contrà Longobardos: horumque regnum destruitur.*
2 *Verba Caroli Magni de infelici eventu regum, qui persecuti sunt Ecclesiam.*
3 *Multi Cæsenates pugnaverunt in prælio destructivo Longobardorum. Novum regnum Italiæ fundatur.*
4 *Carolus Magnus confirmavit, & auxit donationem Pipini ejus Patris: in qua continetur quoque Cęsena.*
5 *An Carolus Magnus, & Pipinus junior, quandoque consiterint Cæsenæ?*
6 *Ludovicus Pius Imperator confirmavit donationes Caroli Magni, & Pipini senioris, nominans Cęsenam.*
7 *Exarchatus Ravennæ quousque se protenderet, ac quis locus daretur in eo civitati Cęsenę?*
8 *In diplomatibus Imperatorum, & inter Suffraganeos Ravennę, nominatur primo loco post provincias, Cæsena.*
9 *Vido Imperator aliud simile diploma condidit favore Ecclesiæ Romanę, in quo Cęsena memoratur.*
10 *Idem fecit Lambertus Imperator in Concilio Ravennę convocato à Joanne PP. IX.*
11 *Berengarius II. Imperator infestus Ecclesiasticis, devastavit, & ussit Cęsenam.*
12 *Ea occupata, restauravit Muratam: ubi prius, indè apud S. Leonem, ab Othone obsessus fuit.*
13 *Eo in oppido captus, deportatus est in Germaniam, ubi citò mœrore decessit.*
14 *Otho I. Imperator Romę coronatus, in Concilio Ravennate confirmavit dictas Donationes.*

15 *An Cesena posita sit in libertate ab Othone? Et an à PP. concessa fuerit Archiepiscopo Ravennati.*

16 *Silvester PP. II. Cesenam armis obsedit: Otho III. Imperator ea in expeditione decessit.*

17 *M. Episcopus Cesenę. Joannes I. successor ejus. Deindè Mancius. Leo PP. III. Cęsenę constitit.*

18 *Romanus Episcopus prefuit Ecclesię Cęsenę. Posteà Petrus I. Denique Florias II.*

19 *S. Maurus II. Episcopus Cęsenę. Fuit nepos Papę; sed cujusnam Papę ignoratur.*

20 *Vitę asceticę libenter operam dabat. Sanctitate, ac miraculis plurimum claruit.*

21 *Ejus corpus pluriès de uno ad alium locum translatum fuit, juxtà temporum opportunitates.*

22 *Constantius: deindè Gonfredus: postea Ruodo: demum Dodo fuerunt Episcopi Cęsenates.*

23 *Cęsena dicta interdùm Cesina. Georgius, dictus quoque Sergius, fuit ejus Antistes.*

1 INgratitudo, qua Desiderius Longobardorum Rex contra Papam processit, adiutorem suum ad thronum regium ascendendum [1]: Civitates, & Provincias Ditionis Pontificiæ partim occupando, partim detinendo, partim diripiendo, aut aliter affligendo: nec unquam stando promissis de restitutione facienda, & vexationibus compescendis [2]; Hadrianum Papam I. vel invitum coegit ad invocandum, necessariæ defensionis titulo, Carolum Magnum Francorum Regem, ut suis viribus, & potestate Longobardum tyrannum, atque fædifragum comprimeret, ac Romanam Ecclesiam à tam enormi redimeret oppressione [3]. Venit Carolus valido bellatorum exercitu constipatus, collatisque signis cum exercitu Longobardorum ad oppidum Mortariæ in Insubria, hunc terribili clade dissipavit, ac Desiderium eorum Regem intrà Ticinum urbem obsedit, captivumque fecit (4), ac missum in Franciam cum uxore, atque liberis, illum intra Leodium depor-

[1] *Anastas. Biblioth. in Steph. Pap. 3.*

[2] *Card. Baron. ann. 767. nu. 2. an. 770. nu. 1. an. 772. & num. 6.*

[3] *Anastas. Biblioth. in Hadri an. 1.*

[4] *Cap. Hadri anus 22. disti nct. 63.*

por-

portavit [5]. *Ita rex dominandi cupidus, regnum augere moliens, amisit: nobilior apud posteros Longobardico regno perdito, quàm Alboinus inchoato* [6].

2 Quo successu finis impositus fuit Regno Longobardico, anno Christi 774.: ab ejus initio, sub Alboino primo Rege, 206. (7). Sicque docuit experientia, quam veracitèr, & sapientèr quandoque idem Carolus affirmavit: *Novimus multa Regna, & Reges eorum, proptereà cecidisse, quia Ecclesias expoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerunt, Episcopisque, & Sacerdotibus, atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt: Sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt: & quod pejus est, regna cęlestia perdiderunt, atque propriis hęreditatibus caruerunt* (8).

3 In ea Ticinensi obsidione multi Cæsenates, mixti bellatoribus Gallis, pugnaverunt pro justitia contra Desiderium præfatum: sequentes zelum paritèr, & exemplum aliarum Romandiolæ civitatum, ex quibus fortes milites accurrerunt ad idem bellum (9). Ipsoque Rege, ac Regno Longobardico prorsùs everso; super ejus ruinis novum excitatum est Regnum, quod Italiæ dictum est: continens eam *Italię partem, quam Longobardi tenuerant* (10). Huicque regno præfuerunt, à Carolo Magno usque ad Othonem III. ordine successivo, hi Principes, partim Regio, & partim Imperiali quoque titulo decorati. Nimirùm Carolus I. Magnus, Pipinus junior, Bernardus, Ludovicus I. Pius, Lotharius I. Ludovicus II. Carolus II. Calvus, Ludovicus III. Balbus, Carolus III. Crassus, Berengarius I. Vido, Lambertus, Ludovicus IV. Rodulphus, Hugo, Lotharius II. Berengarius II. Adalbertus, Otho I. Magnus, Otho II. & Otho III. (11).

4 Carolus Magnus autem in potestatem Ecclesiæ Romanæ posuit, sive redintegravit, Civitatem Cæsenæ. Nàm regio Diplomate confirmavit, emologavit, ratam habuit,

[5] *Cabassut. notit. Eccl. Sęcul. 8. num. 14.*

[6] *Horat. Tursellin. Epitom. Hist. l. 6. ad an. 741.*

[7] *Sigon. de regn. Ital. l. 3. in fin. fol. 88.*

[8] *Capitular. Carol M. t. 1. f. 524.*

(9) *Claramon. Histor. Cæsen. lib. 5. fol. 188.*

(10) *Tursellin. loc. citat. ad ann. 741. circ. fin.*

(11) *Vide Sigon. ac Thesaurum de Regno Italiæ.*

imò & auxit concessionem, restitutionem, donationem, assignationem, seu quocumque alio titulo denominari velit, simile Diploma, decreti, pacti, constitutionis, & privilegii, conditi favore Sedis Apostolicæ à Pipino seniore illius patre [12]: Perpetuòque retinendas, & proprietate ineluctabili possidendas, idem Carolus Romano Pontifici comprobavit plures Italiæ provincias (13): *Corsica*, *Sardinia*, *Sicilia*, *Ducatu Spoletano*, *Tuscoque adjectis* (14). Ex quibus Italicis provinciis una fuit Exarchatus Ravennatensis, cum universis civitatibus in eo contentis, atque complectens proculdubiò urbem quoque nostram Cæsenæ (15). Cujus quidem Carolini diplomatis certa memoria est apud Historicos (16) & antiquos Chronistas (17).

5 Reminiscimur hìc, quod Maurus Verdonius eruditus, & solers antiquarius, ac rerum Cæsenatum diligentissimus indagator, atque Archipresbyter S. Victoris in Valle, asserebat, Carolum Magnum quandoque per aliquot menses constitisse apud Cæsenam æstivo tempore. Quod equidem nos hucusque nullibi legimus. Veruntamen id nedum censemus veritati congruere; sed etiam cum Carolo tunc adfuisse Pipinum juniorem ejus filium, quem secum consortem fecerat Italici regni, sed ei præmortuus est (18): & utrumque simul Civitatem nostram sua permanentia temporanea decorasse. Bini siquidem hi Principes, dum simul in Italia consisterent, plerumque versabantur, & morabantur Ravennæ [19]. Admodùm igitur verisimile est, quod & quandoque ob intercurrentia reipublicę negotia, Cæsenam accederent: & æstivo præsertim tempore, ad evitanda incommoda densioris aeris Ravennatis, civitatem nostram, & adiacentes ei colles amænissimos inhabitandos advenirent, purioris auræ captandæ gratia: quemadmodum & Honorium Imperatorem novimus facere consuevisse (20).

6 Defuncti Caroli successor in Regnis Italiæ, ac Franciæ, nec non in Imperio fuit Lodovicus I. ejus filius, cognomento Pius (21): qui novo diplomate, pacto, & constitu-

(12) *Anastas. Bibl. in Steph. 3. Du Chesn. Histor. Franc. tom. 2. fol. 296. Braschb. de Libert. Eccl. to. 2. cap. 25. numer. 43.*

(13) *Du Chesne loc. cit. fol. 217. Anastas. Bibliot. in Hadrian. I. Braschius ubi supr. num. 44.*

(14) *Turselin. ubi supr. ad an. 741. circ. fin.*

(15) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. fol. 79.*

(16) *Card. Baron. ann. 774. num. 6. Ioann. Morin. par. 3. cap. 16. & 20.*

(17) *Leo Ostiens. Chronic. Cassinen. lib. 1. cap. 8. Chron. S. Vincent. ad Vulturn. apud Duchesne tom. 3. fol. 694.*

[18] *Cardin. Baron. an. 781. num. 1. & 2.*

(19) *Carol. Sigon. de Regn. Ital. lib. 4. fol. 92. lin. 22.*

(20) *Vid. supr. cap. 13. nu. 17.*

(21) *Cardin. Baron. an. 814. num. 64.*

tu-

tutione, confirmavit, & comprobavit restitutiones, traditiones, atque concessiones factas à patre suo Carolo, atque ab avo Pipino seniore, favore Sedis Apostolicæ (22). Idemque Diploma nedùm ipse sua subscriptione munivit, sed etiam filiorum suorum, ac decem Episcoporum, octo Abbatum, quindecim Comitum, aliorumque Officialium, fecit manu, charactere, ac subscriptionibus roborari (23). Plura de hac rè alibi diximus (24). Eo autem in Diplomate Imperator expresse memoravit Cæsenam, inquiens, se confirmare Paschali Papæ I. post alia, *Exarchatum Ravennatensem &c. quem piç recordationis D. Pipinus Rex, ac bonç memoriç genitor noster, B. Petro, & prçdecessoribus vestris, jam dudùm per donationis paginam restituerunt: hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cçsenam, Forum Pompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabellum &c.* (25).

7 Nota verò locum datum Cæsenæ in præfato Diplomate: nempè primum inter Civitates Exarchatus post Metropolim ejus Ravennam. Hac etenim nominata, ponit *Æmiliam*, quà non Civitatem significat, sed Provinciam ita vocatam: & in eo distinctam ab Exarchatu, quod hic extendebatur ad alias quoque Civitates, & loca extra Æmiliam constituta (26). Subdit inde *Bobium*, quo pariter significat Provinciolam hujusmet nominis, complexivam Diæcesis Sarsinatensis, cujus Episcopus dicitur Comes Bobii: Eumque *regionis tractum, unà cum civitate* (Sarsinæ) *nunc vulgo Bobium vocant, tamquam Bojum, seu Bojorum agrum*, inquit Paulus Merula (27). Et idem Episcopus quandoque antiquitùs vocatus reperitur *Episcopus Bobiensis* (28): antequàm erigeretur Episcopatus Bobii in Lombardia.

8 Statim ergò post memoratas Metropolim Ravennæ, ac Provincias Æmiliæ, atque Bobii; Diploma Imperiale præfatum Civitates relaturum, primum locum dat Civitati Cæsenæ. Quod & fecisse deindè consimilia Diplomata Vidonis, Lamberti, Othonis, Henrici, Rodulphi, aliorum-

(22) *Cap. Ego Lodovicus 30. dist. 63.*

[23] *Leo Ostiens. Chron. Cassinen. lib. 1. cap. 18.*

[24] *Brosch. de Libert. Eccles. tom 2. capit. 26. num. 1, & 2.*

[25] *Cardin. Baron. an. 817. an. 10. Sigon. de Regno Ital. lib. 4. fol. 106.*

[26] *Histor. del Domin di Parma lib. 1. num. 6. fol. 14. & 15.*

(27) *Paul. Merul. Cosmogr. par 2. cap. 33. fol. 1237.*

[28] *Filip. Antonin. Antic. di Sarsina fol. 4. cap. 16.*

rumque Imperatorum, citrà dubium eſt: & legentibus nonnulla illorum inferius referenda; innoteſcet (29). Sed & in jam dudum antiquiori Diplomate Valentiniani III. Imperatoris, hic ſuperiùs memorato (30): quo deſignati fuerunt 14. Epiſcopi Æmiliæ, ſuffraganea ſubordinatione ſubjecti Metropolitæ Ravennati; poſt Sarſinatem Epiſcopum, Provinciolæ Bobii præſidentem; primus locus datur Epiſcopo Cæſenati. Nam pagina illa Imperialis exprimit has civitates: *Sarſenę, Cęſenę, Forum populi, Forum Livii; Faventię, Forum Cornelii, Bononię, Mutinę, Regii, Parmę, Placentię, Brixelli, Vicohabentię* (ideſt Ferrariæ) *Hadrię* (31). Qui præcedentiæ honor datus noſtræ civitati à tot Imperatoribus, non eidem parvam affert notam decoris juxtà vetera illa tempora.

[29] *Vid. infr. ſuo loco.*

[30] *Vid. ſupr. cap. 13. n. 21.*

(31) *Cardin. Baronius ann. 3432. nu. 91.*

9 Extincta deindè linea Caroli Magni, per obitum Caroli III. cognomine Craſſi, anno 888. factus eſt locus executioni decreti præventivè conditi ab Hadriano PP. III. *Ut moriente Rege Craſſo ſine filiis, Regnum Italicis Principibus, unà cum titulo Imperii traderetur* (32). Tunc Italicum Regnum ſuſcepit Berengarius I. Dux Forojulienſis (33). At nutantèr: prævaluit enim ei Vido, ſive Guido Dux Spoletanus: qui nedùm Regnum ipſum, ſed etiam Imperialem titulum aſſecutus eſt à Formoſo Papa Imperiali diademate coronatus anno 892 (34). *Atque ita antiquum Italię Imperium Italici poſt tam multas, ac tam diras gentium externarum impreſſiones, recuperarunt* (35). Is ergo Vido novum Diploma procudit favore Romanæ Eccleſiæ, confirmativum, ratilabitivum, & comprobativum eorum, quæ Pipinus ſenior, Carolus Magnus, & Lodovicus Pius decreverant, ſtatuerant, & pacti fuerant (36).

[32] *Carol. Sigon. de Regn. Ital. lib. 5. in fin. fol. 138.*

(33) *Claram. Hiſtor. Cęſen. lib. 5. fol. 192.*

(34) *Cardin. Baronius ann. 892. num. 1.*

(35) *Sigon. ubi ſupr. lib. 6. fol. 130.*

(36) *Idem Sigon. ibi ad an. 891.*

10 Decedenti Vidoni, ſubrogatus fuit Lambertus ejus filius, à Ioanne PP. IX. Auguſtali corona inſignitus: cum & jam vivente patre in conſortium Regni ab eo aſſumptus fuiſſet (37). Hic Princeps interfuit Concilio 74. Epiſcoporum, ab eodem Joanne Papa convocato: anno 904. ubi

[37] *Cardin. Baron. an. 893. num. 8. & an. 904. num. 2.*

ubi varia decreta, & sanctiones editæ sunt, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes (38). *Et ibi etiam Lambertus Imperator donationes Ecclesię ab Regibus prędecessoribus suis factas, & à Vidone patre Imperatore instauratas, confirmavit* (39). Iste quoque igitur Imperator de perpetua pertinentia civitatis Cæsenæ ad Sedem Apostolicam, calculum suæ approbationis, confirmationis, concessionis, pacti, & ratihabitionis adiecit.

(38) *Bail. sum. Concil. tom. 2. fol. 353.*

(39) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 6. f. 144.*

11 Lamberto morte sublato, Berengarius I. superius nominatus, Regnum demum, & Imperium, ac utriusque administrationem adeptus est (40). Post quem deindè Berengarius II. ejusdem ex filia nepos, Regnum Italicum invasit (41). Quod cum teneret, avaritia simul, & ambitione dilatandæ ditionis, effrænatè incitatus, anno 953. *Exercitum &c. Ravennam, atque in Exarchatum adduxit, & Agapitum Pontificem, Episcopos, Abbates, Comitesque Italiæ in ordinem cogere, vexare, atque omni demùm injuriarum genere incessere instititi: ita ut neque fortunis, neque dignitati ullius parceret, verum apud omnes insignia avaritiæ, atque superbię exempla relinqueret* (42). Intèr cæteras autem immanitates, devastavit Cæsenam, gravique incendio ex parte illam consumpsit. Causa hujusmodi sceleris fuit, quod nostra *civitas munitioni suę, atque propugnaculis, & situ fidens, acrius, & diutius restitit* ejus conatibus, & hominem suapte natura ferum vehementèr irritavit (43). Principis hujus, iniquitate sua memorabilis apud Cæsenates, ista est species oris.

[40] *Luitpran. lib. 1. cap. 10. Spondan. ann. 910. num. 2.*

(41) *Card. Baron. ann. 945. num. 1.*

[42] *Sigon. ubi supr. fol. 164. 37.*

[43] *Scip. Claram. Hist. Cęsen. lib. 11. fol. 194.*



12 De-

12 Istius desolationis, & incendii mentionem facit S. Petrus Damiani, scribens in vita S. Mauri Cæsenatis, non posse à se quædam distinctè notari, quia *cum Civitas antè hęc tempora flammis fuisset adusta, monimenta quoque perhibent simul fuisse consumpta* (44). Berengarius II., inquam, vastavit, & adussit Cæsenam. Sed nihilominus occupatam oportet restaurasse, in ea parte saltem, quæ ad *Muratam* pertinet, fortalicii officio defungentem. Nàm cum decennio post Otho magnus ab Italis accersitus venisset, ut eos armis a tam dira tyrannide liberaret (45); Berengarius Cæsenam se recepit, & ibi per aliquod tempus Othonis obsidionem sustinuit (46). Verùm nec de propriis viribus, nec de Civium assistentia confidens, clam elapsus, ad S. Leonis oppidum se recepit (47): ubi Otho præfatus illum itidèm obsedit, ac denique captum in Germaniam transmisit (48).

13 *Otho*, inquit Luitprandus Ticinensis, *Papię navim conscendit, ac per Eridani alveum Ravennam usque pervenit. Indeque progrediens Montem Feretranum, quod Oppidum S. Leonis dicitur, in quo Berengarius, & Vvilla*, ejus uxor *erant, obsedit* (49). Ad biennium ea obsidio protracta est, Ditmaro teste (50). Qua perdurante, Otho Diploma edidit favore Lucani Episcopi, anno *963*. Datum *in M. Feretri ad Petram S Leonis* (51). Ipso item obsidionis tempore Vido, Adelbertus, & Conon Berengarii filii; hùc illùc abeuntes dispersi sunt: *illum verò cum filiabus, & conjuge captum* Otho *devexit in Sueviam, ubi non multo post in amaritudine animæ diem clausit extremum* (52). Subjugatus fuit Berengarius anno *964.*: & Bambergæ detentus, ibi anno *966*. consumptus mærore animi, ac ærumnis decessit [53].

14 Debellato Berengario, ipsemet Otho Romam profectus, à Joanne Papa XII. Imperiali diademate coronatus fuit [54]: & est hujus nominis I. ex Romano-Germanicis Imperatoribus: propter illustria facta, Magnus communiter appellatus [55]. Urbe postmodum digressus cum Pontifi-

ce

[44] *S. Petr. Damian. in Vit S. Maur. Episcop. Cæsen.*

(45) *Luitpran. lib. 6. capit. 6. Spondan. ann.* 960. *n.* 1.

(46) *Chronic. manuscr. Cæsen. fol.* 107.

(47) *Eman. Thesaur. Regn. Ital. Berengar.*

[48] *Card Baron. ann.* 964. *num.* 30.

(49) *Luitprãd. Ticinens. Histor. lib.* 6. *c.* 6.

(50) *Ditmar. lib.* 2. *f.* 223.

[51] *Ughel. Ital. Sacr. to.* 1. *col.* 897.

[52] *Arnulph. Medicl. Histor. lib.* 1. *cap.* 7.

[53] *Lambert Schafnaburg. & continuat. Rhegi non eod. ann.*

[54] *Regino in Chronic. ad an.* 962.

(55) *Spondan. ann.* 962. *n.* 1.

ce Ravennam se contulit: ubi Paschate celebrato anno 967. Concilium habitum fuit: & Imperator *Pontifici Ravennam, Ravennatemque ditionem, aliaque complura, à Berengario in primis adempta, restituit, ac veterem Pipini, Caroli, ac Ludovici donationem novo Diplomate confirmavit.* [56]. Hoc diploma in parte habetur apud Gratianum [57]. Illiusque tenor expresse addicit Papæ *Exarchatum &c. Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum populi, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam Ferrariam, Comaclum, Hadriam, atque Gabelum* (58). Quod sanè Diploma etiam Otho III. post annos 26. confirmavit (59).

15 Et licèt alicubi dicatur, quod Otho I. Cæsenam in libertate posuit (60); attamèn libertas ab hoc Principe indulta pluribus Italię civitatibus, non nisi regimen Oeconomicum, & municipale perspexit, *ut leges, consuetudines, jurisdictionem, magistratus, vectigalia sui ferme juris, atque arbitrii haberent; ita tamen ut sacramentum Regibus dicerent* [61], ac respectivè Papæ subessent. Quamvis pariter asseratur, Gregorium PP. V. (sive scientem, sive deceptum: sive ad tempus, sive in perpetuum: sive in proprietatem, sive in administrationem: sive per subreptionem, sive per obreptionem) dedisse Cæsenam Gerberto Archiepiscopo Ravennati; attamèn hic Præsul nostræ Civitatis dominium numquàm valuit adipisci: resistentibus Cæsenatibus tantæ tùm novitati, tùm concessioni, usque ad incurrendam ejusmet Antistitis indignationem.

16 Et hæc fortè fuit potissima causa, sive una ex causis, propter quas Gerbertus, factus paulo post Papa, sub nomine Silvestri II. *Urbevetum profectus, rempublicam ejus civitatis salutaribus legibus vinxit, & Cæsenam admoto exercitu circumsedit* (62). Hujus obsidionis, qualiscumque fuerit ratio, vel prætextus, memoriam facit quoque S. Petrus Damiani [63]. Et consentiunt Historici, tùm nostri, tùm alieni [64]. An autem civitas fuerit expugnata, vel ob constantem illius resistentiam, ob-

(56) Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. f. 172.
(57) Cap. Tibi domino 33. dist. 63.
(58) Card. Baron. ann. 952. num. 2.
(59) Sigon. ubi sup ann. 998. fol. 185.
(60) Chron. Cæsen. M. S. fol. 84. 85.
[61] Scip. Claram. Hist. Cæsen.
[62] Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. fol. 185. 37.
(63) S. Petr. Damian in vit S. Maur. Episcop. Cæsen.
(64) Oldoin. Addit. ad Ciacon. in Silvest. Papa II.

ſidio remanſerit ſoluta, incertum eſt: profectò nullibi captam, nullibi fuiſſe legitur expugnatam (65). In hac obſidione partem habuit præcipuam Otho III. Imperator, nedùm auctoritate, verùm etiam præſentia: qui & in eadem expeditione interiit, ut oſtendetur in noſtris Diatribis.

17 Nunc de rebus Eccleſiaſticis Cæſenatibus, ad hæc tempora pertinentibus, eloquamur. Anno 780. Eccleſiæ noſtræ præerat *M. Epiſcopus XXV.* [66]. Cuius nominis non niſi litera initialis habetur. An verò Mathæus, an Michael, an Marcus, an Marcellus, aut alia ſimili denominatione vocaretur, jam poſt curſum tot ſæculorum non poteſt ſcitè divinari. Illius vero tempore oportet contigiſſe, quod in manuſcripto Codice recenſetur: nimirùm Cæſenæ per tempus aliquod conſtitiſſe S. Leonem PP. III. cum à Spoleto [quo ſe receperat (67) ut inſidias, & ſevities Romanorum evaderet] iter arripuit ad Caroli Magni præſidium implorandum (68): à quo apud Paderburnam in Saxonia honorificentiſſimè ſuſceptus eſt (69). Deindè Cæſenæ ſedit *Joannes I. Epiſcopus XXVI.* patria Lucenſis [70]. Poſteà recenſetur *Mancius Epiſcopus XXVII.*: Cujus intercidiſſet memoria, niſi Fratrum Minorum Cæſenæ in *Archivio adhuc extaret antiquiſſimi ſigilli impreſſio B. Severum Civitatis protectorem repreſentans, cumbis verbis circumſcripta*: *Sigillum Mancii Epiſcopi Cæſenæ* (71).

18 Idipſum de Succeſſore contigiſſet, cui nomen fuit *Romanus Epiſcopus XXVIII.* niſi Ferdinandus Ughellius illius nomen albo noſtrorùm Antiſtitum conſcripſiſſet: præfuit verò anno 826. (72). Sequitur *Petrus I. Epiſcopus XXIX.* quem interfuiſſe reperimus Concilio Ravennatenſi, celebrato anno 877. & ſubſcripſiſſe Diplomati Ioannis Papæ VIII. (73). Poſtmodum Eccleſiam Cæſenatem rexit *Florius II. Epiſcopus XXX.* patria Neapolitanus (74). Hic adfuit Concilio Romano, quod Nicolaus Papa I. convocavit anno ejus 4. Ludovici Auguſti 2. die 18. Novembris [ideſt anno 861.] contra Ioannem Ravennæ Archiepiſcopum (75). Interfuit paritèr Concilio

(65) *Claram. lib.6. fol.212.*

(66) *Manzon. Chronol. Cæſen. f.173.*

(67) *Card. Baron. ann.799. num.5.*

(68) *Chron. M S. Cæſen. f.37*

(69) *Spondan. an.799. n.1.*

(70) *Manzon. Chron. Cæſen. fol.173.*

(71) *Idem Bernard. Manzon loc. cit.*

(72) *Vghel. Ital. Sacr. to.2 inter Epiſcopos Cæſen.*

[73] *Labbe to. 9. Concil. f.305*

(74) *Manzon. ubi ſup. fol.11. 13. & 173.*

(75) *Murator Rer. Ital. tom. 2. fol.206.*

lio Ravennati celebrato per Ioannem PP. IX. præsente quoque Imperatore Lamberto: ubi 74. Episcopi convenerunt: Et de causa Formosi olim Papæ, ac de rebus ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, tractatus habitus fuit: atque declarata irrita coronatio Imperialis, extorta à Berengario Forojuliense (76). Coaluit hujusmodi Concilium anno 898. (77): vel post aliquot sequentes annos (78).

19 In elencho successivè Antistitum Cæsenatum exhibetur *S. Maurus II. Episcopus XXXI.* De quo in Martyrologio Romano dicitur *Cæsenæ S. Mauri Episcopi, virtutibus, & miraculis clari* (79). Scripsit ejus vitam S. Petrus Damiani (80): quam recenset quoque integram Laurentius Surius (81): & similitèr Joannes Bollandus (82): Illamque Scipio Claramontius inseruit historiæ Cæsenati (83). Est verò distinguendus hic S. Præsul *Maurus II.* ab alio ejusdem nominis *Mauro I.* Episcopo paritèr nostro, quem nonnullos constat improvidè confudisse. In eadem vita dicitur, sanctum hunc Pastorem fuisse Papæ nepotem, à quo fuit sacris Infulis redimitus. At cujusnam Papæ, ignoratur. Ferrarius putat fuisse nepotem Joannis Papæ IV. (84). At Chronologia temporis non cohæret: cum Joannes obierit anno 641. ferè 301. annis ante S. Maurum. Unum est autem, quod is gloriosus Antistes tàm sanctitate repulsit, quàm stemmate gentilitio: præfuitque circa Christi annum 934. (85).

20 Vitæ asceticæ libens incubuit, quantum pastoralis cura compatiebatur: solitariè degens ut plurimum apud parvam Ecclesiam, ab eo ædificatam in colle, olim dicto, Spatiani, & ab eo deindè Mons Mauri nuncupato: ubi extat insignis B. Virginis Imago, in proxima, & decora Æde Monachorum S. Benedicti: quam signa, & prodigia edere testantur innumerabiles tabellæ pictæ (86): prout & ipse quoque vir sanctus, tam vivens, quàm defunctus, multis, & magnis miraculis coruscat (87). Deniquè cum præfuisset Episcopatui Cæsenati duodecim annis, migravit in cæ-

(76) *Card. Baron. ann. 902. num. 9.*
(77) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 6. f. 144.*
(78) *Vid. Bailsum. Concil. to. 2. f. 253.*
(79) *Martyrolog. Roman. die 20. Ianuar.*
(80) *S. Petri Damian. vit. S. Maur.*
(81) *Surius tom. 7. die 20. Ianuar.*
(82) *Io. Bollandus Act. SS. to. 2. die 20. Ianuar.*
(83) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 5. fol. 199.*
(84) *Ferrar. Catal. Sanctor. Ital. die 21. Novembr.*
(85) *Bernard. Manzon Chronol. Cæsen. f. 16 & 47.*
(86) *Chronic. M. S. Cæsen. l. 16. 84.*
(87) *S. Petr. Damiani in ejus vita.*

cælum die 21. Novembris anno 946. Ejus corpus in sarcophago tumulatum fuit apud præfatam parvam Ecclesiam, *in loco nunc Crucicula appellato, cum sequenti Epitaphio* (88).

Hic manet Antistes tumulatus marmore Sanctus
Fulgidus, insignis, mirandus, nomine Maurus.

21 A loco præfato Cruciculæ, sacrum ejus corpus, anno 1340. moderante Cæsenam Francisco de Ordelaphis, solemnitèr delatum fuit ad Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ in Murata, tunc Cathedralem: tàm ut proximius esset devotioni, & cultui Cæsenatum; quàm ut in loco illo solitario Cruciculæ non pateret direptioni latronum. Deindè anno 1411. vel biennio post, ad novam Cathedralem Sancti Joannis Baptistæ translatum fuit à Gregorio Malesardo Episcopo, & ibi sub ara ipsi Sancto dicata depositum est. Quod successivè Odoardus Gualandus Episcopus ab ipsa laterali ara, ad altare majus ejusdem Cathedralis traduxit: ibique integrum asservatur. Denique anno 1642. tàm istud sacrum corpus, quàm aliud S. Severi per Civitatem fuerunt processionalitèr circũducta, & in suis respectivè locis reposita: Ecclesiam Cęsenatem regente Petro Bonaventura (89).

22 Ex post pastorale munus exercuit *Constantius Episcopus XXXII.* ejusdem S. Mauri nepos, teste S. Petro Damiani, asserente, innotuisse sibi quemdam annosum senem, *qui se vidisse Beati Mauri nepotem, Constantium videlicet nomine, Episcopum Cæsenatis Ecclesiæ, testabatur* (90). Seditque anno Christi 946. (91). Quo demùm obeunte infulis circumdatus effulsit *Gonfredus Episcopus XXXIII.* patria Cæsenas, circa annum 954. (92). Nàm interfuit Concilio Ravennatensi, celebrato eodem anno per Petrum Archiepiscopum: in quo restituta fuerunt Episcopo Ferrariensi bona quædam ad ejus Ecclesiam pertinentia (93). Gonfredi obeuntis locũ implevit *Ruodo Episcopus XXXIV.* qui subscriptus reperitur diplomati Joannis PP. XII. anno 967. interessente illi actui etiam Othone magno Imperatore (94). Posteà regendam Ecclesiam nostram adeptus

[88] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 16.*

(89) *Idem Manz. f. 16. et 47. & Chron. M. S. Cæsen. locis citat.*

(90) *S. Petr. Damian. in vit. S. Maur. §. Quidam.*

(91) *Bernardin. Manzon. Chronol. Cæsen. f. 17.*

(92) *Caram. Histor. Cæsen. post lib. 10. Manzon. loc. cit.*

(93) *Labbè to. 9. Concil. fol. 1237.*

[94] *Idem Labbe tom. 9. Concil. f. 675.*

ptus est *Dodo Episcopus XXXV.* qui adfuit Concilio Marzaliensi, habito Parmæ anno 973. ab Honesto Archiepiscopo Ravennate cum Coepiscopis suffraganeis suis (95).

23 Attendendum verò, quod hi duo postremi Episcopi in mox fatis Conciliis appellantur, unus *Ruodo Episcopus Cæsinatæ Ecclesię*: alter *Dodo Episcopus Cæsinaten.* quatenùs Cæsena interdùm antiquitùs denominata est quoque *Cęsina*, ut supra dictum fuit suo loco [96]. Et cum uterque is Antistes fuerit suffraganeus Archiepiscopi Ravennatis, indictoris Conciliorum, quibus hi Præsules interfuerunt, non potuerunt esse nisi Episcopi Cæsenates: Nec enim est alia Ecclesia Cæsinaten. vel Cæsinata, suffraganeo jure subordinata Metropolitanæ Ravennati, quam Ecclesia Cæsenæ. Postremò ex tunc Pontificale munus apud candē Civitatē exercuit *Georgius Episcopus XXXVI.* propter quamdam similitudinem nominis alicubi *Sergius* appellatus [97]. Et ità Ughellius citans Codicem Vaticanum, inquit: *Sergius Cæsenatis Ecclesiæ Episcopus Concilio Ravennati interfuit &c. anno* 997. (98). At re vera in actis dicti Concilii: cui suam quoque præsentiam exhibuit Otho III. Imperator (99); idem Episcopus vocatur *Georgius* (100).

(95) *Ipsemet Labbè tom. 9. Concil. f* 1241

(96) *Vide supr. cap. 3. n. 17*

(97) *Manzoni Chronol. Cæsen. fol. 18. &* 174.

(98) *Ughel. Ital. sacr. in Episc. Cæsen.*

[99] *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 7. f. 184.

[100] *Labbè to* 9. *Concil. fol.* 770.



CA-

CAPUT XVII.

Dè Laicalibus rebus Cæsenæ, ac Cæsenatum, ab initio *Sæculi Undecimi*, usque ad finem *Duodecimi*.

SUMMARIUM.

1 *SAnctus Henricus fit Imperator. Confirmat Papæ concessionem Exarchatus, memorans in eo Cæsenam.*
2 *Conradus Imperator concessit Abbatissæ Raven. districtum Taibani: sed invalidè, si de jurisdictione sit sermo.*
3 *Quid essent* Mandiburdia, *hisque similia Diplomata: quanamque occasione concederentur?*
4 *Judices Cæsenates cum aliis interfuerunt cuidam consessui Præsulum, & Magnatum &c.*
5 *Ortis dissidiis inter Pontifices, & Henricum III. Imperatorem, Cæsena fida extitit Sedi Apostolicæ.*
6 *Idem Henricus Archiepiscopo Ravennati donavit Comitatum Cæsenæ, sed irrito conatu.*
7 *Qui Archiepiscopus factus Antipapa, Cæsenam obsedit, & magnis affecit detrimentis.*
8 *Henricus IV. Imperator bona quædam agri Cæsenatis Monachis Ravennatibus concessit: eosque exemit &c.*
9 *Grave dissidium inter Cæsenates ortum, eorum civitatem perturbavit.*
10 *Aliud simile inter castellanos, & suburbanos Cæsenates emersit.*
11 *Origo funestarum factionum* Guelphæ, & Ghibellinæ, *quæ multum sanguinem effuderunt.*
12 *Cæsenates adhæserunt Papæ contra Fridericum Imperator. à quo castrum Cęsenę concessum est Archiep. Raven.*
13 *Imperator Cæsenam occupat, & in ea se consovet: in eaque residet permanens in Italia.*
14 *Contentio nata inter Cæsenates, & Ariminenses propter castrum Bulgarię.* 15 *Po-*

15 *Posteriores à prioribus fracti, & fugati: quod & iterum fecerunt ob castrum collis Cęsaris.*

16 *Henricus VI. Imperator constituit Ducem Ravennatem Marcoaldum &c.*

17 *Quę concessio fuit irrita, tamquàm de re non concedentis, sed aliena.*

18 *Cęsenates renuerunt se subiicere Marcoaldo: qui eorum urbem obsedit. Lonzani oppidum devastatum.*

1 Vacans Regnum Italiæ per mortem Othonis III. pervenit anno 1005. ad Henricum I. Ducem Bavariæ, ac Regem Germaniæ (1), olim discipulum Sancti Vvolphangi Ratisponensis [2]: promotum quoque non diu post ad Imperium, itidem vacans; & Augustali corona Romæ à Benedicto PP. VIII. decoratum (3). Fuit hic Princeps tanta religione præditus, ac morum probitate, totque virtutibus præstans, ut raro, quinimò & unico inter Cæsares exemplo, meruerit post obitum, in Sanctorum Romano Martyrologio recenseri (4). Optimus autem hic Imperator (qui tam egregiè *bellicę virtutis laudem sanctitatis gloria cumulavit) donata Romanę Sedi à Pipino, & aliis Imperatoribus, rata esse jussit* (5). Nàm peculiari Diplomate confirmavit concessiones factas ab ipso Pipino, & Carolo Magno, Ludovico Pio, atque ab Othonibus, Apostolicæ Sedi, plurium Provinciarum [6]: & inter has Exarchatus Ravennatis. Ideſt, inquit in Diplomate, *Civitatem Ravennam, & Æmiliam: Bobium, Cęsenam, Forum Populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum &c.* (7). Honore igitur tùm denominationis, tùm præcedentiæ S. Henricus Cæsar prosecutus est Cæsenam, quo antecedentes Imperatores illam affecerant, ut supra dictum est.

2 Delatum indè fuit Regnum Italiæ, atque Imperium Conrado I. Duci Franconiæ (8): qui Romæ coronatus fuit à Joanne PP. XX. anno 1027. magna solemnitate in die Paschæ [9]. De isto autem Principe reperitur, quod anno

(1) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 8. in princip.*
(2) *Card. Baron. ann. 1002. num. 8.*
[3] *Glaber. Hist. lib. 1 Baron. an. 1013. num. 5.*
(4) *Martyrol. Roman. die 14. Julii.*
(5) *Turselin. Epit. histor. ad ann. 1003.*
(6) *Sigon. ubi supra fol. 189. 50.*
[7] *Card. Baron. ann. 1014. num. 7.*
(8) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 8. ad an. 1025.*
[9] *Otho Frising. lib. 6. cap. 29 Glaber. l. 4.*

anno 1039. postremo vitæ suæ, atque Imperii, concessit Hemæ Abbatissæ S. Andreæ Ravennatis districtum loci Taibani, (hodie Tipani) in territorio Cæsenate [10]. Ast si de ditione jurisdictionali ejusdem districtus locutum est Diploma illud, qualecumque fuerit, irrita prorsùs extitit concessio: contulit enim quod Conradi non erat, sed Apostolicæ Sedis. Eo modo, quo & inani gratificatione contulit Gebehardo Archiepiscopo Ravennati comitatum Faventinum, ab hoc Præsule nunquam vi ejusdem concessionis adeptum (11). Nullus enim donare, nullus dare, nullus concedere valet, quod suum non est, sed alienum.

(10) *Rubeus Histor. Raven. lib. 5. fol. 281.*

(11) *Clarom. Histor. Cæsen. lib. 6. f. 215.*

3 Si verò Cæsar sermonem habuit de prædiis allodialibus, in districtu præfato sitis; diploma ejus, ac similia diplomata Imperialia, non nisi *Mandiburdia* vocabantur: idest privilegia tutelaria, paginæ tuitionis, & chartæ salvaguardiæ, regiæque protectionis, ac defensionis (12): quæ nec dominium rerum concessarum in dante probabant: nec suscipienti conferebant quod non habebat (13). Sæpè namque contingebat per ea tempora, quod possessores prædiorum, castrorum, districtuum, sibi ab hostium incursibus metuentes, & præcipuè à militibus Imperatorum, venientium in Italiam; ne direptionibus, exactionibus, & vastationibus anxiarentur; talia diplomata, & mandiburdia postulabant, ut eorum ope coercerent violentias hostiles, ac bellicas infestationes. Hujusmodique naturæ verosimiliter fuit membrana concernens bona Tipani territorialia Cæsenæ, quam Conradus Imperator contulit mox memoratæ Abbatissæ.

(12) *Magr. Hierolexic. V. Mamburgium Thomasin. vet. & nov. Eccl. &c. p. 1. l. 1. c. 55. n. 3.*

[13] *Dominio &c. di Comacchio 1. §. 47. fol. 174.*

4 Ipsimet Cęsari successor adfuit in Regnis Italię, atque Germanię, ac demùm itidèm in Imperio Henricus II. ejus filius [14] Romæ coronatus anno 1046. à Clemente PP. II. (15). Hujus Imperatoris tempore Hugo minister, sive missus, legatusve Cęsareus per Italiam Congressum habuit *in Vico de Rheda nuncupato, cui adfuerunt Henricus Archiepiscopus Ravennas, Rolandus Ferrarię, & Bene-*

[14] *Sigon. de Regn. Ital. l. 8 fol. 198.*

(15) *Card. Baron. an. 1046. num. 2.*

nedictus Hadrię Episcopi. Judices etiam Ravennates, Cęsenates, Foroliviensés, & Ferrarienses. Petrus Traversaria, & alii multi Proceres. Auditę ibi quęrelę adversus Archiepiscopum, de perturbatione possessionis cujusdam fundi, & decreti Judices, qui pro Archiepiscopo pronunciarunt (16). Memorat Conventum hunc etiam Rubeus in historia Ravennate (17): nec de illo nobis aliud innotescit. Honorificum verò est nostrę Civitati, adfuisse hujusmodi pręclaro consessui Antistitum, & Magnatum: adfuisse, inquam, Judices quoque Cęsenates, ac quidem nominatos primo loco post Ravennates.

(16) Claramont. Histor. Cæsen. lib. 6. fol. 216.

(17) Hieron. Rub. Histor. Raven. lib. 5. fol. 286.

5 Moriens Imperator Henricum III. filium suum Ecclesię Romanæ patrocinio commendavit (18). At verò iste ad Regnum promotus, factus est pessimus retractarius: & eandem Ecclesiam, almamque Urbem, atque plures successivè Pontifices, conviciis, dolis, persecutionibus, ac Schismatum fomentis indesinentèr afflixit [19]. Deniquè adeò immania scelera perpetravit, ut sine horrore non valeant recenseri (20). Ardente autem ipso dissidio inter Ecclesiam, & Regnum; ac Imperatorem ipsum, & Romanos Pontifices; Cęsenę civitas, unà cum aliis urbibus Exarchatus, excepta Ravenna, in obedientia Sedis Apostolicę, ac legitimè sedentium in ea Pontificum, infracto animo contra eundem nefarium Principem, & schismaticè ab illo intrusos Antipontifices, perstitit (21).

(18) Cardin. Baronius ann. 1056. num. 10.

[19] Petav. Ration Temp. lib. 8. cap. 17. Busier. Floscul. Historia ann. 1054.

[20] Baron. & Spondan in Annal. ab anno 1056. & deinceps.

[21] Claram. Histor. Cæsen. lib. 6. fol. 217.

6 Interim autem Henricus, ut Gibertum Archiepiscopum Ravennatem, suę sequacem factionis, nexu sibi strictiore faceret obsequentem, edito diplomate, Ravennati Ecclesię concessit *Comitatum Cęsenatem, cum castro vetere, & novo*: quod & fecit de Comitatu *Ficoclensi*, nempè Cervię: nec non de *Bobiense*, nimirùm Sarsinę. Item de Foroliviense, ac Foropompiliense. *Sed vana fuit donatio, & chartę adhęsit* (22). Quomodò enim concedere, quomodò largiri, ac donationis titulo poterat impertiri, quod nec suum, nec Imperii erat, sed Apostolicæ Sedis? Eo vel maximè, quod Henricus nec etiam legitimus exti-

(22) Idem Claram. loc. citat.

tit Imperator, & Augustalem coronam nonnisi subsequenter à Pseudo-Pontifice nixus est qualitercumque illicitè suffurari (23).

7 Ad hęc quoniàm civitas Cęsenę fortissimè restitit Giberto Archiepiscopo prçfato, ne illius temporalem posset assequi possessionem; hinc evenit, ut ipse Archiepiscopus, factus deindè Antipapa sub nomine Clementis III. (24); unà cum Henrico Imperium occupante, dire urbem nostram vexaverit (25). Circumdatam namque obsidione militari; hostilibus incursibus, & calamitatibus fatigavit: quibus nihilominus civitas restitit imperterrita: nec certo certius innotescit, nùm fuerit expugnata: id affirmantibus aliquibus, aliis negantibus (26). Unum est autem, quod obsessa, & oppugnata graves angustias passa est, & detrimenta subivit: reparata postmodùm à S. Gregorio PP. VII. (27). Historicus Cęsenas innuit, *non captam civitatem, sed suburbia. Muratam autem, & insidentem Garampe civitatem restitisse, munitione auctam à Pontifice ipso, intercedente prçsertim Episcopo Gebizone: idque civitatis fide promerente* (28).

8 Imperium deindè capessivit Henricus IV. filius tertii; nec minus in Principatu, quam in impietate successor (29). Quarè pluriès excommunicatione percussus fuit, nedùm à Papis, verùm etiam ab eorum Legatis, adnitentibus quoque Prælatorum Conciliis, per Italiam, Galliam, & alibi celebratis (30). Ipse verò Imperator anno 1115. suo Diplomate confirmavit Cænobio Ravennati S. Vitalis bona, quæ in territorio Cæsenate, aliarumque civitatum similibus in territoriis possidebant [31]. De quo sanè Diplomate idem judicium ferendum est, quod alio de consimili Conradi ejus abavi fuit superiùs pronunciatum [32]. Pratèr vitium nullitatis, qua Monachos, & bona præfata, omni ab Ecclesiastica jurisdictione voluit exemptos esse, ac Imperiali soli subesse: spheram proculdubio suæ laicæ potestatis transcendens.

9 Nunc loqui oportet de acri contentione orta hoc duo-

[23] *Card. Baron. ann.* 1084. *num.* 2.

(24) *Ciacon. Vit. Pontif. to.* 1. *fol.* 780.

[25] *Cron. Cæsen. M. S. fol.* 39. *m.*

[26] *Claram. Histor. Cæsen. lib.* 6. *fol.* 221. 223. 225.

[27] *Chronol. Cæsen. M. S. fol.* 5. & 86.

[28] *Scip. Claram. loc. cit. fol.* 224.

[29] *Card. Baron. ann.* 1111.

[30] *Spondan. ann.* 1111. & 1112. *Baron. ibidem.*

[31] *Claram. ubi supr. f.* 228

[32] *Vide supr. in hoc cap. numer.* 2.

duodecimo sæculo inter Cæsenates Ordinis patricii, & popularis. Quæ invaluit eo usque, ut anno 1142. Optimates, ad periculum evitandum, sè tutos facere coacti sint in arce civitatis: ubi à popularibus obsessi sunt, auctis auxilio Ravennatum, aliorumque comprovincialium, tum fomentum jurgiis, tum arma obsidentibus, quà clam, quà publicè ministrantium. E' converso verò subsidia militaria obsessis Faventini validissimè contulerunt (33). Rè que Cæsenate hinc indè in ancipiti permanente, demùm locus datus est sanioribus consiliis, paxque inter dissidentes mutua satisfactione coaluit: ac tumultuaria illa concertatio, domino favente, conquievit (34).

10 Aliud subsequentèr dissidium erupit anno 1165. inter Castellanos, & suburbanos Cæsenates (35): nimirùm inter incolas ejus partis civitatis, quæ admodùm castri, seù amplioris fortalitii, munita erat muris, & propugnaculis constipata, dicta vulgari voce, *la Murata*: & habitantes aliam partem suburbanam, seu suburbia, tunc nondùm communibus mæniis totalitèr circumcincta [36]. Iurgium hoc alibi dicitur emersisse inter habitatores castrorum in parte montana territorii Cæsenatis extantium: & incolas ejusdem agri ad planitiem pertinentis, quam discordiam denique subsecuta fuerit pax, opera Episcopi Mantuani Imperialis Vicarii conciliata (37). Utriusque discordiæ atque tumultus causam, progressum, & exitum tandem pacificum, fusiùs recenset Historicus Cæsenas: quem lector poterit pro suo arbitratu consulere [38].

11 Majoris enim concertationis fervor ad sè calamum vocat: nempè illud grave dissidium, quod per diuturnum tempus inter Fridericum I. Ænobardum Imperatorem, & Hadrianum IV. ac Alexandrum III. Pontifices æstuavit: ansamque dedit fatalibus illis nominibus, & factionibus *Guelphorum*, atque *Ghibelinorum*, quæ diù Italiam lacerarunt [39]. Quamvis alii originem ipsarum factionum præcedentèr invaluisse ferant, regnante Conrado

[33] Rubeus Hiſtor. Raven. lib.6. fol. 329. Ces. Clementin. lib.3. f.306

(34) Scip. Claram. Hiſt. Cæsen. lib. 7. fol. 326.

(35) Chronol. Cæsen. M. S. fol. 89.

(36) Claramont. loc. cit. fol. 245.

(37) Chronol. Cæsen M. S. ubi supra.

(38) Scip Claram Hiſtoria Cæsen. lib. 7. à fol. 245.

(39) Idem loc. cit. fol. 242.

Imperatoris patruo (40). Et alii viceversa illam refundant in tempora posteriora Friderici II. Imperatoris [41]. Feralia hæc sanè nomina *civilem pestem, ac perniciem per Italiam sparsere* [42]: ac non imbres modò, sed & torrentes humani sanguinis effudere.

12. Itàque dira jurgia exarserunt inter binos Papas præfatos, & Fridericum Ænobardum, dignitatis, & jurisdictionis Pontificiæ pacem contumacissimè perturbantem: quæ quia longum esset distinctè referre, sit satis indicasse. His autem ferventibus discordiis, Cæsenæ civitas, quoad potuit, in obsequio Papæ constantissimè permansit [43]. Et ad tempus, quo Imperatoris nutibus obsistebat, referendum erit, hunc Principem, sub Diplomate confirmasse Guidoni Blandratæ Archiepiscopo Ravennati Castrum novum, & vetuus civitatis Cæsenæ (44): confirmatione sanè irrita, & inani: tum propter carentiam potestatis, uti supra notatum fuit (45): tum propter deficientiam fundamenti. Nec etenim confirmari potest, quod à sui primordio haud fuit ritè concessum, vel pacifica possessione detentum [46]. Et de alio simili ejusdem Principis Diplomate favore Ariminensium, quoad limites nostros territoriales (47); vide Vincentium Cæsenatem (48).

13 Successivè idem Princeps (Fridericus, inquam I. Imperator) Cæsenam occupavit; an armis, an dolo, an tractatu ad se perductam, nunc minimè notum est. Hoc certum, quod occupatam, & situ fortem repertam atque arce validissima communitam, judicavit idoneam, in qua sè firmius confoveret, numeroso militum Teutonicorum præsidio roboratam: quo in sui obsequio contineretur. Ipsam arcem adhuc munimentis fortioribus roboravit: & in ea thesaurum suum, atque uxorem tutam fecit. Denique per id tempus, quo in Italia versabatur, ordinariam facere mansionem apud Cæsenam consuevit. Hunc rerum eventum nunc attingimus per transennam, acturi de illo magis ex proposito in Diatribis Cæsenatibus, quas benignus lector adibit.

14 Hi-

(40) *Joan. de Bossieres Flosc. Histor. ad ann. 1137. fol. 206.*
(41) *Flavius Blond. dec. 1. 7*
(42) *Petav. Ration. Tempor. par. 1. lib. 9. cap. 1 f. 457.*
(43) *Claram. ubi supr. lib. 7. fol. 243.*
(44) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. fol. 34.*
(45) *Vide supr. in hoc Cap. num. 2. & 8.*
(46) *Bonden. collection legal. to. 1. collect. 26 num. 80. & 82*
(47) *Cæsar. Clementin. lib. 3. fol. 316.*
(48) *Vincent. Cæsenat. de Rubic. antiq. sect. 3. cap. 10. f. 59.*

14 Hisce pariter temporibus gravissimum ortum est dissidium inter Cæsenatis, & Ariminensis urbium incolas propter fines terrritoriales hinc inde: cum autea utriusque Civitatis animos constans amicitia taliter necteret, ac tanta benevolentia conciliaret, ut anno 1165. Cæsenates interventores fuerint apud Ariminenses ad auxilia bellica impetranda Foroliviensibus, qui ob invasionem castri Castilionis vexabantur à Faventinis (49). Igitur tametsi castrum Bulgariæ subjectum civitati Cæsenæ, ab hac liberè, atque pacificè possideretur, nihilominus turma militaris Ariminensium, fulta instrumentis bellicis, & subsidiis quoque stipata Dynastæ Feretrani, atque aliorum die 18. Augusti 1181. idem castrum aggressa est: excursionibus quoque properans usque ad fluvium Rubiconem, aliàs Riconem, & Pisatellum.

15 Quà rè lacessiti Cæsenates, ad injuriam propulsandam forti manu in hostes irruperunt prope Pontem dicto fluvio insidentem ad viam Æmiliam: eosque fractos, & in fugam versos, prosecuti sunt usque ad oppidum Sabiniani: multis in captivitatem deductis (50). *Cæsenates*, inquiunt Annales nostri, *viriliter surrexerunt in eos præliando, & prælio forti commisso, multis ex utraque parte vulneratis, sconfixerunt eos fugantes usque ad castrum Savignani: & cæperunt ex eis septuaginta quatuor milites unà cum peditibus multis* (51). Non diu item post iterum invadentibus Ariminensibus Castrum Collis Cæsaris, vulgo *Collisese*, Cæsenates accurrerunt, & hostes fugientes prosecuti propè hospitale Butrii validissimè compresserunt (52).

16 Vergente denique ad finem hoc sæculo duodecimo, post obitum Friderici I. fuit provectus ad Romanum Imperium Henricus VI. cognomento Asper ejus filius [53]. Qui citò à fide data Papæ deficiens, *Romanæ in detrimentum Ecclesiæ, Philippum fratrem ducem Tusciæ, ac Terræ Mathildis: Marcoaldum vero ducem Ravennæ, & marchionem Anconæ: & Conradum Spoleti ducem consti-*

(49) *Clementin. lib. 3. fol. 334. Rubeus Histor. Raven. lib. 6. fol. 346.*

(50) *Scipio Claram. Hist. Cæsen. lib. 7. fol. 257.*

(51) *Annal. Cæsenat. ann. 1181. ap. Murator. Rer. Italic. tom. 14.*

(52) *Clementin. ubi supra Annales Cæsen. loc. cit. Cronic. M.S. Cæsenæ fol. 92.*

(53) *Card. Baron. ann. 1191. num. 10.*

stituit [54]. Quam nihilominùs concessionem postmodùm in suo testamento mox moriturus ita temperavit, ut Marcoaldus idem Siniscalcus Imperialis *Ducatum Ravennatem*, *Terram Britinorii*, *& Marchiam Anconæ reciperet à Papa*: superaddita etiam lege, quod si absque liberis decederet, ipsęmet ditiones ad Romanam reverterentur Ecclesiam (55).

17 Verùm hujusmodi concessio, utpote de rè aliena, prorsus irrita fuit usque ab initio, velut posteà subsequens exitus patefecit. Namque Marcoaldus progressu temporis coactus fuit loca præfata Sedi Apostolicæ resignare, ad cujus dominium pertinebant (56). Attento nihilominùs ipsiusmet concessionis exordio, factæ ab Henrico, Ravennates anno 1195. inita cum Marcoaldo concordia, fidelitatem eidem jurare spoponderunt: quemadmodùm patet ex publico Instrumento apud Rubeum ejusdem civitatis historicum (57). In quo etiam innuitur, quod iidem *Ravennates debeant facere rationem Cæsenatibus*, *Britonorienſibus*, *Foroliviensibus*, *& Foropompiliensibus*, *si de eis conqueri voluerint*. Ex quibus infert Claramontius noster, *Feudi loco habuisse Marcoaldum provinciam hanc universam*: *at populorum jura instar Rerumpublicarum servata* [58].

18 Rè vera tamèn Cæsenates ipsimet Marcoaldo fesè subiicere constantissimè detrectarunt: qui proinde anno 1196. Cæsenam trium mensium obsidione vexavit: repulsus denique ab obsessis, auctis viribus, & adjutorio Bononiensium (59). Deindè magna inter Cæsenates excitata civili discordia, Marcoaldus idem anno 1198. arma movit, ut adproperaret Cæsenam, specie quidem comprimendi gliscentes discordias, at animo sibi urbem subjugandi: sed inani conatu. Quippè Ariminenses illi ex Anconitana Marchià venienti, militare opposuerunt impedimentum, etsi exitu parùm ipsis felice (60). Quo anno Cæsenates Lonzani oppidum devastarunt (61).

(54) *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 15. *ad an.* 1195 *fol.* 353.

(55) *Baronius sub ann.* 1197. *num.* 9.

(56) *Odoric. Raynald. ann.* 1198. *n.* 14.

(57) *Hieronym. Rubeus Histor. Raven. lib.* 5.

(58) *Scipion. Claram. Hist. Cæsen. lib.* 7. *fol.* 264.

(59) *Chronic. Cæsen M. S. fol.* 40.

(60) *Cæsar. Clementin. lib.* 3. *fol.* 328.

(61) *Annal. Cæsenat. ann.* 1197. *apud Murator. rer. Ital. tom.* 14.

CA-

CAPUT XVIII.

Dè Rebus Ecclesiasticis, ad Cæsenam pertinentibus, per eadem Sæcula Undecimum, & Duodecimum.

SUMMARIUM.

1 *Romanus II. fit Episc. Cæsenę. Cui suffectus est Joannes II. Hocque sedente habitum est Concil. Cæsenas.*
2 *Desiderius deindè præfuit Ecclesiæ Cæsenę, qui fortitèr adhæsit Papæ contrà Imperatorem, & Antipapam.*
3 *Illebrandus præficitur eidem Ecclesię. Quo tempore vivebat B. Teuzo Monachus.*
4 *Gebizo Ottardus Episc. Cęsenę Cardinal. Visitator Apostolicus plurium Ecclesiarum, Et Legatus in Dalmatia.*
5 *Principem Dalmatarum juribus, ornatu, & prærogativis Regalibus insignivit nomine Pontificio.*
6 *Pręfuit Concilio Salonitano nationali Croatię, atque Dalmatię, auctoritate Apostolica.*
7 *Hugo evadit Antistes Cęsenæ: cujus asservatur Diploma: in eoque memoratur Archipresbyteratus Cathedralis.*
8 *Benno de Coclitis Cardinalis pręfuit Ecclesiæ Cęsenati; Subscripsit Bullę Honorii Papæ II.*
9 *S. Aldobrandus Cæsenas Canonicus Regularis Portuensis fuit: deindè Prępositura Ariminensi perfunctus est.*
10 *Postea electus est Episcopus Forosempronienfis: fuitque virtutibus, & miraculis conspicuus.*
11 *Oddo Cardinalis regendam suscipit Ecclesiam Cęsenatem, & plura de illo referuntur.*
12 *Tunc in Cathedrali erat dignitas Prioralis: Aderat Canonica, & Canonicatus distincti in Sacros Ordines.*
13 *Nonnulla innuuntur de dicto Cardinali, & quantę sint subsistentię.*

14 *San-*

14 *S. Urbanus Cæsenas Monachus, & Abbas, valdè studiis sacrarum literarum addictus.*

15 *Leonardus I. Infulas Cæsenates adipiscitur. Amplo Diplomate muneratus est suos Canonicos.*

16 *Interfuit cuidam congressui Antistitum. Imperator contulit ei quoddam indultum.*

17 *Plura alia enunciantur, ad tempus, & personam hujusce Antistitis pertinentia.*

18 *Leto in Cathedra episcopali sedet: de quo nonnulla notantur.*

1 REgebat Ecclesiam Cæsenatem initio sæculi undecimi *Romanus II. Episcopus XXXVII.* in serie nostrorum Antistitum à Bernardino Manzonio recensitus (1). Cujus in Pontificali officio successor fuit *Joannes II. Episcopus XXXVIII.* electus anno circiter 1040. (2) & honorificatus à D. Petro Damiani (tunc Monacho, ac deindè Cardinali Ostiense) dedicatione Opusculi *de Parentelę gradibus* (3). Hoc Antistite sedente, habitum fuit Concilium Cæsenatense: quod Provinciale fuisse tradit Marcus Battaglinus (antequam & ipse noster esset Episcopus) in sua Historia Conciliorum. Et id comprobant etiam perplures aliæ circumstantiæ suo loco magis ex proposito ponderatæ in Diatribis Cæsenatibus, ubi de hujusmodi Concilio sermo uberior habebitur.

(1) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 18. & 174.*

(2) *Idem fol. 18. 82. & 174*

(3) *S. Petr. Damian. to. 3. Opusc. 8. f. 31.*

2 Sublato è vivis Joanne præfato, in Sede Cæsenatensi suffectus fuit *Desiderius Episcopus XXXIX.* quem Ecclesiæ nostræ præfuisse anno 1057. tradit ex vetere Chronista Bernardinus Manzonius (4). Contingit verò paulò post, quod Ugo Comes Britinorii, edito testamento sub anno 1062. plura legata pia condidit: ac inter cætera reliquit *Archiepiscopo Ravennati Palafrenum, dextrerium, loricam, & vexillum. Episcopo Popiliensi Equum album. Episcopo Cęsenati Mulam suam* (5). Et licèt non exprimat nomen postremi hujus Præsulis, ex temporum tamen chronologia innotescit, legatarium istum fuisse mox fatum Desiderium, qui tunc apud Cæsenam officio Antistitis fungebatur

(4) *Manzon. fol. 19. 75. 82. & 177.*

(5) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 6. fol. 219.*

tur

tur (6). Illiusque probitas, & magnanimitas indè constat, quod cum Henricus III. Imperator adversus Alexandrum PP. II. elevasset Antipontificem Cadaolum Parmensem, *vivebat is noster Episcopus &c. qui constanti fide adhęsit vero Pontifici* (7).

3 Deindè præfuit Ecclesiæ Cæsenati *Illebrandus Episcopus XXXX.* cujus, præter nostrates, meminit quoque Ferdinandus Ughellius (8): nec de illo aliud scitur. Circa verò illius ætatem florebat Cęsenę in Monasterio S. Marię de Monte, *B. Teuzo* Cęnobita, quem se allocutum esse recenset S. Petrus Damiani, agens de B. Mauro Episcopo Cęsenate, ac de Constantio hujus nepote, itidem Antistite Cæsenę (9): atque in Epistola per ipsum ad eundem Teuzonem scripta, conclusaque sub his terminis: *Rogo autem venerabilis pater, ut pro mè peccatore semper orare digneris* [10. Ubi Constantinus Cajetanus in marginali annotatione scribit, eundem Teuzonem *Beatorum virorum numero mox aggregari meruisse* (11).

4 Successivè præclarissimi nominis Antistitem habuit Cęsena: qui fuit *Gebizo Episcopus XXXXI.* & S.R.E. Cardinalis (12). Gepizo etiam appellatus, professione Monachus, ac tanti nominis, & famę; ut officio fungens Abbatis S. Alexii Romę, missus fuerit unà cum Mauro Abbate S. Sabę, Visitator Apostolicus ad plures Ecclesias, ac signantèr ad Eugubinam, Pisauriensem, & Feretranam, à S.Gregorio PP. VIII. [13]. De ipso loquitur honorificè Cardinalis Baronius, referens quoque, quod legatione Apostolica insignitus dirigi meruit anno 1076. cum Folcuino Episcopo Forosemproniense, ad augendum dignitate, ac ornandum Corona Regali Demetrium Ducem Dalmatię, atque Croatię [14]. *Admirationeque plenè digna res accidit, ut quo anno Henricus Rex* [dictus Imperator, hujus nominis 3.) *se schismate ab Ecclesia separavit, Rex barbarus eidem se conjunxerit, subditumque constituerit* (15).

5 Gebizoni Cardinalatus honorem contulit mox memoratus S, Gregorius PP. VII. anno 1083. prout legitur

(6) Montanini loc. cit.

(7) Scip. Claram. ubi supr.

(8) Vghel. Ital. Sacr. to. 2. in Episcopis Cæsen.

(9) S. Petr. Damian. in vit S. Maur. Episcopi Cæsen.

[10] Idem l. 6. epist. 118.

[11] Const. Cajetan. in ead. epist. S. Petr. Damian. to. 1.

[12] Vgel. Ital Sac. ubi supr.

[13] S. Greg. PP. 7. lib. 2. epist. 40. 41. 46 48.

(14) Card. Baron. ann. 1075. n. 3. & ann. 1076. num. 65.

(15) Spondan. Epitom. Annal to. 2. ann. 1076. num. 10.

apud Ciaconium (16). Eumque fuisse patria Cęsenatem ex familia de Ottardis; affirmat Bernardinus Manzonius, adnotans, quod in minoribus interfuit Concilio Cęsenati, eique subscripsit [17]. Et res profectò ingentis momenti est, ac summi decoris, Gebizonem exhibuisse ministerium suum Sedi Apostolicę in Pontificia Legatione tanti ponderis, ac honorificentiæ, quantam præsefert, hunc magnum Principem nomine, juribus, ornatu, & prærogativis Regiis insignire (18).

[16] Ciacon. in Greg. 7. tom. 1. f. 865. num. 8.

(17) Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 176. & seq.

[18] Claram. Histor. Cęsen. lib. 6. fol. 223.

6 Eximium itidèm, & valdè commendandum est decus, eundem Præsulem auctoritate Apostolica convocasse apud Salonam (19) Concilium Nationale Croatiæ, atque Dalmatiæ Regnorum: eique Summi Pontificis nomine præfuisse (20). Fusiorem locutionem de illis habebimus in Diatribis Cæsenatibus: quarum una ex proposito continet præclara gesta hujus incliti Cardinalis, præsertim concernentia præfatam Apostolicam legationem. Illùc mittimus benevolum, cupidumque lectorem, qui pro sui beneplacito illa poterit intueri (21).

(19) Spondanus loc. cit.

(20) Card. Baron. tom. 11. ann. 1076. n. 66.

(21) Braschb. Diatrib. Cæsen. Diatrib. 13.

7 Sequitur in albo Antistitum Cæsenatum *Ugo Episcopus XXXXII.* Hujus adhùc asservatur authographa membrana coriacea, in Archivo Capituli Cathedralis, à nobis visa, & lecta: quæ scripta est anno 1106. & directa Laurentio *Archipresbytero*, atque aliis Ecclesiasticis Deo famulantibus in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ Cæsenæ. Vi cujus concedit eisdem varias Ecclesias, & Capellas in Civitate, ac Diæcesi Cæsenatensi constitutas (22). Ubi duo notanda. Primùm, quod vetus Ecclesia Cathedralis erat eo tempore D. Ioanni Baptistæ dicata, prout est quoque nova Cathedralis nunc existens. Secundùm, quod vel prima dignitas, vel una ex dignitatibus Capituli tunc erat Archipresbyteratus, diversus proculdubio ab illo Archipresbyteratu, qui nuper fuit erectus ex bonis Iosephi Demetrii civis Cæsenæ in tertiam dignitatem ejusmet Cathedralis, de jurepatronatus familiæ de Pulacinis.

(22) Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 177. & 209.

8 Postmodùm successor Ugonis fuit *Benno Episcopus*

pus XXXXIII. S. R. E. Cardinalis: qui subscriptus reperitur Bullæ Honorii Papæ II. editæ anno 1126. favore Archiepiscopi Pisani: eidemque confirmantis usum Palii, prægestationem Crucis, & potestatem consecrandi Episcopos, ad insulam Corsicæ pertinentes (23). Hunc fuisse nedùm Episcopum, verùm etiam patria Cæsenatem, ex familia de Coclitis, & Cardinalitia præditum dignitate, tradit Bernardinus Manzonius (24). Porrò illo Ecclesiam nostram regente, Gelasius PP. II. anno 1119. Diplomate Pontificio restituit Metropolitanæ Ravennati quinque suffraganeos Episcopatus, in Æmilia sitos, pridemque sibi detractos, occasione Schismatis prætergressi. Ac tunc Episcopus quoque Cæsenas præfato Archiepiscopatui suffragabatur (25).

(23) *Vghel. Ital. Sacr. tom. 2. in Episcopis Cæsen.*

(24) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 73. & 178.*

(25) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 6 f. 229.*

9 Floruit interim circà mox fatum annum inter Ecclesiasticos Cæsenates, *S. Aldobrandus*: cujus meminit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, Romano Martyrologio non adscriptorum (26). Et Gabriel Penottus de illo sic loquitur: *S. Aldobrandus, natione Flaminius, patria Cęsenas, ex Canonico Monasterii Portuensis, Prępositus Ecclesię Ariminensis* (27). Ac magis præcise de illius originario loco loquendo, *natus est in vico territorii Cęsenatis, proindeque Cęsenas ab omnibus, qui de eo scripserunt vocatus. Vicus autem Sorbetulum dictus* (28). Is post cursum grammaticalem in adolescentia peractum, sese contulit ad Portuense Monasterium, ut magis in doctrina proficeret, ac pietatis exercitiis operam daret, propositum vitæ regularis amplexus.

(26) *Ferrar. in catal sanct. &c.*

(27) *Penot. Hist. Tripart. f. 771.*

(28) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 6. f. 229.*

10 Ibi tametsi delitescens, innotuit usquequaque suis virtutibus: & à Canonicis Cathedralis Ariminensis postulatus, eorum Propositurам promeruit adipisci. Verum in hac urbe publicis concionibus delinquentes objurgans, multorum odium incurrit, quod ut evitaret spontè secessit. At successivè inscius, & nil minus cogitans, à Forosemproniensibus in Antistem electus est, diuque functus pastorali munere, meritis, & virtutibus cla-

 rus,

rus, multisque rutilans miraculis, centenario major obdormivit in Domino. Vel ut Sanctus ab Ecclesia Forosemproniensi anniversaria celebritate colitur Kalendis Maii. Et à Canonicis Regularibus Lateranensibus illius officium quotannis sub ritu duplici recitatur die decima ejusdem mensis (29). Plura de illo summatim Chronologus Cæsenas: notans in Cælum, evolasse anno 1198. (30).

11 Ad Antistitum nostrorum seriem redeundo, successor Cardinalis Bennonis occurrit *Oddo I. Episc. XXXXIV.* itidem S. R. E. Cardinalis, electus anno 1151. Interfuit Conventui Procerum habito sexennio post in Castro Riversani (31). Adstitit quoque Consecrationi Joannis Clarevallensis, & Abbatis Columbæ in Episcopum Placentinum (32). Insupèr asservatur in Anchivo Capitulari monumentum hedinæ paginæ inscriptum: quo plura liberalitèr concessit suis Canonicis. Et directum Sergio *Priori*, aliisque Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis Ecclesiæ Cathedralis, ac datum anno 1155. in *Claustro* Canonicæ Cæsenatensis. Chartam hanc ego vidi, & perlegi, dum essem Canonicus ejusdem Cathedralis Cæsenatis, & memorat illam quoque Bernardinus Manzonius in sua Chronologia (33).

12 Eruitur ex ipsa, quod sedente Oddone Antistite, in Cathedrali nostra Dignitas aderat Prioralis. Itèm dignoscitur, Canonicatus tunc fuisse distinctos in gradus Ordinum Sacrorum, Presbyteralis, Diaconalis, & Subdiaconalis. Quam distributionem posteà commendavit Concilium Tridentinum [34]. Et in Cathedrali Cæsenatensi servandum esse peculiari decreto, circa annum 1681. statuit Vincentius Maria Ursinus Cardinalis, & Episcopus noster: (qui deindè ad Summum Pontificatum evectus, nomen assumpsit Benedicti XIII.) sed sanctio ipsa in non usum transivit. Deniquè ex præfato Oddonis monumento liquet, adfuisse Cæsenæ domum Capitularem cum suo Claustro, in quo Canonici simultaneam vitam agebant (35).

[29] *Vide Lectiones Officii S. Aldobrand. Canonic. Regular.*

(30) *Manzon. Chronol Cæsen. fol. 50. & 203.*

[31] *Brasc. in DistribusCæsenat.*

(32) *Claròm. Histor. Cæsen. lib. 7. f. 246.*

(33) *Manzon. fol. 179.*

[34] *Concil. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.*

(35) *Vide sup. in hoc Capit. num. 3.*

13 Idem

13 Idem sanè Oddo, nedùm Episcopatu, sed etiam patria fuit Cæsenas, & Cardinalis S. Georgii nuncupatus: prout scriptum reliquerunt nostrates, his verbis: *Oddo Cæsenas S. R. E. Cardinalis ab Innocentio Papa II. anno* 1130. *creatus; diu fuit Cæsenæ Episcopus, & Romæ obiit anno* 1159. *Cardinalisque S. Georgii nuncupatus est* (36). De illo plura tradit Alphonsus Ciaconius, quem Lector poterit ex semetipso consulere [37]. Nec operę pretium erit inter ejus memorias recensere, quod cum aggressus esset suam Episcopalem jurisdictionem usque ad Sabiniani oppidum protelare, atque armata manu tueri, originem dederit contentioni bellicæ, propter hoc excitatę inter Cæsenates, & Ariminenses (38). Historicus namque noster firmitèr ostendit, hæc omnia gratis asseri, ac veraci subsistentia carere (39).

14 Currente hoc ævo, seu circa illud, inter Monachos D. Benedicti claruit *S. Urbanus* Abbas in Cæsenatum numero computatus ab Antiquariis nostris. Nam Cæsar Brissius ad Clementem PP. VIII. inquit: *S. Urbano da Cesena, Monaco già di S. Benedetto, come si hà dall' historie di Gio: Battista Tardonense &c. Hò trovato ch'egli fù grandemente dedito allo studio delle sacre lettere, & alla Divina contemplazione* (40). Ac fine ambiguitate illius effigies coloribus expressa, & adiectæ Mitræ Abbatialis ornatu decorata, cernitur in uno ex quatuor angulis tholi Ecclesiæ S. Severi [ubi nunc resident Patres Oratorii S. Philippi Nerii] hoc lemmate subapposito: *S. Urbanus Cæsenas Monachus &c.*

15 Subsequentèr Infulas Ecclesiæ Cæsenatis assecutus est circà Christi annum 1160. *Leonardus I. Episcopus XXXXV.* [41]. Hæque supersunt memoriæ illius opera concernentes. Anno 1175. amplum privilegium edidit pergamenæ paginæ inscriptum, à nobis oculis perlustratum in Tabulario secreto Capituli Cathedralis Cæsenatis: Datum in Ecclesia *S. Joannis Baptistæ*, quæ tunc erat antiqua Cathedralis]: & directum *Letoni Præposito*,

[36] *Ex Anton. Cesario. Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. fol.* 22. & 89.
[37] *Ciacon. Vit. Pont. to.* 1. *in Innoc.* 2 *n.* 6
[38] *Cæsar. Clementin. l.* 3. *fol.* 309.
(39) *Scip Claramon. Histor. Cæsen. lib.* 7. *fol.* 246.
(40) *Vide Manz. Chronol. Cæsen. fol.* 51. & 203.
(41) *Claramont. Histor. Cæsen. lib.* 7. *fol.* 248.

to, ejusque confratribus Canonicis: concedens eis quamplures Ecclesias Diæcesanas : cujus concessionis meminit etiam Chronologus noster (42) . Ex quo vides primam dignitatem Capituli tunc fuisse Præposituram , prout & nostra paritèr existit ætate .

16 Idem deindè Leonardus Episcopus interfuit congressui Antistitum , in quo Gerardus Archiepiscopus Ravennæ, anno 1176. multa bona contulit Cænobio D. Laurentii . Diplomatique post Metropolitanum ipsum subscripserunt sex Episcopi ejusdem suffraganei , ac inter hos Leonardus præfatus (43). Qui & præsens fuit donationi partis Castri Fanani , editæ ab Albarara matre , ac Guitta filia , favore Ravennatis Ecclesiæ , illiusque Archiepiscopi Gerardi mox memorati (44). Sed & anno 1177. Fridericus I. Imperator ipsimet Leonardo , aliisque Romandiolæ Præsulibus indultum contulit , ne ad opera quæpiam , angarias , & perangarias , & alia hujusmodi ab aliquo, etiam Cæsaris Internuncio , præter ea , quæ ad pias causas , & legibus decreta sunt , valerent aliqua ratione compelli (45).

17 Quo paritèr anno Leonardus idem se socium addidit pluriès fato Gerardo Archiepiscopo Ravennati , Ferrariam eunti ad obsequium præstandum Alexandro PP. III. Venetiis redeunti , post pacem initam cum Cæsare memorato (46) . Ipsemet quoque Papa suis literis , & auctoritate Apostolica confirmavit Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Cæsenatis *Privilegia* , inquit , *quæ vobis Cæsenatenses Episcopi rationabilitèr indulsisse noscuntur* (47) . Adhùc & Leonardum interfuisse Concilio Lateranensi , convocato per antedictum Pontificem anno 1179. reperitur (48) . Et cum Gerardus Archiepiscopus infirmitate, Leonardus verò aliis occupationibus detinerentur , Lanfrandus Populensis Episcopus in Ecclesia Cathedrali Cæsenæ, coram Canonicis , & Legato Imperiali , Hugonem Abbatem Veronensem , *virga , & mitra insignivit* (49). Etate deniquè Leonardus

[42] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 179.*

(43) *Hieron. Rubeus Hist. Raven. lib. 6. fol. 360.*

(44) *Claram. lib. 7. fol. 258.*

(45) *Rubeus ubi supr. fol. 352. & 358. Claram loc. cit.*

[46] *Chronich. Cæsen. M. S. fol. 90. m.*

(47) *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 199.*

[48] *Ughel. Ital. Sac. to. 2. in Episcopis Cæsen. Manzon. loc. cit. fol. 22.*

(49) *Claram. Hist. Cæsen. lib. 7. fol. 258.*

dus pervenit usque ad annum 1182. [50].

18 Novissimè demùm hoc Sæculo 12. præfuit Ecclesiæ Cæsenati *Leto Episcopus XXXXVI.* anteà Præpositus, & prima dignitas Cathedralis. Qui amplo diplomate, à nobis lecto in Archivo Capitulari, muneravit suos Canonicos. In hædina charta exaratum est: datum anno 1186. directum Ugoni Præposito, ejusque fratribus Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis: atque actum *in Dormitorio Canonicorum.* Cujus contentum enunciat Chronologista Cæsenas [51]. Hoc sedente Antistite, quædam dissidia orta sunt inter Cæsenates, & Ariminenses, quæ citò composita fuerunt: initaque utrinque concordia in Choro Cathedralis Cæsenæ, anno 1189. (52). Nèc omittendum, quod Leto Episcopus judicialem sententiam protulit anno 1204. in causa sibi ab Innocentio Papa III. commissa, vertenteque inter Episcopum Forolivii, & Abbatem S. Mèrcurialis ejusdem urbis (53). Præfuitque, ac profuit Ecclesiæ nostræ usque ad annum 1207. (54).

[50] *Manzon. Chronol. Cæsen f.*22.

(51) *Idem fol.* 180.

(52) *Cæsar. Clementin. l.* 3 *fol.*321.

(53) *Histor. Foropompilien par.* 1 *lib.*10. *fol.*150.

[54] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol.*181.



CA-

CAPUT XIX.

De pertinentibus ad Civitatem Cæsenæ quoad negotia temporalia, currente *Sæculo Decimo tertio.*

SUMMARIUM.

1 *CArsidonius Legatus Papæ Interdicto supponit Cęsenam, & eam quoque circumplectitur obsidione.*

2 *Bononienses, & alii copias auxerunt Legati: cui demùm Cæsenates obtemperarunt.*

3 *Expeditio hæc Legatitia Carsidonii describitur verbis Caroli Sigonii.*

4 *Cervia capta: victi Ariminenses: fusi Forolivienses à Cæsenatibus.*

5 *Binum incendium Cæsenam adussit. Arx tamen intacta persitit.*

6 *Cæsenates bello pulsant Ariminenses, & Oppidum S. Archangeli expugnant.*

7 *Papa scribit Cæsenatibus, favens oppidanis Archiepiscopi Raven. Huic perperàm Imperator subdit Cæsenam.*

8 *Fridericus II. vexat Ecclesiam: invitos adigit Cæsenates ad ei obsequendum. Incæperunt erigi Turres.*

9 *Cęsenates armis adiuuant Bononienses contrà Fridericum. Ravennatesque prælio vincunt.*

10 *Jo: de Brenna jura regni Hierusalem transtulit in Fridericum: solebat Cęsenæ permanere.*

11 *Cæsenates vi liberant Urbinates detentos sub eorum vadimonio apud Forum Pompilii.*

11 *Romandioli arma sumunt contrà Cęsenates, à Faventinis adiutos.*

13 *Imperator arcem Cęsenę novis fulcris roborat, & pręsidio Teutonitorum communit.*

14 *Citò Cęsenates excusso Imperiali jugo, se subiiciunt Legato Papę, munimentis arcis eversis.*

15 *Innocentius PP. IV. Lugduno rediens, per Cęsenam transivit properans Romam.*

16 *Item*

16 *Itèm Dux exercitus Caroli I. futuri Regis Siciliæ. Cæsenates quid respectu ad Sarsinam, & Ceulam egerint?*
17 *Vir Cæsenas, cum aliis pro posse nititur Papę submittere Provinciam Romandiolæ.*
18 *Nicolaus PP. III. repetit à Rodulpho Imperatore dictam Provinciam. Quid populi circa hoc?*
19 *Cæsenates restiterunt, quia se devinctos Imperatori censebant vi juramenti, re vera insubsistentis.*
20 *Literæ Papę scriptæ Civibus Cęsenæ, quod Rodulphus juramentum illud irritum declarasset.*
21 *Monet eos, ut se promptos exhibeant ad obsequia Sedi Apostolicę prestanda.*
22 *Rectorem Pontificium Cęsenates admittunt: qui egrotavit Cęsenæ, ubi Parlamentum Provincię celebravit.*
23 *Ghibellinis agentibus, Cęsena occupata fuit à Guidone Montefeltrio, indè reversa ad Pontificem.*
24 *Fœdus Cęsenatum cum Ravennatibus. Primi restiterunt Ildebrandino Presidi Pontificio.*
25 *Hic Cæsenam supposuit Interdicto: & res demùm quem finem habuerit?*
26 *Præsidem tuiti sunt Cęsenates à gravi periculo. Malatestinus Prætor munitiones Cęsenæ desolavit.*
27 *Cęsenates obsident Urbinum. Liberam administrationem Cęsenę poscunt. Aderant tùnc* Defensores Populi.
28 *Montefeltrius redit Cęsenam. Arx Britinorii struitur. Inundatio Cęsaulę: ac alii eventus.*
29 *Cęsenates cum aliis invadunt Eugubium. Duo Potestates, & alii memorantur, ac Familia de Montefeltris.*
30 *Tam toga, quàm armis illustres plures Cęsenates floruerunt hoc sęculo.*

1 INstabat jam exitus duodecimi sæculi, & ingressus tertii decimi, cum Innocentius Papa III. deliberavit omninò recuperare Provincias, quas dudùm Imperatores Germanici, qua viribus, qua insidiis, & artibus prævalentes, detraxerant Apostolicæ Sedi (1). Misitque in Ro-

(1) *Card. Baron. ann. 1198. n. 13. 14. 15.*

 man-

mandiolam Carſidonium, ſive Caſendinum Legatum ſuum utraque poteſtate ſpirituali, ac temporali munitum: qui & monitis, & officiis, & armis, & etiam cenſuris, prout opus fuiſſet, intentum animi Pontificii promoveret. Invenit autem Legatus Cæſenates aliis Romandiolæ incolis ad obtemperandum duriores (2). Quamobrèm Interdicto Eccleſiaſtico prius illorum urbem ſuppoſuit: deindè admoto exercitu, eandem bellica obſidione circumvallavit.

[2] Rubeus Hiſtor. Raven. l. 6. f. 364.

2 Auxerunt copias Legatitias Ravennates, duce Milone illorum Prætore: nec non Faventini, turmis ductis à Gottifredo, itidèm ipſorum Prætore (3). Demùm & Bononienſes quoquè ſuppetias militares addiderunt, ab Uberto Vicecomite Placentino, illorum ſic ut ſuprà Prætore directas. Quarè Cæſenates & intus Cenſuris implexi, & foris armorum invaſione conſtricti: cæloque, ac terra conſpirantibus ad eorum perniciem; impares tot aggreſſorum, ac tam numeroſi exercitus inſidiis, atque conatibus retundendis; capto ſalubriori conſilio, diſcrimen imminens evitare deliberarunt, Apoſtolici Legati sè sè nutibus, & obedientiæ ſubmittendo (4).

(3) Chronic. Cæſen. M. S. f. 91. & 160.

[4] Scip. Claramon. Hiſtor. Cæſen. lib. 8. fol. 265.

3 Rem ità narrat Sigonius: Innocentius miſit exercitum in Romaniam ſub Carſidonio legato: *Carſidonius autem in Romaniam cum exercitu ingreſſus, difficiliorem opinione expeditionem eſt nactus: nam cum cæteri populi, tum maximè Cæſenates, qui primi Romaniam ineunti occurrerunt, in pertinacia ſua ſe perſtituros oſtenderunt. Itaque cum eos ſacrorum Interdicto notaſſet, nec quidquam profeciſſet, auxilium Bononienſium advocavit. Bononienſes ſive ut à Pontifice gratiam inirent, cui ſemper maximè ſtuduerunt; ſive ut Marcoaldum à ſe procul arcerent, ſubito arma pararunt, ac delectu quam maximo habito, Carrocium emiſerunt &c. Univerſi vaſtatione agris illata ad pacem petendam, & obſequium Eccleſiæ recipiendum adducti; ad extremum junctis exercitibus Cæſenates quoque petiti, atque ad auctoritatem Eccleſiæ revocati* (5).

(5) Sigon. de Regn. Ital. lib. 15. fol. 356.

4 Haud

4 Haud multò post injuriis lacessiti ab incolis Cerviæ (urbis tunc numero, & qualitate civium florentis) Cæsenates eandem hostilitèr invaserunt, & incendio semiconsumptam suo dominio subingarunt die 11. Septembris 1021. (6). Sunt qui recensent, id operatos esse Cæsenates, ut rem gratam facerent Faventinis, quos Cervienses offenderant (7). Utcumque sit, Cervia capta fuit, & deindè libertate pristinæ restituta. Sequenti anno cum Ariminensium turma militaritèr excurrisset usque ad castrum Bulgariæ, ac depopulata esset quidquid proprium ei occurrerat Cæsenæ civium; ala præsidiaria castri Calexidii; ad hospidale Butrii populatores ipsos consequuta, prælio fudit, subrepta præda nudavit, & illorum Ducem, atque perplures ex ipsis fecit captivos [8]. Mox Cæsenates ad Castilionem Cerviæ inita pugna cum Forolivienfibus, illos fuderunt (9): plurimis eorum captis, quorum libertas permutata fuit cum Faventinis apud Forolivium detentis (10).

5 Gaudia hæc tamen labefactavit gravis tristitia, quam subindè intulit civitati nostræ luctuosum incendium, illius partem comburens die 4. Augusti: repetitum posteà die 9. Octobris, ut aliã partem pervaderet, quæ prioribus flammis non succubuerat (11). Primum casu, vel, ut aliis placet, perfidia Gherardini Infantis, Cæsenæ Prætoris, ut ferebatur, evenit. Secundum verò contigit maleficio Garatonis Cæsenatis, freti adiutorio militum Ariminensium, ut patriam affligeret, à qua erat factus extorris. Utramque ustionem, eamque damnosissimam, uno, & eodem anno efferbuisse legitur. Sed relationes non desunt, quod anteriores fuerint anno 1202. vel 1204. Et alibi notantur uti posteriores anno 1207. (12). *Arx tamen, quam prȩsidio munitam oportet post primam exustionem fuisse, ad tutelum civitatis, inter suspectos vicinos ceu pervię, ipsa se defendit* (13).

6 Post ignis geminata dispendia, statum rursus civitatis nostræ affecit ærumnis dira clades, qua Cæsenates afflicti fuerunt ab Ariminensibus [ductore Antonio Ta-

(6) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. f. 367. Annal. Cæsenat. ann.* 1201.

[7] *Claram. lib. 8. fol. 269. &c.*

(8) *Cæsar. Clementin. lib. 3. f. 335. Claram. loc. cit. fol. 271.*

(9) *Rubeus Histor. Raven. lib 6. f. 368.*

(10) *Scip. Claram. lib. 3. fol. 272. Annal. Cæsenat. ann.* 1202.

[11] *Cæsar. Clementin. lib. 3. fol. 336*

(12) *Annal. Cæsenat. sub ann.* 1204. *Cronic. M.S. Cæsen. f. 161.*

[13] *Claramont. lib. 8. fol. 274.*

rentino, latrocinantium quorumdam, & impiorum hominum antesignano] apud oppidum Longiani (14): & quidem plurimis ex nostris in captivitatem detentis, & sub custodia positis intrà oppidum S. Archangeli (15). Victi ergò Cæsenates, ut & injuriam, & detrimentum acceptum ulciscerentur, suppetias bellicas à Bononiensibus postularunt (16). Qui Regiensium, Faventinorum, & Ferrariensium copiis unà secum accitis anno 1216. memorabile bellum Ariminensibus intulerunt, stipatis adjutorio Pisaurensium, Fanensium, & Urbinatum. Itaque *prœliis cum hostibus conserendis, agro vastando, atque oppido* (S. Archangeli) *omni tormentorum genere quatiendo, res in exitum mensis extracta est. Tandem expugnatum oppidum, muris dejectis, & hostibus profligatis, in deditionem cum Tarentino pervenit* (17). Et ut legitur in Memoriali Potestatum Regiensium; *Pax facta est, & omnes illi de Cæsena, qui erant in carceribus illorum de Rimino fuerunt relaxati, & erant* 1700. (18).

7 Interim cum extincto Innocentio Papa III. subrogatus in Pontificatu ei fuisset Honorius itidem III. (19): Is anno 1217. quærimonias accepit Simeonis Archiepiscopi Ravennatis (20) reclamantis, quod oppidani castrorum sui Archiepiscopatus, nostro territorio insertorum, fierent cives Cæsenæ: ubi & domos emere, ac publica tributa persolvere adigerentur: atque ita ipsamet castra incolis præcipuis vacua redderentur. Papa igitur literis ad Cæsenates datis eos coarguit, imperavitque, *ut oppidanos illos, jurato adversus Archiepiscopi jus, obsequio liberarent &c. & in posterum ex eis neminem civitate donarent* (21). Sed & idem Simeon à Friderico II. Imperatore Diploma elicuit, confirmans Archiepiscopo Ravennati ditionem temporalem Comitatus Cæsenæ [22]: inani sanè concessione, ac irrito prorsus conatu. Nàm neque Fridericus concedens, ulli poterat elargiri, quod nec erat, nec unquàm fuerat suum. Nequè Simeon obtinens adipisci valebat, quod sua Ecclesia nec possidebat, neque unquam

[14] *Rubeus Histor. Raven ad ann.* 1216. *lib.* 6. *fol.* 379.

(15) *Claram. lib.* 8. *fol.* 279.

(16) *Clementin. lib.* 3. *fol.* 368.

(17) *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 20. *f.* 23. *Annal. Cæsenat. ann.* 1216.

(18) *Apud Murator. Rer Ital. tom.* 8. *fol.* 1158.

(19) *Odoric. Rynald. ann.* 1216. *num.* 16.

(20) *Hier. Rubeus Histor. Raven. lib.* 6. *fol.* 387.

[21] *Claram. Histor. Cæsen. lib.* 8. *fol.* 281.

(22) *Rubeus Histor. Raven. loc. cit. f.* 381.

quam possederat (23). Etenim Archiepiscopi Ravennates jure quidem præditi fuerunt metropolitico super Diæcesi Cæsenate, usque ab antiquissimis temporibus; ast nullo unquàm jure temporali potiti super civitate Cæsenæ.

8 Incęperat Fridericus idem hujus nominis II. & Imperator, esse ingratus, fædifragus, & rebellis Apostolicæ Sedi, à qua fuerat innumeris favoribus, & beneficiis cumulatus: anxieque satagebat sibi per quodcumque nefas urbes, & provincias ditionis Ecclesiasticæ subjugare (24). Porrò Ravennæ consistens anno 1226. ubi Pascha celebravit, inde iturus in Lombardiam (25) exegit obedientiam à civitatibus Romandiolæ. Reluctantes verò invenit Cæsenates. Qui nihilominus non valentes propriis viribus tam immanis hostis furori resistere, jamque perstrepentes minas, & imminens periculum declinare, petitam ei obedientiam spoponderunt: non sine indiciis dolentis animi, & adversantis propositi [26]. Sed exindè nonnullas Turres lateritias per civitatem, ac territorium erexerunt ad proprium tutamen. Quo remedio tunc & alios alibi sibi consuluisse novimus ex Ricobaldo Ferrariensi, testante, quod hujus tyranni ætate, *Nobilium locupletum erat gloria Turres habere: quo tempore urbes Italię singulę multis Turribus inclitæ visebantur* [27]. Harum Turrium adhùc nonnullæ supersunt: perplures verò fuerunt bellorum excidiis, & calamitatibus temporum dissipatæ.

9 Biennio post Cæsenates arma junxerunt Bononiensibus [28]: Qui eo usque adversabantur Friderico II. præfato, ut illum omni qua potuerunt sint ignominia prosecuti (29). Arma, inquam, eis junxerunt, in Cæsaris perniciem, euntibus prius ad castrum Bazzani, deinde ad castrum S. Cæsarei (30). Adhuc & iidem Cæsenates bellum intulerunt Ravennatibus: de quo antiqua hæc asservatur memoria: *Anno 1233. incępta est guerra inter Ravennates, & Cęsenates die 6. exeunte Junio* (31). Sanè Ravennates factionem Cæsaream confovebant (32). Quos & præfati Cæsenates anno 1235. ad villam Calcinariæ

gravi

(23) *Vide supra Cap. 17. n. 2. & 6. ac 17.*

[24] *Raynald. an. 1226. n. 1. 2. 3. &c.*

[25] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 17. f. 34.*

(26) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. f. 394. Clementin. lib. 4. fol. 387.*

(27) *Ricobald. Ferrar. Hist. Imperat. post Frideric. II. ap. Murator. Rer. Ital. t. 9.*

(28) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 8. f. 284. & 287.*

[29] *Spondanus ann. 1222. num. 2.*

(30) *Annales Cæsenat. ann. 1228. Annales veteres Mutinenses eodem anno ap. Murator Rer. Ital tom. 11. f. 59.*

[31] *Spicileg. Raven Histor. ap. Murator. tom. 1. par. 2. f. 578.*

[32] *Rubeus ubi supr. f. 416. Claram. loc. cit. f. 284. & 303.*

gravi prælio attriverunt, & in fugam verterunt, unà cum permultis Forolivienfibus, Pompilienfibus, & Britinorienfibus, in hoc impetu hoftili eorundem fociis Ravennatum (33).

10 Circà hujufmodi tempora Joannes de Brenna, Rex Hierufalem dictus ex jure dotali Mariæ uxoris fuæ (34) cum regnum idem adipifci minimè valeret, militari præpotentia exclufus à Saracenis, ipfiufmet regni tranftulit jura in Fridericum II. Imperatorem, uti regem Siciliæ, cui nuptui tradidit Jolantam filiam fuam (35). Poftque varios, & improfperos rerum eventus, Romam properavit, ut aliquod opportunum adjutorium afflicto proprio ftatui nancifceretur. Gregorius verò Papa IX. ei commifit regimen quarumdam civitatum ditionis Pontificiæ (36). Quo in exercendo munere; ipfe folebat apud Cæfenam frequentius permanere (37). Ac equidèm ex provincia Romandiolæ poftmodùm difceffit, quando fucceffivè Conftantinopolim perrexit, ut ibi Martham fecundogenitam filiam fuam in fponfam copularet Balduino II. Latinorum Imperatori Bizantino. Ait enim Spondanus: *Brennenfis ex Italia, & Romandiola, permiffu Gregorii Pontificis, cui militabat, evocatus; Defponfata filia Balduino, rerum Conftantinopolitanarum adminiftrationem confenfu omnium fufcepit* (38).

11 Orto interim diffidio inter Ariminenfes, & Urbinates, bellum jam jam imminens allaturo; caufam utriufque partis judicandam fufcepit Carlevarius Comes Imperialis, qui Romandiolæ præfidebat (eratque frater Raynerii Georgii (39) tunc Poteftatis Cæfenæ): fub hac inter cæteras, conditione, quod Urbinates darent obfides in cuftodia Comitis, apud Forum Pompilii permanfuros, ad inftar pignoris de ftando judicato; conditionibufque adimpletis liberandos per Cæfenates, fub quorum fide, ac vadimonio tradebantur. *Fiducia hæc Urbinatium in Cæfenatibus, cum opinionem eorum fidei, & virium, in iis, qui fidebant, demonftret, magno fane honori*

(33) *Annales Cæfenat. ad ann.* 1234.
(34) *Reynoldus ann.* 1210. *num.* 33.
(35) *Spondan. an.* 1205. *n.* 12 *Petau. Ration. Temp. par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 1.
(36) *Odoric. Raynald. ann.* 1227. *num.* 4.
(37) *Claram. Hiftor. Cæfen. lib.* 8. *l.* 291. *Manz. Chronol. Cæfen. fol.* 95.
(38) *Spondan. ann.* 1229. *n.* 11.
(39) *Annal. Cæfenat. ann.* 1234 *ap. Murator. Rer. Italic. tom.* 14.

nori Cęsenę fuit (40). Sed quoniàm Comes, sub diversis thecnis cunctando, reddere obsides debito tempore detrectabat, & Cæsenatum officia eorum liberationem postulantia deludebat; militarem impetum in Forum Pompilii Cæsenates ipsi fecerunt, & custodiæ portis effractis, detentos Urbinates libertati pristinæ reddiderunt (41).

12 At hoc factum tàm generosè, quàm gloriosè completum: (cui etiam subsecuta est nova Cęrvię acquisitio (42) subtracta Ravennatibus per Cæsenates); contra hos invidiam, vel suspicionem præpotentiæ concitavit in adjacentibus civitatibus. Quamobrem inito simul fædere, Ariminenses, Forolivienses, Foropompilienses, & mox fati Ravennates, apud Britinorium condixerunt de bello junctim Cæsenatibus inferendo. Quod & ad effectum perduxerunt, neutiquam tamen prævalentes. Quippè Faventini, soliti Cæsenatum partibus adhærere, fæderatorum hostium, ac præsertìm Ravennatum vires extenuarunt, & distraxerunt: resque demùm pace mutua composita fuit (43).

13 Interim Fridericus II. Imperator in deteriora dietim proruens adversus Romanum Pontificem, & ejus ditionem temporalem; post Marchiam Anconitanam hostilitèr pervasam [44]; ad Romandiolæ provinciam properavit, & *Ravennam occupavit: indeque Faventiam aggressus, non nisi post septem menses, cum cibis omnibus consumptis, se sustinere cives nequirent, mense Aprilis anni sequentis obtinere valuit* [45]. Faventia expugnata, quę fortissimè restiterat aggressori [46]; Cæsena quoque, non valens, ut optabat, & ut solita erat, constantèr Pontificis partibus adhærere (47), cessit præpotentiæ victoris. Nèc tamèn Cæsenates à Friderico suscepti cum vænia pręteritorum, nisi ea conditione, ut *paterentur castellum sibi cum prę sidio imponi, quod concessit Civitas, situm scilicet assignando cum arce à Friderico I. condita. Imperator autem ea disturbata, aliam firmioribus*

[40] *Scrip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 8. fol. 294.*

[41] *Annal. Cæsenaten. ad ann. 1234. ubi supr.*

[42] *Claram. lib. 8. fol. 298. & 300.*

(43) *Idem loc. cit. fol. 299.*

(44) *Raynald. ann. 1240. n. 18.*

[45] *Spondanus ann. 1240. num. 3.*

[46] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 18. fol. 58.*

[47] *Rubeus Histor. Cæsen. lib. 6. f. 417.*

bus muris, & propugnaculis, amplioremque excitavit (48) in eodem arcis veteris situ.

14 Contigit hoc anno 1241. ut refertur in antiquis Annalibus Cæsenatibus per hęc verba: *Anno Domini 1241. Kalend. Maii, Cęsenates dederunt D. Federico Imperatori Castrum novum de Cæsena, ut ibi constitueret munitionem suam. Et ipse eodem mense, quos sibi datum fuit, destructis omnibus domibus, & turribus existentibus in ipso Castro, pręcepit illud reędificari muris, & turribus grossis* [49]. Et ex tunc Cæsena nova munitione, ac pręsidio Teutonicorum adacta Cæsari obtemperavit, usque ad annum 1248. (50). In quo Cardinalis Octavianus Ubaldinus Legatus Apostolicus, adjutus ope Bononiensium, Romandiolam Sedi Apostolicæ recuperavit (51): & post Forolivium conquisitum, Cæsenates ultrò sè dedentes excepit, *ac Cęsenę arcem à Friderico impositam evertit, ut libertate Ecclesiastica, pręsidio omni sublato, frueretur* (52). Anno deinde 1251. Comitia Provinciæ Romandiolæ (jam ad obedientiam Pontificis deductæ) celebrata fuerunt apud Cæsenam (53): In quibus habitus fuit tractatus; nùm bello persequi oporteret extorres, atque rebelles, adhuc adhærentes Friderico (pridem deposito in Concilio generali I. Lugdunensi (54), ab omni dignitate Imperiali, ac Regia); vel potiùs danda esset pax, si ad obedientiam Pontificiam resipiscentes redirent (55).

15 Quo paritèr anno 1251. cum jam Fridericus pręfatus obiisset (56), Innocentius Papa IV. postquàm toto sexennio cum dimidio permanserat apud Lugdunum, ingressus iter, ut in Italiam regrederetur, ex Massilia pervenit Genuam, inde Mediolanum, mox Brixiam, posteà Mantuam, successivè Ferrariam, & denique Bononiam properavit (57). Ex qua urbe per viam Æmiliam, die sublati, festo SS. Simonis, & Judæ, venit Cæsenam (58) Erantque cum eo sex Cardinales, totidem Protonotarii, tres Archiepiscopi, quatuor Episcopi: nonnullique Principes (tunc soliti Comites appellari), & alii Proceres: inter

[48] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 9. fol. 314.*
(49) *Annal. Cæsenat. ann. 1241. ap. Murator. Rer. Italic. tom. 14.*
[50] *Claramont. ubi supr. lib. 9. fol. 314.*
[51] *Sigon. loc. cit. lib. 18. fol. 70.*
[52] *Idem Claram. lib. 9. fol. 319.*
[53] *Chron. Cæsen. M.S. fol. 100.*
[54] *Vide Acta Concil. Lugdun. 1. an. 1245.*
[55] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen. lib. 9. f. 323.*
[56] *Raynald. ann. 1251. numer. 31.*
[57] *Spondan. ann. 1251. numer. 2. 3. 4.*
[58] *Chronic. Cæsen. M.S. f. 100. & 165.*

ter

ter quos Thomas de Foliano ipsius Papæ Nepos, & Marescallus [59]. Cęsena profectus est Perusiam, ubi & constitit, differens Romam redire, ob nimiam potestatem, quam Senator sibi usurpabat in alma Urbe (60). Ex Perusia scripsit Archiepiscopo Ravennati, ut extorres Cæsenates quosdam (idemque de consimilibus Romandiolis) qui adhærebant factioni Friderici, ad S. Sedis obedientiam revocaret (61).

16 Dudùm quoque post, pervenit Cæsenam mense Novembris Hubertus Comes Flandriæ: qui ex Gallia digressus mense Junii, per Alpes, Lombardiam, Mantuam, Ferrariam, Bononiam, Romandiolam, & Marchiam Anconitanam profectus est Romam, ducens exercitum Caroli I. Andegavensis, futuri Regis Siciliæ (62): cum jam idem Carolus maritimo itinere pervenisset ad almam urbem anno 1265. in pervigilio Pentecostes (63). Subsequenti verò æstate Cæsenates militare auxilium præbuerunt Philippo Fontanæ Archiepiscopo Ravennati; Sarsinam eunti, ut plecteret occisores Guidonis electi Episcopi ejusdem urbis (64): ac quadriennio (65), sivè, ut aliis placet, sexennio post, junctis armis cum Ariminensibus, Ceulam perrexerunt, ut pellerent Forolivienses, qui Castrum illud occupare viribus bellicis nitebantur (66).

17 Florebat hac ætate multa existimatione apud homines *Guido de Ran* civis Cæsenas: qui cernens dirui quotidiè, ac semper pejori forma opprimi tùm jura Sedis Apostolicæ, tùm sequaces Factionis Pontificiæ in regione Romandiolæ, à fautoribus Factionis Imperialis; incitavit Malatestam de Arimino, & Polentanum de Ravenna, viros potentes, ut ex condicto secum viribus junctis, nutantes res Romanę Ecclesiæ repararent. Itàque *simul unanimitèr Romam vadunt, & ut potuerunt provinciam Romandiolæ Romanæ Ecclesię concesserunt* (67). Verùm effectus tanti operis haud longam sortitus est perseverantiam, propter turbulentissimos eventus, qui successivè advenerunt.

[59] *Annal. Cesen. an* 1251
(60) *Spondan ann.* 1251. *n.* 4.
(61) *Rubeus Histor. Raven. ad ann.* 1251.
[62] *Sigon de Regn. Ital. lib.* 20. *ad an.* 1265 *fol* 101.
[63] *Spondan. ann.* 1265. *numer.* 4.
(64) *Philip. Antonin. Antiqu. Sarsinæ fol.* 10.
(65) *Clement. Hist. Arimin. lib.* 4. *fol.* 482.
(66) *Clarom. Histor. Cæsen. lib* 9. *fol.* 332.
(67) *Anonym. Ital. Historic. c.* 5. *apud Murator. Rerum Ital. tom.* 7. *f.* 500

18 Postmodùm in Vaticano throno sedens Nicolaus Papa III. ab Imperatore Rodulpho I. repetiit ipsam provinciam Romandiolæ, ab ætate Friderici I. Ænobardi Cæsaris, usque ad hæc tempora, per varias vicissitudines, modò detentam, modò redditam; nuncque ab Imperatore, nunc à Pontifice subiugatam, prout vis alterutrius prævalebat. Rodulphus ergò illam restituit. Nicolaus verò ipsi præfecit Bertoldum Ursinum gentilem suum: ut ubi monita non proficerent, vi, & armis Romandiolos ad obedientiam revocaret: *Ex his Ravenna, Imola, & Ariminum dicto audientes exemplo fuerunt. Faventini, Forolivienses, & Cęsenates, licèt multis detrimentis affecti, tamen Montefeltrio duce, ad deditionem non potuere propelli* (68).

19 Hoc fortassis evenit, quia Cæsenates, & alii mox fati resistentes, se adstringi rebantur juramento fidelitatis, quod favore Rodulphi Augusti ab eisdem exegerat alius Rodulphus Cancellarius Imperialis. Cum tamen successivè Imperator declaraverit, juramentum illud exactum fuisse absque illius *consensu, conscientia, & mandato*; ac proindè revocandum esse præcepit, & abolendum (69). Quamobrem Gottifredus Præpositus Soliensis Procurator Imperatoris Rodulphi, & ad hoc speciali mandato munitus, epistola ad Cæsenates directa (nec non & ad alios populos Romandiolæ) illis denunciavit juramentum præfatum irritum, & nullum esse, viribusque prorsus carere, ac idcircò ad obedientiam Apostolicæ Sedis, absque cunctatione reverterentur (70).

20 Idem quoquè Nicolaus P P. III. anno Christi 1278. Pontificatus sui primo, Communitati nostræ scripsit literas hoc modo conceptas (71): *Potestati, Consilio, & communi Cæsenati. Levantes in circuitu oculos nostros ad singula, quæ nostris incumbunt humeris, ex debito commissi nobis officii tenemur, in quantum patitur humana conditio, aciem nostræ mentis extendere; scilicet circa conservationem jurium Romanæ matris Ecclesię, cui licèt immeriti præsidemus, intendere, ac ad filios nobis prerogativa*

(68) *Sigon. de Regn Ital. lib. 20. ad an. 1278 fol. 118.*

(69) *Epistola Rodulph. Imp. ad Nicol. P P. III. post disser. de Comit. Comaclen. in Append. num. 23. fol. 73.*

(70) *Ibidem num. 24. f. 75.*

(71) *Item ibidem num. 27. fol. 82. & 84.*

tiva specialitatis adjunctos præcordia nostra convertere, nos pertingit cura sollicita, incitat affectus, & urget instantiùs debitum Apostolicæ servitutis, ut eadem jura refloreant, devotorum mentes quietis ubertate succrescant, devotione fæcundent, & in eis eadem Ecclesia delectetur. Profectò Civitatem vestram, & nunnulla alia, terras, & loca partium Romaniolæ, quæ sub propriis, & specialibus ad præsens non duximus exprimenda nominibus, cum generali vocabulo Romandiola hoc tempore nuncupentur, ac eorum incolas ipsi Ecclesię immediatè subesse, ipsorumque dominium ad eamdem Ecclesiam pertinere, longa Romanorum Imperatorum declaravit antiquitas, continuavit ipsorum providentia Principum, & charissimus in Christo filius noster Rodulphus Rex Romanorum Illustris, prędictorum Imperatorum super iis acta recognoscens, & recognoscendo confirmans, ea omnia ipsi Romanæ Ecclesię de novo concessit, atque donavit, prout in nonnullis eorumdem Principum, & Regis scripturis authenticis indè confectis pleniùs continetur. Et licèt, sicut accepimus, Rodulphus Cancellarius Regis ejusdem, seu quivis alius, à vobis, & prædictorum terrarum, ac locorum incolis certa juramenta sine dicti Regis, prout à nonnullis asseritur, conscientia, vel mandato sibi ejusdem Regis nomine, vel ipsi Regi fecerit exhiberi; dictus tamen Rex quidquid contrà prædictas declarationes, recognitiones, concessiones, atque donationes, seù aliqua prędictorum per ipsum Regem, seu ejus Nuntios, vel Officiales suo mandato, vel nomine, seu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum, revocavit, cassavit, annullavit, irritavit, & omnibus viribus vacuavit, volens, & expressè consentiens, quod tám circa possessionem, quàm circà proprietatem per hoc nullum sibi jus in prędictis accresceret, vel in aliquo prędictorum ipsi Ecclesiæ deperiret. Concessit insuper, atque consensit, quod eadem Ecclesia per sè, vel alios accipiat, nanciscatur, intret, &

 appre-

apprehendat, absque ulla ipsius Regis requisitione; auctoritate, vel mandato obtentis, sive petitis, possessionem, & quasi omnium prædictorum, & eorum, quæ pertinent ad prędicta; promittens quod ipse per sè, vel per alium, seù alios, non impediet prefatam Ecclesiam in prędictis, sed eam in omnibus præfatis, tam adipiscendis, quam tenendis, & habendis, suo posse perpetuò adjuvabit, ac nihilominus per Procuratorem suum, plenum ad hoc exhibentem mandatum, prędicta omnia, & singula in nostra, & Fratrum nostrorum præsentia, & aliorum multitudine copiosa, publicè, ac solemnitèr innovavit, sicut apparet publicis, & authenticis documentis.

21 *Dignè igitur ad vos, & alios partium earumdem, nostros, & ipsius Ecclesiæ filios speciales, nostra studia convertentes, vos, & ipsius Ecclesię jura favoribus conservare proponimus, fovere pręsidiis; & à didispendiis pręservare, ut vobis, & aliis incolis prędictis in gremio recumbentibus Ecclesię memoratæ, dicta lętetur Ecclesia, jura ipsa fructificent, devotio vestra conscrescat, & exclusis animorum hęsitationibus, quibus languisse percipimus vos, & incolas supradictos, vobis, & illis optatę tranquillitates adveniant, ac fugatis omnibus, quę nubilo pręmissa contexerant, eadem jura, & devotio perfecta reluceant claritate. Cupientes quoque, quod in hac parte nostris desideriis Divina cooperante Clementia, satisfiat, dilectum filium Fratrem Joannem de Viterbio ordinis Fratrum Prędicatorum latorem pręsentium, de cujus fidelitate, ac circumspectione confidimus, ad vos duximus destinandum, devotionem vestram paternis monitis excitantes, ac vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus informationibus dicti Fratris vestros animos in plena quiete spiritum applicantes, sic actus, & sensus vestros, ac aliorum, earumdem partium, quantum in vobis extiterit, ad recognoscendum ejusdem Ecclesię dominium promptis spiritibus accingatis, quod ipsa vestrę promptitudinis exhibitio, grata*

ta

ta nobis auspicia de vestra devotione ministret, vosque in pectore nostro filios devotionis adscribat, paternis benedictionibus confovendos, nec patiamini dissensibili varietate convinci; nam si, quod absit, contrarium sentiremus, compelleremur, & meritò per alias vias, quibus expedire viderimus, manum Apostolicę provisionis extendere, ad prosecutionem, & conservationem jurium eorumdem, cum ad id ex incumbenti nobis officio teneamur. Datum Viterbii 10. *Kal. Julii anno primo.*

22 Acquieverunt igitur Cæsenates, & Bertoldum Ursinum prò Pontifice Rectorem Romandiolæ susceperunt, eique arcem civitatis tradiderunt. Bertoldus verò Cæsenæ diù, ab ægritudine retentus, jacuit, subrogato in ejus officio Gentili filio suo, qui obsides Bononiensium *Cęsenam adduxit ad Bertoldum patrem, qui ex diuturna ęgritudine jam convaluerat. Hic lętus filii adventu, & felici eventu, Concilium universę Provincię Cæsenam indixit, quo Ravennatum, & reliquarum Civitatum procuratores convenere: conventus autem in Prętorio civitatis habitus est; in quo Bertoldus post luculentam concionem, leges ab universa Provincia observandas publicavit. Indè ad conciliandos factiosos, omnem cogitationem, & conatum adhibuit: idque post longam negotiationem, & in Flaminia, & Bononię obtinuit anno* 1278. (72).

23 Aliud, longè tamen post, operantibus Ghibellinis, Cæsena in potestatem Guidonis de Montefeltro, potentissimi fautoris, & ducis hujusmodi Factionis, transivit (73): eique vel invita obtemperare coacta fuit; donec præparato exercitu Pontificio, ut illam armis invaderet, re priùs ad negotium perducta, *Cæsenates in fidem Ecclesię salvis rebus, & personis recepti sunt* [74]. Memorantque Annales nostri, quod *Anno D.* 1283. *Mense Junii D. Joannes de Appia Comes Romandiolę intravit civitatem Cęsenę cum voluntate civium; quam tenebat contra voluntatem Ecclesię Romanę Guido Comes Montis Feretri* (75). Sequenti verò mense Octobris fossas Forilivii, Cæsenæ,

&

(72) *Scip. Claram. Hist. Cęsen. lib.* 10. *fol.* 347.

(73) *Rubeus Histor. Raven. ad ann.* 1281. *Claramon. loc. citat. fol.* 348.

(74) *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 20. *fol.* 123.

[75] *Annal. Cæsenat. ann.* 1283.

& Cerviæ, atque omnium castrorum expleri mandavit, domos inimicorum evertit, atque omnes Ghibellinos relegavit: reliquos autem, quo libuit, abire permisit (76).

(76) Sigon. loc. cit. fol. 123.

24 Post nonnullos annos incolæ Cæsenæ, ac Ravennæ, inito solemni fœdere, sè sè reciproca obligatione adstrinxerunt, pro defensione jurium, legum, privilegiorum, & consuetudinum utriusque civitatis (77): habituri communes amicos, & inimicos; ac belli, & pacis cunctos eventus. *Quę omnia Sanctę Romanę Ecclesię in honorem fieri protestabantur* (78). Et hùc fortasse refertur conatus, quo Cæsenates anno 1291. restiterunt Ildebrandino Episcopo Aretino, Præsidi, seu Comiti Pontificio, ac simul Vicario Apostolico provinciæ Romandiolæ, tunc existenti Cæsenæ, ubi exceperat hospitio Gerardum Blancum Cardinalem Parmensem, ex legatione Galliæ redeuntem (79).

(77) Chron. Cæsen. M. S. ad ann. 1288. fol. 169.

(78) Claram. Histor. Cæsen. lib. 10. f. 359.

(79) Chron. M. S. fol. 131.

25 Volebat Comes dare civitati nostræ Prætorem, quemcumque ipse mallet, loco Malatestini hoc munus exercentis. Cæsenates verò altis ejulatibus inclamabant, per hoc infringi eorum privilegia, quorum in quasi possessione manebant, Prætorem sibi pro ipsorum libito deligendi. Quamobrèm indignatus Comes, Cæsena discedens, eam Ecclesiastico Interdicto subiecit: addita gravi mulcta pecuniaria, nisi Prætorem sibi datum sine cunctatione susciperent. Communitas tunc, appellatione interposita, provocavit ad Papam. Demùmque res hunc exitum habuit; quod Comes Civitatem *ab omni pęna, & censura absolvit, Prætoremque misit virum præclarum Didacum Cancellarium Pistoriensem, qui statutorum, & ordinationum civitatis observationem juravit* (80).

(80) Scip. Claram. loc. citat. lib. 10. f. 372.

26 Idem verò Comes Ildebrandinus anno sequenti à quamplurimis incolis civitatum Romandiolæ apud Forolivium obsessus, & expulsus, in tuto se posuit proficiscendo Cæsenam. At copiæ tumultuantium prosecutæ sunt eum, & obsidione cinxerunt quoque Cæsenam, ubi à Comprovincialibus illis ira concitatis, discrimen gra-

gravissimi periculi erat irreparabilitèr subiturus, nisi clandestino recessu, intempestaque nocte abiisset: ala Cæsenatum illum comitante usque ad locum Castrocarii (81). Ipso verò abeunte, citò Prætura Cæsenæ ad primæuum statum redivit, à Malatestino recuperata. Qui anno 1294. ad tyrannidem aspirans, *demolitus est munitiones omnes Civitatis, quas demoliri potuit. Castrum scilicet, & arcem: ut & Ecclesiam, quę in castro erat, etiam diruerit* (82), sive, ut alibi legitur, desolavit Antemurale Arcis veteris, respiciens versus orientem, & meridiem (83).

27 Eodem Prætore duce, se junxerunt Cæsenates Ariminensibus, & Picentibus plurimis, ac unà simul perrexerunt ad obsidendum Urbinum, atque in eo Guidonem Feretranum Ghibellinæ factionis tutorem acerrimum. Cui obsidioni operam dederunt per tredecim dies (84). Bonifacius deindè Papa VIII. solemnitèr declaravit irritas absolutiones nimium indulgentèr concessas quibusdam Cæsenatibus, (forte foventibus factionem Ghibellinam: quam Pontifex (85) summoperè abhorrebat) propter gravia crimina perpetrata (86). Malatestinum deindè à Prætura Cæsenæ dejecit Petrus Archiepiscopus Montis Regalis, Comes Pontificius, & Vicarius Apostolicus Romandiolæ; qui Cæsenam venit: illumque Cæsenates Prætorem sibimet elegerunt (87). Aliquanto post Guillelmus Durantes Episcopus Mimatensis officium Comitis Romandiolæ adeptus, Conventum totius Provinciæ convocavit apud Cæsenam anno 1295. A qua denique recessit indignatus, quod Cæsenates liberam sibi administrationem suæ Civitatis exposcerent (88). Erat Cæsenę tunc *Magistratus* octo virorum, quos vocabant *Defensores Populi* (89).

28 Vergente deniquè ad finem hoc sæculo 13. alia quædam acciderunt, de quibus in Annalibus Cæsenatibus dicitur: *Anno 1295. die 30. Julii D. Guido de Monteferetro rediit Cęsenam*: à qua *exul fuerat* 12. *annos*. Paritèr *Anno 1297. die 21. Julii Cęsenates obsederunt Britonorium & reposuerunt montem Maggium, & pulcherrimam arcem*

(81) *Annal. Cæsenat. ann.* 1293. *Scipio Claramon. ubi supr. fol.* 374. 376. & 377.

(82) *Ipsemet Claram. lib* 10 *f.* 380. *Annal. Cæsen. ann.* 1295.

(83) *Chron. Cæsen M.S. f.* 171. *Annal. Cæsen. anno* 1295.

[84] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib.* 10. *f.* 380.

[85] *Iovius in vita Sciarræ Columnæ.*

(86) *Chron. Cæsen. M.S. f.* 171. *Annal. Cæsen. loc cit.*

(87) *Claram. libr.* 10. *fol.* 384.

(88) *Idem loc. cit. f.* 389. *Annal. Cæsen. ubi supr.*

[89] *Chron. Cęsen. M.S.* 171.

cem in ipso construxerunt. Deindè 25. *Augusti Cęsenatenses cum Romagnolis, scilicèt Foroliviensibus, Faventinis, Imolensibus cremaverunt circa Marecchiam totum comitatum Arimini, & Lonzanam* (90). Itèm eodem anno *die 2. Septembris Cęsaula intantum inundavit, quod non poterat fluere subtus pontem beccariorum: ità impetuosè venit, quod partem beccarię veteris cum pluribus aliis domibus suprà Cęsaulam positis, fecit ruere.* (Similem excessum aquarum in hoc amniculo vidimus die 27. Septembris anno 1727. qui agros inundavit, domos diruit, subvertit pontes, absorbuit animalia, & segetes dissipavit).

29 Deniquè anno 1300. 23. *Maii Comes Federicus de Monte Feretro, Ubertus de Malatestis, Uguacio de Fagiola, cum Cęsenatibus, & aliis suis amicis, procurante, & ordinante Comite Galasso Capitaneo, & Potestate Cęsenę, acceperunt Civitatem Eugubii*. Quo item anno die 1. Julii. *Strenuus Comes Galassus de Selano Potestas, & Capitaneus Cęsenę est viam universę carnis ingressus: qui dominatus fuerat Cęsenæ 4. annis, & 10. mensibus*. Tuncque die 5. Julii *Ubertus Comes Glageoli intravit Potestariam Cęsenę*. Ac paulò post eodem anno 1300. *die 28. Julii Comes Federicus filius Comitis Guidonis de Monteferetro venit pro Capitaneo Cęsenę*: ubi castrum reparavit, quod subindè illo expulso, à Cæsenatibus destructum fuit (91). Familia dicti Guidonis, Monteferetro dominantis, erat patricia Cæsenæ, ac domum propriam ibi obtinebat in via S. Zenonis, & in loco sitam, ubi nunc existit nobile palatium familiæ de Ghinis (92).

30 Viros illustres, tàm toga, quàm armis, produxit nostra Civitas hoc sæculo decurrente: nedùm in patria; verùm etiam apud alias gentes, fama præclaros. Nam inter alios *D. Rodolfinus de Galatesio de Cęsena anno 1274. fuit Capitaneus Populi Parmę* (93): & est verosimilitèr ùnus, & idem cum Pandolfino Gallisidio, seu Calisesio, qui fuit Prætor Arimini [94]. Similiter paulò post, idest, *Anno 1286. D. Guido de Thumba civis Cęsenę factus fuit Capitaneus Populi*

(90) *Annal. Cæsen. ob an. 1295. &c. ap. Murator. Rer. Ital. tom. 14.*

(91) *Annales Cæsenat. ann. 1299. 1300. & 1301.*

(92) *Manzonius Chronol Cæsenæ pagina 99.*

[93] *Chron. Parmens ann. 1274. ap. Murator tom. 9. fol. 788.*

(94) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 9. fol. 336.*

puli Regiensis (95). Toga verò præclari præ cęteris memoratur *Theodoricus de Galatesio* Poteſtas Mediolani anno 1259. (96). Quem Chronologiſta Cæſenas vocat Theodoricum Caliſeſium (97). Adde huic *Pocaterram de Montiliano* Cæſenatem, qui fuit Prætor Regii; ac deindè Mutinæ [98]. Et à præfato Chronologiſta dicitur *Pocaterra de Pocaterris Nob. Cęſenus vir doctiſſimus: fuit anno 1299. Capitaneus Populi civitatis Piſarum* (99) ſic & *Rodulphinus quoque Gallisidius* Arimino præfuit, fungens officio Prætoris (100). *Ambrosius* itèm de *Ambroniis* celebris Juriſconſultus, & à conſiliis Azonis Eſtenſis, Dynaſtæ Ferrarienſis (101). Horum itidèm implet numerum *Petrus Cantarella*, qui ſuis ſcriptis hiſtoricis poſteritati conſuluit, antiquitates patrias recenſendo [102]. *Robertus* quoque de *Cęſena* pertinet ad hæc tempora, fuitque inclitus Decretorum Doctor, à Cherubino Ghirardacio memoratus (103). Plurium aliorum hic nomina reticemus, quippè de quibus infrà ſuo loco erit ſermo.

(95) *Memoriale Poteſtat. Regiens ann.* 1286. *ap. Murator. tom.* 8. *f.* 1168.
(96) *Flamma Manip. Flor. cap.* 293.
(97) *Manzon. fol.* 157.
(98) *Murator Rer. Italic. to.* 10. *fol.* 103. *Chron. Mutinenſe an.* 1318
(99) *Manz. Chronolog. Cæſen. fol.* 119.
(100) *Claram. Hiſtor. Cæſen. f.* 366.
(101) *Manz. fol.* 123.
(102) *Claram Hiſtor. Cæſen. iu Epiſt. adSenat. Cęſen.*
(103) *Ghirardac. Hiſt. Bonon. fol.* 459.

CAPUT XX.

Dè rebus Ecclesiasticis ad Cæsenam spectantibus per sæculum Christi *decimum tertium*.

SUMMARIUM.

1 Oddo 2. Episcopus Cæsenæ Diploma te muneravit suos Canonicos: & alia ipsius gesta.

2 Partem item habuit in aliis gravibus factis. Abbas S. Mariæ, cum Canonico Cæsenæ, Iudices Apostolici &c.

3 B. Joannes Bonus vixit in Eremo Cæsenæ. Ubi an fuerit etiam S. Franciscus Assisiensis.

4 Episcopus Cæsenę prǫerat Congregationi Iambonitarum. Stupenda vita dicti B. Ioannis.

5 Manzinus Episcopus Cęsenę: ac perplura illius facta notabilia recensentur.

6 Dominicani, & Franciscani Conventus erigunt Cæsenæ. S. Petrus Martyr benevolus in Cęsenates.

7 Fratres S. Dominici prius habuerunt Ecclesiam, & Conventum in Murata.

8 Deindè ob novæ Arcis constructionem, ad locum dictum Ecclesię novę, migrarunt.

9 Quidam asserunt, S. Franciscum fuisse discipulum B. Io: Boni in Eremo Cęsenate.

10 Alij negant. At aliud est fuisse professum Instituti Augustiniani: aliud B. Io: Boni discipulum.

11 In Conventu Minoritarum Cęsenę duę sunt Ecclesię diversis temporibus erectę.

12 Fundatio Conventus Cęsenatis recensetur verbis Petri Rodulphi.

13 Augustinienses prius apud Eremum Budrioli permanebant; indè ad Conventum Cęsenę venerunt.

14 Pri-

14 *Prior hujus Conventus olim censebatur Prior generalis totius Ordinis Eremitarum &c.*

15 *Servitarum Conventu initia. S. Petrus Martyr, B. Io: Bonus, S. Franciscus, & S. Phil. Benit. Cęsene fuerunt.*

16 *Michael Minorita: indè Franciscus Dominicanus fuerunt Episcopi Cęsenates.*

17 *Henverardus Episcopus Cęsenæ, ac varia illius opera. Abbates S. Marię de Monte, ac S. Laurentii.*

18 *Arnulphus Cęsenas Episcopus Humanensis. B. Christophorus de Cęsena Ordinis Minorum.*

19 *Hujus actiones, & merita per Petrum Rodulphium enarrata.*

20 *Aymericus Episcopus Cęsenę. Interfuit Concilio Ravennati, ubi plura decreta sunt de Ecclesiastica disciplina:*

21 *Eques factus magna solemnitate Cæsenæ à Præside Pontificio. Crucibus ibidem donati Fideles Ecclesiæ.*

22 *Leonardus Episcopus Cæsenæ. Canonici Cathedralis in commune vivebant.*

23 *Leonidus Siculus Episcopus Cęsenę, cujus tempore Castra quędam habebat ejus Episcopatus.*

24 *Guido Montefeltrius Cæsenę patricius: & quandoque occupator. Minorum Ordinem demùm ingressus est.*

1 Regebat Ecclesiam Cæsenatem initio sæculi decimi tertii Leto Episcopus, qui & ei præfuit vsque ad annum 1207. Ipsi autem obeunti successor datus est *Oddo II. Episcopus XXXXVII.* (1). Hic vestigiis inhęrens Antecessorum suorum, privilegia confirmavit per eos concessa Canonicis Cathedralis Cæsenæ (2). Sed & quandoque Judex compromissarius unà cum Episcopo Faventino electus fuit ab Hubaldo Archiepiscopo Ravennæ, ac Leonardo Tricano, Vicario Imperiali appellato, super quibusdam prædiis Ecclesiæ Ravennatis, quæ Leonardus idem præcario se spoponderat retenturum. Cumque sententia lata fuisset favore Hubaldi; Leonardus in porticu S. Juliani Ariminensis anno 1210. illam ratam habuit, & con-

(1) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 8. fol. 276*

(2) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 23. & 183.*

confirmavit (3). Præsens quoque adfuit Oddo conventioni, quæ in Episcopio Cerviç inita est inter præfatum Hubaldum Archiepiscopum, & Cervienses (4).

2 Itèm unà cum Episcopo Foropompiliensi, anno 1215. adstitit compromisso Ravennæ compactato inter mox fatum Hubaldum, & Albericum Episcopum Sarsinæ super Castro Bagnoli. Nec non interfuit sententiæ Interdicti à Simeone Archiepiscopo Ravennæ latæ anno 1221. contra incolas castri Montis Boarii districtus Foroliviensis: ac translationi Reliquiarum Sancti Valerii Archiepiscopi. Biennioque post subscripsit cum aliis Episcopis donationi, à pręfato Simeone factæ Monachis S. Clementis Insulæ Padi (5). Cumque inter eundem Simeonem Archiepiscopum, & Abbatem S. Mariæ in Cosmedin Ravennæ orta esset lis ob alienationem quorundam bonorum; Honorius PP. III. anno 1225. eam decidendam commisit Abbati S. Mariæ Montis Mauri, & Laurentio Canonico Cæsenatis Ecclesiæ (6). Floruit & hac ætate Theodoricus Callisesius civis Cæsenas, Archiepiscopatu Ravennatensi decoratus anno 1228. (7), qui fortè fuit patruus, vel aliter gentilis alterius Theodorici Calisesii Pretoris Mediolani anno 1259. (8): de quo dictum fuit in fine Capitis præcedentis.

3 Honorificavit initiale tempus Episcopatus Oddonis *B. Ioannes Bonus* Mantuanus, qui de mimico exercitio, comicaque arte, *ex gravissimo morbo ad meliorem frugem redactus, ac mundo vale dicens* (9): venditis quæ possidebat, pretioque in pauperes erogato, se in eremum recepit Budrioli appellatam, & à Cæsena per bis mille passus distantem, dictam nunc quoque antonomasticè *l'Eremo*, & idioticè *l'Elmo*: ubi per annos 40. eremiticæ vitæ operam dedit (10): famà sanctitatis, ac miraculis adeò clarus, ut ad ejusdem sequelam innumeri concurrerent, solitudinis, ac religiosæ probitatis amantes [11]. Inter quos à nonnullis enumeratur Seraphicus S. Franciscus Assisiensis [12]. Natus est B. Joannes anno 1168. Venit ad eremum

Cæ-

(3) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. f. l. 376. Claramont. loc. cit. f. 275.*

[4] *Idem Claram. & Rubeus ubi supr.*

(5) *Chron. M. S. Cæsen. f. 94. &c. Rubeus l. 6. f. 378. & seq.*

(6) *Ex Rubeo Gonzalez in cap. Venerabilis 11. n. 1. de testibus.*

[7] *Cæsar. Briss. Relation Cæsen. à Clem. 8. pag. 24.*

[8] *Claram. Histor. Cæsen. lib 9. fol. 329.*

(9) *Spondan. an. 1237. n. 7.*

[10] *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 55.*

[11] *Constantius Laudens. in Vit. B. Ioan. Boni.*

[12] *Jacob. Philip. Bergom lib. 12, in fine.*

Cæsenatem anno 1209. Indè Angelo admonente, redivit Mantuam anno 1249. (13). Ibique octogenario major ad Cælites evolavit (14).

4 Is fuit Rector, & primus Prior generalis illorum Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui ab ejus nomine dicti sunt *Jambonitæ*. Ordinemque, seù Congregationem ipsorum ab initio approbavit Episcopus Cæsenæ, à quo eadem familia religiosa dependebat: & qui etiam Priorem ejus generalem instituebat, ac destituebat, proùt alibi ostendimus (15). Coram denique ipsomet Episcopo Cæsenate B. Joannes Bonus jam senio confectus, Generalatum resignavit favore fratris Matthæi (16). Et quoàd miraculosa signa, illius comprobantia sanctitatem; sanavit ægros, dæmoniacos liberavit, cæcis reddidit lumen, aquam convertit in vinum, & alia stupenda operatus est prodigia, Cæsenatibus præsertim suæ ætatis proficua (17). Nedùmque vivens, verum etiam post mortem claruit portentis. Quibus permotus Innocentius Papa IV. Episcopo Mutinensi commisit, ut processum super ejus vita, virtutibus, & prodigiis compilaret (18). Plura de illo vide in nostris Diatribus Cæsenatibus.

5 Sequitur in ordine Antistitum Cæsenatum *Manzinus Episcopus XXXXVIII.*. Qui paritèr anno 1233. amplo Diplomate muneravit Canonicos Ecclesiæ suæ Cathedralis, confirmans privilegia illis ab antecessoribus Episcopis impertita (19). Eodemque anno apud Prætorem, Senatumque Cæsenatem sua interposuit officia, ut quibusdam Subditis temporalibus Archiepiscopi Ravennatis daretur salvus conductus pro libero accessu, & recessu ab urbe nostra (20). Deputatus fuit quoque unà cum Bernardo Præposito Cathedralis, à Gregorio Papa IX. Judex Apostolicus in causa, quam inter sè agitabant Episcopus Pisaurensis, & Abbas Cænobii S. Rufilli (21). Adhuc & huic nostro Antistiti, nec non Episcopo Forosemproniensi anno 1243. Innocentius PP. IV. commisit, ut Thadeum Comitem Feretranum privarent bonis Ecclesiasticis,

quæ

[13] *Claram. lib. 8. fol. 285.*

[14] *Spondan. an. 1237. n. 7.*

[15] *Brasch. Diatrib. Cæsen. Diatrib. 14*

(16) *Ioann. Marquez. de Orig. Erem. S. Aug. c. 13.*

[17] *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 8. fol. 286*

(18) *Rainald. ann. 1250. n. 51.*

[19] *Manzoni Chronol. Cæsen. f. 183*

(20) *Rubeus in Histor. Raven. Claram. lib. 8. fol. 298.*

(21) *Chronich. M. S. Cæsen. ann. 1234. fol. 96.*

quæ tenebant [22]. Deniquè anno 1238. judiciale monitorium transmisit Ariminensibus, nè molestiis afficerent Archiepiscopum, aut Ecclesiam Ravennatem (23).

6 Sedente Manzino Episcopo, datus fuit aditus Fratribus Dominicanis, ac Franciscanis, ad Conventus eorum Ordinum regularium apud Cæsenam fundandos: Nàm S. Petrus Veronensis, vulgò *S. Petrus Martyr*, Religionis D. Dominici professor, Inquisitor Fidei, triplicique corona laureatus, Virginis, Doctoris, & Martyris [24], dum viveret, Cæsenę quandoque constitit, & Cæsenatibus sè benevolum exhibuit. Maximè tunc, quando fategit, ut hi damna, & injurias, à quibusdam finitimis populis receptas, ac vicissim illatas, mutua condonatione sopirent (25). Sanè maxima Civium pars *D. Petrum venientem magno honore excipiebat, & honestissimo comitatu abeuntem insequebatur, & conciones ejus magno concursu, & eximia pietate audiebat* (26).

7 Constans fama est, quod ipsemet S. Petrus Martyr Cæsenę permanens, operam dederit ædificandę Ecclesię ad usum sui Ordinis (27). Junctæ antiquo Conventui Fratrum Prædicatorum, primordialitèr excitato intra districtum, appellatum *la Murata*. Quam Ecclesiam deindè prosecutus est, & complevit Maghinardus Paganus de Susinana (28), vir potens, celeberrimus dux, insignisque bellator suorum temporum, & per nonnullos annos factiosus quoque detentor civitatis Cæsenæ. In hoc ergo loco Fratres Dominicani habuerunt eorum primam Ecclesiam, & Cænobium: ibique commorati sunt per 140. circiter annos; donèc politici regiminis ratio illos aliò fecit migrare.

8 Nàm Galeotus Malatesta Cæsenæ princeps in ipsomet loco, anno 1381. erexit Arcem novam, quæ adhùc subsistit; Fratribus prædictis abeuntibus ad Ecclesiam SS. Basilii, & Fortunati, prævia Nicolai PP. III. auctoritate [29], sitam in via, tunc dicta Cæsariana: ubi amplum construxerunt Conventum, & novam Ecclesiam: à qua

ea

[22] *Marin. Apologet. Feretran. cap. 5. fol. 50.*

[23] *Hieron. Rubeus Hist. Raven. lib. 6. fol. 432.*

(24) *Sponden. ann. 1252. n. 8.*

(25) *Clementin. lib. 4. fol. 465*

[26] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. post lib. 15. fol. 715.*

(27) *Idem Claram. loc. cit. fol. 714.*

[28] *Chronic. M. S. Cæsen. f. 101. & 111.*

(29) *Ibidem loc. citat.*

eadem via, nomine mutato, deinceps appellata fuit, & adhùc vocatur, *la Chiesa nova*. Hanc ipsam postmodùm Ecclesiam ęvo fatiscentem, Fratres prędicti diruerunt initio sæculi decimi octavi, ac novam ibidem Ecclesiam magis conspicuam excitarunt: Sublato quoque deindè auctoritate Benedicti Papæ XIII. laterali Oratorio Confratrum Rosarii B. Virginis, qui diebus festis in eo conveniebant, ad Officium ejusdem B. Virginis decantandum.

9 Quò verò ad *Franciscanos*, memoratur ipsum S. Franciscum Assisiensem quandoque apud Cæsenam aliquo tempore constitisse [30]. Ac equidem Scriptores Augustiniani referunt, quod idem S. Franciscus fuit discipulus B. Joannis Boni, eremum Cæsenæ proximam incolentis (31). Et Constantius Laudensis narrat, qualiter ob famam sanctitatis ejusdem B. Joannis usquequaque diffusam, *concorrevano à lui da ogni lato huomini risolutissimi di lasciare il mondo ad' essempio suo, e per seco poter servire à Dio: fra i quali non è da tacere, che fosse il Serafico Francesco, institutore poscia dell'Ordine de' Minori, giache taciuto non l'hanno il Petrarca, il Sabelico &c.* (32).

10 Pernegant hoc vero Minoritæ (33), cum tamen nil neque famæ, neque decoris videatur deperire S. Francisco, vitæ solitariæ operam dedisse ad tempus apud B. Joannem Bonum, ut formam edisceret, quà Beatus hic eremita Domino deserviebat. Neque hinc infertur, quod S. Franciscus fuerit Professus Instituti Augustiniani antequam Minorita: cum nullibi constet, emisisse professionem religiosam, perpetuam, & regularem in manibus præfati B. Joannis Boni; quamquàm esset ejus discipulus, & sectator temporaneus methodi vitæ, quam in eremo ducebat. Vide quæ fusius dicemus in nostris Diatribus Cæsenatibus (34). Et hìc finamus partes contendentes de hujusmodi puncto, citra præjudicium veritatis, in suo sensu abundare; contenti rem indicasse.

11 Nùnc quoàd nostrum negotium memoremus, quod fratres Franciscani Conventuales duas habent Ecclesias

[30] *Manzon. Chronolog. Cæsen. fol. 37.*

(31) *Iacob. Phil. Bergom. suppl. Chronic. lib. 12. in fin.*

[32] *Constantius Laudensis in Vit. B. Ioann. Boni.*

[33] *Spondan. ann. 1237. n. 7.*

[34] *Brasch. Diatrib. Cæsenat. Diatrib. 16.*

sias intrà districtum Conventus Cæsenatis. Quarum una parvula B. Mariæ de Horto appellatur: altera valdè ampla, dicitur S. Francisci: & ex utriusque forma ædificii apparet, structuram earum ad diversa tempora pertinere. Primam erectam fuisse circa annum 1247. antiqua indicant monumenta [35]. Secundam ferunt constructam fuisse à familia de Malatestis tenente Principatum Cæsenæ. Profectò Manzinus Episcopus Cæsenas, per publicum Instrumentum, concessit Fratribus Minoribus locum, in quo situs est eorum Conventus [36]. Eamque concessionem auctoritate Apostolica confirmavit Alexander Papa IV. ut ex ejus Bulla relata per Claramontium (37).

12 *Anno*, inquit Petrus Rodulphius, 1250. *Manzinus Episcopus dedit facultatem Fr. Alberto Faventino ædificandi loca in urbe Cæsenę, in contrata Troæ, in possessione dicti Episcopatus: qui locus jam jam erat emptus pro Fratribus Minoribus, sub dominio, & potestate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & dictus D. Episcopus Manzinus, cum assensu Rev. D. Archiepiscopi Ravennę, vendidit Fratribus, & eorum nomine, Michaeli de Tura Syndico, & procuratori Conventus. Hæc venditio fuit approbata ab* Alexandro IV. Pontificatus sui *anno* 7. *&c. De hoc loco exivit Fr. Michelinus Generalis* (38). Sed & ex eodem Conventu alii plures viri prodierunt doctrina pręclari, ac variis dignitatibus decorati (39).

13 Respectu autem *ad Augustinianos*, præter ea, quæ dicta sunt de Sanctis Joanne Bono, & Francisco Assisiensi, hæc habet Historicus Cæsenas: *Ex angusto Butrioli Cęnobio, Augustiniana Familia in Civitatem traducta, Templum obtinuit à Cęsenate Republica, ædificatum anno* 1260. *publicis expensis. Insignis amplitudinis adiunctum percommodum Monasterium: in quo multi Sacerdotes degunt: studiumque ibi sacrę Theologiæ, & deservientium scientiarum constitutum: undè Conventus, ut vocant, generalis privilegiis, & honore insignitur* (40). Alibi hæc fundatio refertur ad annum 1252. [41]. Ad ipsumque Cænobium pertinet Ec-

cle-

[35] *Chron. Cæsen. M. S. fol.* 98. & 99.

[36] *Bern. Manzon. Chronol. Cæsen. fol.* 23.

(37) *Scip. Clarom. Hist. Cæsen. lib.* 9. *fol.* 341.

(38) *Petr. Rodulph. Histor. Seraph. lib.* 2. *fol.* 269.

[39] *Ber. Manzon. loc. cit fol.* 115.

[40] *Clarom. libr.* 8. *f.* 286.

(41) *Manzon. ubi supr. f.* 117

clesia, Mansioque religiosa Eremi pluries fatę, in qua B. Joannes Bonus diù permansit cum suis asseclis. Et hic fuit primus Conventus Augustiniensium antiqui temporis.

14 Qui sanè Conventus Augustinianus Cæsenas ab initio tanta dignitate, atque præeminentia rutilabat, ut ejus Prior censeretur Prælatus generalis totius illius Ordinis regularis. Quamobrèm cum Fr. Matthæus 2. Generalis officium dimisisset, quidamque Fratres illi subrogassent Fr. Hugonem de Mantua; refert Joannes Marquez, quod multi alii, *se n' andarono à Cesena, e pretendendo, che il Priore di quella casa per ragione era Prelato universale della sua Congregazione, elessero in Priore di quella Fr. Marco da Cesena* (42). Comprobaturque idem literis Innocentii Papæ IV. pariter innuentibus, quod Fratres eadem occasione *apud Cæsenam convenientes in unum &c. Fr. Marcum Cæsenatensem in Priorem dictæ Domus & per hoc in generalem Priorem totius Ordinis elegerunt &c. & electionem, quam de ipso fecerant, obtinuerunt confirmari per Episcopum Cęsenatensis* (43). Ab initio ergò Prior Conventus Cæsenatis habebatur pro Pręlato Generali totius Ordinis Augustiniani, & Episcopus Cæsenæ illum confirmabat.

(42) *Joann. Marquez de Orig. Erem. S. Aug. cap. 13.*

(43) *Epist. Innoc. 4. Perusii 17. Kal. Maii an. 2. Pontif.*

15 Nedùm autem *S Petrus Martyr, Beatusque Joannes Bonus præmemorati, & S. Franciscus Minorum Patriarcha (post sui Ordinis fundationem, & Regulę confirmationem) in carne viventes, Cæsenæ sunt commorati, magnas virtutes, & miracula operantes in salutem Cæsenatum, pro quibus hodie ad Dominum in Cælis intercedunt* (44); verum etiam haud multo post *S. Philippus Benitius* Ordinis Servorum Deiparę professor, Cæsenam sua permanentia decoravit. In Annalibus namque ipsius Ordinis de Conventu Servitarum Cęsenæ, sub anno 1260. dicitur: *Incomperta quidem hactenùs habetur prima ejusdem origo: huic autem anno tribuitur; quia hoc circiter tempore fundatum fuisse, & Ordini nostro addictum, ex eo conîicere licet, quod anno 1267. sanctus Pater Philippus Cæsenę degeret, indeque Florentiam profectus in ejus-*

(44) *Manzon. Chronol. Caes. n. fol. 57.*

dem anni Comitiis ibidem apud Caphagium habitus; *Prior generalis eligitur* (45).

16 Cathedram Pontificalem subindè tenuit apud Cæsenam *Fr. Michael Episcopus XXXXIX.* assumptus ex Ordine Minorum: quorum in Conventu adhuc asservari sigillum, ab eo solitum adhiberi, refert Chronologus Cæsenas (46). Necnon in Archivio Capituli Cathedralis habetur amplum diploma, chartæ pergamenæ inscriptum, quo idem Antistes anno 1259. suis Canonicis concessit, sivè comprobavit quamplures Ecclesias. Confirmans eisdem etiam *tres charitativas*, inquit, *comestiones*, *quas habere consuevistis in anno*: *scilicèt in Nativitate Domini*, *in Paschate Resurrectionis*, *& in festo S. Joannis Baptistę* [47]. Successor hujus Prȩsulis fuit *Fr. Franciscus I. Episcopus Cęsenę XXXXX.* electus anno 1263. quem Scriptores Dominicani referunt pertinere ad Ordinem Prædicatorum, & floruisse doctrina (48).

17 Deindè seriem Antistitum nostrorum ingressus est *Henverardus Episcopus LI.* ex Saxonia (49). Qui Concilio Provinciali Ravennæ, habito in sacrario Ecclesiæ S. Vitalis, interfuit 14. Kal. Maii anno 1270. (50). Ubi inter alia censuris Ecclesiasticis implexi fuerunt quicumque bona Ravennatis Archiepiscopatus, & Episcopatus Cæsenatis occupassent, vel ad id auxilium, seu consilium contulissent. Cumque mox defuncto Archiepiscopo, quidam Cæsenates bona nonnulla invasissent Ecclesiæ Ravennatis; hujus Clerus Henverardo scripsit, ut memor decreti Conciliaris mox editi, anathema contra illos promulgaret diebus festis (51). Eidem Concilio testes adfuerunt Jacobinus Abbas S. Mariæ de Monte, ac Benvenutus Abbas S. Laurentii de Cæsena [52]. Cujus itidèm S. Laurentii Abbas, nomine Ventura, decennio antè à Joanne Cephaludensi Rectore Provinciæ Romandiolæ, delegatus fuerat Judex in causa vertente inter Episcopum Ariminensem, & Abbatem S. Juliani [53].

18 Floruit per hæc tempora *Fr. Arnulphus Cęsenas* Or-

(45) *Garbius Annal. Servor. to. 1. Cent. 1. lib. 3. cap. 6. fol. 84. Gianius eod. tit. cent. 1. lib. 3. cap. 15*

(46) *Manzon. Chronolog. Cæsen. fol. 83.*

(47) *Idem loc. cit. fol. 184.*

(48) *Jo. Michael Pio hom. illust. di S. Domen. par. 2. lib. 3. fol. 30.*

(49) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 24. & 185.*

(50) *Labbè to. 11. Concil. fol. 917.*

(51) *Ex Rubeo Raven. Claram. lib. 5. in fin. fol. 343.*

(52) *Chron. Cæsen. M. S. fol. 105.*

[53] *Clementin. lib. 4. fol. 479.*

Ordinis Prædicatorum, electus anno 1267. Episcopus Humanensis Ecclesiæ in Piceno, junctæ Anconitanæ: qui anno 1279. obiit Viterbii; tumulatus in æde S. Mariæ ad Gradus[54]. Floruit & *B. Christophorus*, Parochus olim Ecclesiæ S. Mariæ Valverdi (tunc sitæ in loco, ubi nunc est Portus Cæsenaticus): ac deindè discipulus S. Francisci Assisiensis: à quo adhùc vivente missus est in Aquitaniam, ubi diù vixit, ac ferè centenarius obiit Cadurci anno 1272. cujus vitam scripsit Bernardinus dè Bessa Aquitanus, D. Bonaventuræ socius [55]. In Annalibus Franciscanis idem vir Dei appellatur B. Christophorus Romandiolus (56) à Provincia undè prodierat. Monumenta verò nostra illum nuncupant Cæsenatem (57): quia vel ex civitate, vel ex Diœcesi Cæsenę duxerat ortum.

(54) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 205.*

(55) *Morer. diction. Histor. V. Bernardin. de Bessa.*

(56) *Vvading. Rodulphus & Marcus Ulissipon.*

(57) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 52. & 114.*

19 Ejus laudabiles actiones, & merita præclarissima summatim enarrat Petrus Rodulphius his verbis: *cum esset Parochus, & Sacerdos curam animarum habens, seorsum B. Franciscum adhuc viventem, spreto mundi hujus luxu, sequutus est: susceptaque ab eo benedictione, ad Aquitaniæ partes transmissus fuit. Inerat ei profunda humilitas, pietas viscerosa, compatiens miseris destitutis, aliis pius, sibi austerus fuit, sæpè lingebat vulnera, macerabat corpus jejuniis, cilicium durissimum ferebat, & in omni mortificatione vultus hilaritatem servabat, orationi, lectioni, vel actioni semper intentus, nunc in hortis excolendis, nunc in Fratrum obsequiis sollicitus intendebat: sibi uni cellulam ex virgis, & vili stramine constructam habebat. Missam omni die cum lacrymis, & devotione multa consueverat celebrare &c. Ferunt columbam super caput ejus descendisse, dum missam celebraret &c. Plurima fecit miracula &c. In ejus legenda numerantur ultrà triginta insignia miracula* (58).

(58) *Petr. Rodulph. Histor. Seraph. lib. 1. fol. 98.*

20 Præsulatum sacrorum deindè apud Cæsenam tenuit *Aymericus Episcopus LII.* cujus meminit Claramontius noster (59). Et illius asservatur diploma editum anno 1274. quo Canonicos Ecclesiæ suæ pluribus gratiis muneratus est(60). Ipse quoquè interfuit Concilio Provinciali,

(59) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 9. fol. 344.*

(60) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 185.*

 quod

quod Bonifacius Archiepiſcopus Ravennatenſis convocavit anno 1286. in Eccleſia S. Mercurialis Forolivii (61): Editis in eo decretis de honeſtate, & habitu Clericorum: de pauperibus alendis: de promotione habentium parochiales Eccleſias: de diſtributionibus quotidianis: de decimis: de Immunitate Eccleſiarum: & de aliis capitibus concernentibus Eccleſiaſticam diſciplinam (62). Adfueruntque, præter Metropolitam, Epiſcopi ſeptem perſonalitèr, & quatuor per procuratores (63).

21 Triennio poſt, Aymerico adhùc Epiſcopale munus apud nos exercente, Stephanus Columna Comes, ſeu Prçſes Romandiolæ, à Nicolao Papa IV. deputatus, in Cathedrali Eccleſia (S.Joannis in Murata) Cæſenatenſi, magno apparatu, Miſſamque cantante Petro Epiſcopo Vicentino Legato Apoſtolico: atque adſtantibus Archiepiſcopo Ravennate, ac Epiſcopo Ariminenſi: necnon affluente magna populi copia, Equîtem creavit Paulum Mazolinum Cæſenatem, electum Mantuæ Prętorem [64]. Qui omnes præfatos Proceres prandio excepit opiparo: & ab ipſis Mantuam iturus, extrà Civitatem Cęſenę ornatiſſimo comitatu deductus eſt (65). Facto deindè magno motu per Provinciam Romandiolæ contra Stephanum præfatum; Petrus Vicentinus Legatus, itidem Cæſenę permanens, juſſu Pontificio Crucibus decorabat quotquot ſe fidos Eccleſię Romanæ futuros pollicebantur; eoſque à contractis reatibus, & Cenſuris Eccleſiaſticis abſolvebat (66).

22 Exindè pręfuit Eccleſię Cęſenati *Leonardus II. Epiſcopus LIII.* anno Chriſti 1291. ex Canonico Cathedralis à Capitulo poſtulatus, & à Nicolao Papa IV. confirmatus (67). Memoria illius fit in diplomate Aymerici Epiſcopi ſuperius memorato (68). Et ad ejus ętatem refertur id, quod recenſent Annales Cæſenates de Turri Campanaria Eccleſiæ antiquæ Cathedralis pinnis ornata ſub mox fato anno 1291. Qui & poſtmodùm addunt, quod anno 1293. *facta fuit Ciſterna in Clauſtro Canonicæ Cęſenæ, expenſis Canonicę* (69). Quo comprobantur alibi enunciata

(61) *Ghirar. dat. Hiſtor. Bonon. lib.8. fol.* 268.

(62) *Bail. ſum. Concil. tom.2. fol.*425.

(63) *Rubeus Hiſtor. Raven ad ann.* 1286.

[64] *Clarom. lib.*10. *f.* 364.

[65] *Clementin. lib.* 4. *fol.* 497.

[66] *Scip. Claramon. Hiſtor. Cæſen. lib.*10. *f.*360.

(67) *Ferdin. Ughel. Ital. Sacr. in Epiſc. Cęſen.*

[68] *Manzon. Chronol. Cæſen f.*185.

(69) *Annal. Cæſenat. a nn.* 1291. & 1293 *apud Murator Rer. Italicar,*

ciata, nimirùm quod Canonici Cęsenates olim insimul convivebant apud antiquam Cathedralem S. Joannis in Murata, in ædibus Canonicalibus, instructis Claustro, Dormitorio, mansionibusque, ac officinis necessariis [70]: verosimilitèr ibi sitis, ubi nunc est domus deputata usui Thesaurarii.

23 Postremis denique annis sæculi 13. de quo agimus, *Leonidas Siculus Episcopus LIV.* moderatus est Ecclesiam Cæsenatem sub anno 1295. Cujus facit memoriam Rubeus in Historia Ravennate (71). Fertur, hunc fuisse S.R.E. Cardinalem tituli S. Praxedis. Et ab aliquibus confunditur cum Leonardo illius prædecessore (72). Illo sedente oportet, quod Episcopatus Cæsenæ dominium temporale habuerit nonnullorum Castrorum. Legitur namque in Annalibus nostris: 1295. *Mense Septembris Cæsenates usurparunt Castra Episcopatus Cæsenæ* [73]. Quænam verò fuerint ista Castra; nobis non innotescit (74).

24 Postremò abs re non erit hic addere, quod *Guido de Monte Feretro* clarissimus, & factiosissimus olim rerum bellicarum gestor, tametsi origine Feretranus; incolatu tamen domicilari, per interpolata tempora se quandoque reddidit Cæsenatem. Nedumque habebat Cæsenæ mansionem propriam, ac domum patrimonialem, penès Ecclesiam S. Zenonis, prout suprà innuimus; verùm etiam obtinebat honores civicos, & patriciales ad instar aliorum nobilium indigenarum. Quoniàm verò tùm divitiis, tùm viribus, tùm præpotentia prævalebat; hinc factum est, ut interdùm, factionis Ghibelinæ conatibus roboratus, civitatis evaserit occupator, ac temporaneus, & desultorius detentor (75). De ipsomet Guidone Chronicon Astense sic loquitur: *Fuit sapientissimus virorum, fortis, & largus, & callidissimus in bellando* (76). Is post ingentes molestias Romanis Pontificibus, eorumque ditioni, armorum impetu illatas, ad meliorem frugem vocatus, introivit demùm Ordinem Minorum (77): in eoque laudabilitèr vixit ab anno 1296. usque ad obitum, qui ei contigit Anconæ, anno 1299. (78). Famam ingentis probitatis apud suos assecutus (79).

CA-

[70] *Vide supr. cap.* n.

(71) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. fol. 488.*

(72) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 87.*

(73) *Annal. Cæsenaten. ad an. 1295. apud Murator. loc. cit.*

(74) *Claramont. Histor. Cæsen. lib. 10. f. 388.*

(75) *Bern. Manz. Chronol. Cæsen. fol. 65. & 114. Claram. Hist. Cæsen. lib. 10. a fol. 383.*

(76) *Chronic. Astens. cap. 23 ap. Murator Rer. Ital. tom. 11.*

(77) *Spondan. ann. 1296. n. 4.*

(78) *Luc. Vuading. in Annal tom. 2.*

[79] *Arbur. Martyrol Francisc. 12. Kal. Octobr. fr Iacobil. de Sanctis Umbriæ vol. 2. fol. 268.*

CAPUT XXI.

De Cæsenatibus eventibus tempore, quo septem *Romani Pontifices* in *Gallia* resederunt.

SUMMARIUM.

1 *CÆsena plurimum addicta obsequio Papæ. Legatum Apostolic. advocat: Rector Provinc. fit Carolus Audegau:*
2 *Rectores Romandiolæ solebant residere Cæsenæ. Episcopus Reatinus depositus fuit propter mala opera.*
3 *Joannes Anguisciola, & alii viri docti, qui hoc tempore florebant apud Cæsenam.*
4 *Antonius de Cæsena, & plures alii Cæsenates, qui fuerunt Præsides variarum Italiæ Urbium.*
5 *Præses Cæsenæ conspirat in obsidionem civitatis. Incendium consumpsit Palatium Populi.*
6 *Cæsenates vincunt prælium contrà Polentanum, & adversus Forolivienses. Montem Gellum expugnant &c.*
7 *Clemens V. electus Papa Sedem transtulit in Galliam. Coronatus Lugduni, delapsus est ex equo.*
8 *Legatus Papæ adiuvat provectionem Regis Hungariæ. Papa præficit Romandiolæ Robertum Regem Neapolit.*
9 *Binę commotiones innuuntur Ghibelinorum cædibus afflictorum.*
10 *Rectores Provinciæ per hæc tempora commorati Cęsenæ. Forolivienses armis pulsati.*
11 *Romæus Pepulus Bononiam redire tentat. Cæsenates plectant insidiatores Ghibelinos.*
12 *Rector Provinciæ Arcem Cæsenæ restaurat. Penè sola Cæsena tunc Pontifici obtemperabat.*
13 *Ludovicus Bavarus Ghibelinę factionis fautor. Guelpha Papę partibus adhęrebat.* 14 *Ghi-*

14 *Ghibelini, non obstantibus viribus Legati Pontificii, occupant arcem Cæsenæ.*

15 *Cęsenates, Ariminenses, Ravennates, pacem ineunt cum aliis Romandiolis in Palatio Priorum Florentię.*

16 *Ordelaphus ex Capitaneo Cęsenatum, fit illorum tyrannus: & ab eis nocte percutitur.*

17 *Hostes Ordelaphi bis perperàm connixi sunt illi subtrahere Cęsenam.*

18 *Ordelaphi milites agrum Ariminensem vastarunt in odium Malatestæ, ibi dominantis.*

19 *Idem Ordelaphus muris cinxit suburbia Cęsenę.* La Murata *quid complecteretur?*

20 *Hunc Ordelaphis robustionibus adhùc munimentis fulcivit: ubi & ipse residebat in arce.*

21 *Ibi hospitio recepit Regem Hungarię, ac Regios Principes Neapolis. Cęnobium Montis munivit ut Castrum.*

22 *Cardinalis Ægidius Legatus missus ad recuperanda loca Sedis Apostolicę.*

23 *Procedit contra Ordelaphum detentorem Cęsenę, armis, & censuris.*

24 Martia, *vulgò* Cia, *Ordelaphi uxor, armis tuetur bis Cęsenam obsessam ab hostibus.*

25 *Cęsenates insurgunt contra Ordelaphum. Legatus illuc accurrit, & stationem facit in Cęnobio Montis.*

26 *Pontificii Muratam expugnant.* Cia *se se retrahit in arce veteri, quam nullo modo dimittere voluit.*

27 *Demùm spe subsidii recipiendi destituta, se dedit Legato, qui eam deportavit in arcem Anconę.*

28 *Legatus sumptuosè Cęsenam intravit. Ibi crebrò morabatur. Et ingens Palatium construxit.*

29 *Ibidem declinavit quoddam periculum. Et excepit Oratores trium Regum, de pace acturos.*

30 *Itèm ibi fędus est initum contrà Vicecomites. Legatus ibidem ęgrotavit: indè ivit ad* Fractam.

31 *Concessit Cęsenatibus, ut Stemmati suę Civitatis, Papilionem, & Claves Pontificias superapponerent.*

32 *Car-*

32 *Cardinalis Ægidius bis fuit Legatus in Italia. Pręclara ejus opera recensentur.*

33 *Cęsenates ei defuncto parentarunt. Hungaros quosdam stationarios occiderunt: undè periculum excidii.*

34 *Paulò post evenit laniena Cęsenatum, quę dicta est,* il Sacco de Bretoni.

1 CUM Romandiolæ Civitates, ineunte Sæculo XIV. peculiarium Dominorum suorum, sive Dynastarum, sive melius, Tyrannulorum, reperirentur obsequiis subiugatæ; Cæsena è converso libertate propria fruebatur [1]. Et plurimùm addicta Summi Pontificis imperio; pulsis Friderico de Monteferetro, Guidonis filio, necnon Ugucione de Fageola, & Zapetino de Ubertinis, factionem Ghibelinam tuentibus, contrà Guelpham adherentem Pontifici; anno 1301. vocavit Matthæum de Aquasparta Cardinalem Legatum Bonifacii PP. VIII. ut in eo haberet cui libens obtemperaret (2). Mox ab eodem Bofacio deputatus fuit Comes, seu Rector Provinciæ Romandiolę, Carolus Andegavensis, filius Regis Francorum (3): ob vitium, quo laborabat in oculo, dictus in Annalibus nostris, *Carolus guercius* [4].

2 Cujus Principis absentis vice, Jacobus Paganus ex Canonico Tullensi Episcopus Reatinus (5) cuncta moderabatur, Cæsenæ residens, & ex indè jus dicens toti Provinciæ (6). Quem *propter mala opera commissa in ipsa Provincia, Bonifacius PP. VIII. privavit Episcopatu: & sic turpitèr in brevi finivit vitam suam in Curia Romana* (7). Cæsenæ quoque resedit ut plurimùm Raynaldus Episcopus Vicentinus, Pagani successor. Ubi & Andreas de Cereto, nomine, atque auctoritate mox fati Caroli Andegavensis, Comitia generalia totius Provinciæ Romandiolæ convocavit (8). Deindè Thebaldus quoque Brusatus Brixiensis, in locum Caroli subrogatus à Benedicto PP. XI. ad regendam Romandiolam sub solito Comitis titulo, ferè semper apud Cæsenam fecit suam ordinariam residentiam (9).

(1) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 11. f. 428.*

(2) *Annales Cæsenates anno 1301.*

(3) *Oderic. Raynald. anno 1301. n. 12.*

(4) *Annal. Cęsenat. an. 1301*

[5] *Vghel. Ital Sacr. in Episc. Reatin.*

(6) *Claram. loc cit. libr. 11. fol. 431*

(7) *Annales Cæsenat. anno 1301.*

(8) *Rubeus Histor. Raven. sub anno 1303 Annol. Cæsenat. sub anno 1302.*

(9) *Claramon. lib. 11. fol. 440 Annol. Cæsenat. ann. 1304.*

3 Flo-

quàm ipsiusmet Galliæ incommodo (33). Displicuit Cardinalibus hæc profectio: tamen eundum fuit. Referuntque Annales nostri, quod eodem anno Camerarius *D. Papæ cum comitiva maxima transivit per Cæsenam, ferens secum Coronam, qua coronari debebat idem Clemens* (34). Hæcque illa Corona fortasis erit, de qua carbunculus magni pretii excussus est, quando Papa Lugduni coronatus, per urbem equitans, ex equo decidit, ruente quoque pariete, qui plures tunc transeuntes oppressit (35).

8 Non diù post Cæsena paritèr transivit Gentilis Cardinalis de Monte Flore (36) missus à Papa in Hungariam Legatus, ut Carolum Martellum, filium Caroli Claudi Regis Neapolis, hæreditario jure matris Mariæ Hungaræ, in Regem assumi, & Corona Hungaricæ D. Stephani Regis faceret redimiri (37): quod Legatus viriliter ad effectum perduxit [38], Magnatibus Hungaris ad id inductis, qua officiis, quà monitis, & quà Censurarum comminatione (39). Papa idem deindè commisit precario jure Roberto Neapolitano Regi, Romandiolæ regimen, ut eam Provinciam potentia regia in Sedis Apostolicæ obedientia contineret (40). Rex vero ad eam gubernandam subdelegavit Nicolaum Caracciolum: qui anno 1309. veniens Cæsenam, ingressus est per portam Ravennianam, vulgò *della Trova*, numeroso, ac splendido exceptus occursu (41): reseditque ut plurimum in ea, totam inde ipsam Provinciam administrans (42).

9 Præcesserat eodem anno, ac in ipsamet urbe, gravis commotio adversus Ghibelinos, non sine luctuosa hominū cæde, ac depredatione domorum: de qua in Annalibus Cæsenatibus (43). Similisque tumultus ibi contigit anno 1314 sic descriptus in Chronico Mutinensi: *Commotio fuit in civitate Cæsenæ, & multi mortui fuerunt, & expulsi &c. D. Vaninus de Polenta, qui tunc erat Potestas, fuit amotus ab officio, & fuit factus tunc Potestas Malatestinus de Malatestis* [44]. Exitiales illæ factiones Guelphorum, & Ghibelinorum, hinc inde sibi ferocitèr adversantium, omnia tunc

H h im-

(33) *Spondan. ann. 1305. n. 6.*

[34] *Annal. Cæsen. sub an. 1305.*

(35) *Raynald. eod. anno n. 12. & 13. Spondan. ipsomet an. n. 6*

(36) *Clarom. Histor. Cæsen. lib. 11. f. 454.*

[37] *Raynald. anno. 1308. n. 15.*

(38) *Bonfinius Dec. 2. lib. 9.*

[39] *Spondan. ann. 1308. n. 4.*

(40) *Raynald. anno 1310. n. 18.*

(41) *Chron. M. S. Cæsen. pag. 184.*

(42) *Claram. lib. 12. f. 468.*

[43] *Annal. Cæsenat. anno 1309.*

[44] *Chron. Mutinens. an. 1314.*

ſias intrà diſtrictum Conventus Cæſenatis. Quarũm una parvula B. Mariæ de Horto appellatur: altera valdè ampla, dicitur S. Franciſci: & ex utriuſque forma ædificii apparet, ſtructuram earum ad diverſa tempora pertinere. Primam erectam fuiſſe circa annum 1247. antiqua indicant monumenta [35]. Secundam ferunt conſtructam fuiſſe à familia de Malateſtis tenente Principatum Cæſenæ. Profectò Manzinus Epiſcopus Cæſenas, per publicũm Inſtrumentum, conceſſit Fratribus Minoribus locum, in quo ſitus eſt eorum Conventus [36]. Eamque conceſſionem auctoritate Apoſtolica confirmavit Alexander Papa IV. ut ex ejus Bulla relata per Claramontium (37).

12 *Anno*, inquit Petrus Rodulphius, 1250. *Manzinus Epiſcopus dedit facultatem Fr. Alberto Faventino ædificandi loca in urbe Cæſenç, in contrata Troæ, in poſſeſſione dicti Epiſcopatus: qui locus jam jam erat emptus pro Fratribus Minoribus, ſub dominio, & poteſtate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: & dictus D. Epiſcopus Manzinus, cum aſſenſu Rev. D. Archiepiſcopi Ravennç, vendidit Fratribus, & eorum nomine, Michaeli de Tura Syndico, & procuratori Conventus. Hæc venditio fuit approbata ab* Alexandro IV. Pontificatus ſui *anno 7. &c. De hoc loco exivit Fr. Michelinus Generalis* (38). Sed & ex eodem Conventu alii plures viri prodierunt doctrina prçclari, ac variis dignitatibus decorati (39).

13 Reſpectu autem *ad Auguſtinianos*, præter ea, quæ dicta ſunt de Sanctis Joanne Bono, & Franciſco Aſſiſienſi, hæc habet Hiſtoricus Cæſenas: *Ex anguſto Butrioli Cçnobio, Auguſtiniana Familia in Civitatem traducta, Templum obtinuit à Cçſenate Republica, ædificatum anno* 1260. *publicis expenſis. Inſignis amplitudinis adiunctum percommodum Monaſterium: in quo multi Sacerdotes degunt: ſtudiumque ibi ſacrç Theologiæ, & deſervientium ſcientiarum conſtitutum: undè Conventus, ut vocant, generalis privilegiis, & honore inſignitur* (40). Alibi hæc fundatio refertur ad annum 1252. [41]. Ad ipſumque Cænobium pertinet Ec-

cle-

[35] *Chron. Cæſen. M. S. fol. 98. & 99.*

[36] *Bern. Manzon. Chronol. Cæſen. fol. 23.*

(37) *Scip. Clarom. Hiſt. Cæſen. lib. 9. fol. 341.*

(38) *Petr. Rodulph. Hiſtor. Seraph. lib. 2. fol. 269.*

[39] *Ber. Manzon. loc. cit. fol. 115.*

[40] *Claram. libr. 8. f. 286.*

(41) *Manzon. ubi ſupr. f. 117*

clesia, Mansioque religiosa Eremi pluries fatę, in qua B. Joannes Bonus diù permansit cum suis asseclis. Et hic fuit primus Conventus Augustiniensium antiqui temporis.

14 Qui sanè Conventus Augustinianus Cæsenas ab initio tanta dignitate, atque præeminentia rutilabat, ut ejus Prior censeretur Prælatus generalis totius illius Ordinis regularis. Quamobrèm cum Fr. Matthæus 2. Generalis officium dimisisset, quidamque Fratres illi subrogassent Fr. Hugonem de Mantua; refert Joannes Marquez, quod multi alii, *se n' andarono à Cesena, e pretendendo, che il Priore di quella casa per ragione era Prelato universale della sua Congregazione, elessero in Priore di quella Fr. Marco da Cesena* (42). Comprobaturque idem literis Innocentii Papæ IV. pariter innuentibus, quod Fratres eadem occasione *apud Cesenam convenientes in unum &c. Fr. Marcum Cæsenatensem in Priorem dictæ Domus & per hoc in generalem Priorem totius Ordinis elegerunt &c. & electionem, quam de ipso fecerant, obtinuerunt confirmari per Episcopum Cesenatensis* (43). Ab initio ergò Prior Conventus Cæsenatis habebatur pro Prelato Generali totius Ordinis Augustiniani; & Episcopus Cæsenæ illum confirmabat.

(42) *Joann. Marquez de Orig. Erem. S. Aug. cap. 13.*

(43) *Epist. Innoc. 4. Perusii 17. Kal. Maii an. 2. Pontif.*

15 Nedùm autem *S Petrus Martyr, Beatusque Joannes Bonus præmemorati, & S. Franciscus Minorum Patriarcha (post sui Ordinis fundationem, & Regulę confirmationem) in carne viventes, Cæsenæ sunt commorati, magnas virtutes, & miracula operantes in salutem Cæsenatum, pro quibus hodie ad Dominum in Cælis intercedunt* (44); verum etiam haud multo post *S. Philippus Benitius* Ordinis Servorum Deiparę professor, Cæsenam sua permanentia decoravit. In Annalibus namque ipsius Ordinis de Conventu Servitarum Cęsenæ, sub anno 1260. dicitur: *Incomperta quidem hactenùs habetur prima ejusdem origo: huic autem anno tribuitur; quia hoc circiter tempore fundatum fuisse, & Ordini nostro addictum, ex eo conicere licet, quod anno 1267. sanctus Pater Philippus Cæsenę degeret, indeque Florentiam profectus in ejusdem*

(44) *Manzon. Chronol. Cæse n. fol. 57.*

dem anni Comitiis ibidem apud Caphagium habitus; *Prior generalis eligitur* (45).

16 Cathedram Pontificalem fubindè tenuit apud Cæfenam *Fr. Michael Epifcopus XXXXIX.* affumptus ex Ordine Minorum: quorum in Conventu adhuc affervari figillum, ab eo folitum adhiberi, refert Chronologus Cæfenas (46). Necnon in Archivio Capituli Cathedralis habetur amplum diploma, chartæ pergamenæ infcriptum, quo idem Antiftes anno 1259. fuis Canonicis conceffit, fivè comprobavit quamplures Ecclefias. Confirmans eifdem etiam *tres charitativas*, inquit, *comeftiones*, *quas habere confuevifis in anno*: *fcilicèt in Nativitate Domini*, *in Pafchate Refurrectionis*, *& in feflo S. Joannis Baptiftę* [47]. Succeffor hujus Pręfulis fuit *Fr. Francifcus I. Epifcopus Cęfenę XXXXX.* electus anno 1263. quem Scriptores Dominicani referunt pertinere ad Ordinem Prædicatorum, & floruiffe doctrina (48).

17 Deindè feriem Antiftitum noftrorum ingreffus eft *Henverardus Epifcopus LI.* ex Saxonia (49). Qui Concilio Provinciali Ravennæ, habito in facrario Ecclefiæ S. Vitalis, interfuit 14. Kal. Maii anno 1270. (50). Ubi inter alia cenfuris Ecclefiafticis implexi fuerunt quicumque bona Ravennatis Archiepifcopatus, & Epifcopatus Cæfenatis occupaffent, vel ad id auxilium, feu confilium contuliffent. Cumque mox defuncto Archiepifcopo, quidam Cæfenates bona nonnulla invafiffent Ecclefiæ Ravennatis; hujus Clerus Henverardo fcripfit, ut memor decreti Conciliaris mox editi, anathema contra illos promulgaret diebus feftis (51). Eidem Concilio teftes adfuerunt Jacobinus Abbas S. Mariæ de Monte, ac Benvenutus Abbas S. Laurentii de Cæfena [52]. Cujus itidèm S. Laurentii Abbas, nomine Ventura, decennio antè à Joanne Cephaludenfi Rectore Provinciæ Romandiolæ, delegatus fuerat Judex in caufa vertente inter Epifcopum Ariminenfem, & Abbatem S. Juliani [53].

18 Floruit per hæc tempora *Fr. Arnulphus Cęfenas* Or-

(45) *Garbius Annal. Servor. to. 1. Cent. 1. lib. 3. cap. 6. fol. 84. Gianius eod. tit. cent. 1. lib. 3. cap. 15*

(46) *Manzon. Chronolog. Cæfen. fol. 83.*

(47) *Idem loc. cit. fol. 184.*

(48) *Jo. Michael Pio hom. illuft. di S. Domen. par. 2. lib. 3. fol. 30.*

(49) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæfen. fol. 24. & 185.*

(50) *Labbè to. 11. Concil. fol. 917.*

(51) *Ex Rubeo Raven. Clarom. lib. 5. in fin. fol. 343.*

(52) *Chron. Cæfen. M. S. fol. 105.*

[53] *Clementin. lib. 4. fol. 479.*

Ordinis Prædicatorum, electus anno 1267. Episcopus Humanensis Ecclesiæ in Piceno, junctæ Anconitanæ: qui anno 1279. obiit Viterbii; tumulatus in æde S. Mariæ ad Gradus [54]. Floruit & *B. Christophorus*, Parochus olim Ecclesiæ S. Mariæ Valverdi (tunc sitæ in loco, ubi nunc est Portus Cæsenaticus): ac deindè discipulus S. Francisci Assisiensis: à quo adhùc vivente missus est in Aquitaniam, ubi diù vixit, ac ferè centenarius obiit Cadurci anno 1272. cujus vitam scripsit Bernardinus dè Bessa Aquitanus, D. Bonaventuræ socius [55]. In Annalibus Franciscanis idem vir Dei appellatur B. Christophorus Romandiolus (56) à Provincia undè prodierat. Monumenta verò nostra illum nuncupant Cæsenatem (57): quia vel ex civitate, vel ex Diœcesi Cœsenę duxerat ortum.

19 Ejus laudabiles actiones, & merita præclarissima summatim enarrat Petrus Rodulphius his verbis: *cum esset Parochus, & Sacerdos curam animarum habens, seorsum B. Franciscum adhuc viventem, spreto mundi hujus luxu, sequutus est: susceptaque ab eo benedictione, ad Aquitaniæ partes transmissus fuit. Inerat ei profunda humilitas, pietas viscerosa, compatiens miseris destitutis, aliis pius, sibi austerus fuit, sæpè lingebat vulnera, macerabat corpus jejuniis, cilicium durissimum ferebat, & in omni mortificatione vultus hilaritatem servabat, orationi, lectioni, vel actioni semper intentus, nunc in hortis excolendis, nunc in Fratrum obsequiis sollicitus intendebat: sibi uni cellulam ex virgis, & vili stramine constructam habebat. Missam omni die cum lacrymis, & devotione multa consueverat celebrare &c. Ferunt columbam super caput ejus descendisse, dum missam celebraret &c. Plurima fecit miracula &c: In ejus legenda numerantur ultrà triginta insignia miracula* (58).

20 Præsulatum sacrorum deindè apud Cæsenam tenuit *Aymericus Episcopus LII.* cujus meminit Claramontius noster (59). Et illius asservatur diploma editum anno 1274. quo Canonicos Ecclesiæ suæ pluribus gratiis muneratus est (60). Ipse quoquè interfuit Concilio Provinciali,

(54) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 205.*

(55) *Morer. diction. Histor. V. Bernardin. de Bessa.*

(56) *Vvading. Rodulphus & Marcus Ulisipon.*

(57) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 52. & 114.*

(58) *Petr. Rodulph. Histor. Seraph. lib. 1. fol. 98.*

(59) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 9. fol. 344.*

(60) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 185.*

quod Bonifacius Archiepiscopus Ravennatensis convocavit anno 1286. in Ecclesia S. Mercurialis Forolivii (61): Editis in eo decretis de honestate, & habitu Clericorum: de pauperibus alendis: de promotione habentium parochiales Ecclesias: de distributionibus quotidianis: de decimis: de Immunitate Ecclesiarum: & de aliis capitibus concernentibus Ecclesiasticam disciplinam (62). Adfueruntque, præter Metropolitam, Episcopi septem personalitèr, & quatuor per procuratores (63).

21 Triennio post, Aymerico adhùc Episcopale munus apud nos exercente, Stephanus Columna Comes, seu Pręses Romandiolæ, à Nicolao Papa IV. deputatus, in Cathedrali Ecclesia (S.Joannis in Murata) Cæsenatensi, magno apparatu, Missamque cantante Petro Episcopo Vicentino Legato Apostolico: atque adstantibus Archiepiscopo Ravennate, ac Episcopo Ariminensi: necnon affluente magna populi copia, Equîtem creavit Paulum Mazolinum Cæsenatem, electum Mantuæ Prętorem [64]. Qui omnes præfatos Proceres prandio excepit opiparo: & ab ipsis Mantuam iturus, extrà Civitatem Cęsenę ornatissimo comitatu deductus est (65). Facto deindè magno motu per Provinciam Romandiolæ contra Stephanum præfatum; Petrus Vicentinus Legatus, itidem Cæsenę permanens, jussu Pontificio Crucibus decorabat quotquot se fidos Ecclesię Romanæ futuros pollicebantur; eosque à contractis reatibus, & Censuris Ecclesiasticis absolvebat (66).

22 Exindè pręfuit Ecclesię Cęsenati *Leonardus II. Episcopus LIII.* anno Christi 1291. ex Canonico Cathedralis à Capitulo postulatus, & à Nicolao Papa IV. confirmatus (67). Memoria illius fit in diplomate Aymerici Episcopi superius memorato (68). Et ad ejus ętatem refertur id, quod recensent Annales Cæsenates de Turri Campanaria Ecclesiæ antiquæ Cathedralis pinnis ornata sub mox fato anno 1291. Qui & postmodùm addunt, quod anno 1293. *facta fuit Cisterna in Claustro Canonicæ Cęsenæ, expensis Canonicę* (69). Quo comprobantur alibi enunciata

(61) *Ghirardat. Histor. Bonon. lib. 8. fol.* 268.

(62) *Bail. sum. Concil. tom.* 2. *fol.* 425.

(63) *Rubeus Histor. Raven ad ann.* 1286.

[64] *Claram. lib.* 10. *f.* 364.

[65] *Clementin. lib.* 4. *fol.* 497.

[66] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen. lib.* 10. *f.* 366.

(67) *Ferdin. Ughel. Ital. Sacr. in Episc. Cęsen.*

[68] *Manzon. Chronol. Cæsen f.* 185.

(69) *Annal. Cæsenat. ann.* 1291. & 1293 *apud Murator Rer. Italicar.*

ciata, nimirùm quod Canonici Cęsenates olim insimul convivebant apud antiquam Cathedralem S. Joannis in Murata, in ædibus Canonicalibus, instructis Claustro, Dormitorio, mansionibusque, ac officinis necessariis [70]: verosimilitèr ibi sitis, ubi nunc est domus deputata usui Thesaurarii.

23 Postremis denique annis sæculi 13. de quo agimus, *Leonidas Siculus Episcopus LIV.* moderatus est Ecclesiam Cæsenatem sub anno 1295. Cujus facit memoriam Rubeus in Historia Ravennate (71). Fertur, hunc fuisse S.R.E. Cardinalem tituli S. Praxedis. Et ab aliquibus confunditur cum Leonardo illius prædecessore (72). Illo sedente oportet, quod Episcopatus Cæsenæ dominium temporale habuerit nonnullorum Castrorum. Legitur namque in Annalibus nostris: 1295. *Mense Septembris Cæsenates usurparunt Castra Episcopatus Cæsenæ* [73]. Quænam verò fuerint ista Castra; nobis non innotescit (74).

24 Postremò abs re non erit hìc addere, quod *Guido de Monte Feretro* clarissimus, & factiosissimus olim rerum bellicarum gestor, tametsi origine Feretranus; incolatu tamen domicilari, per interpolata tempora se quandoque reddidit Cæsenatem. Nedumque habebat Cæsenæ mansionem propriam, ac domum patrimonialem, penès Ecclesiam S. Zenonis, prout suprà innuimus; verùm etiam obtinebat honores civicos, & patriciales ad instar aliorum nobilium indigenarum. Quoniàm verò tùm divitiis, tùm viribus, tùm præpotentia prævalebat; hinc factum est, ut interdùm, factionis Ghibelinæ conatibus roboratus, civitatis evaserit occupator, ac temporaneus, & desultorius detentor (75). De ipsomet Guidone Chronicon Astense sic loquitur: *Fuit sapientissimus virorum, fortis, & largus, & callidissimus in bellando* (76). Is post ingentes molestias Romanis Pontificibus, eorumque ditioni, armorum impetu illatas, ad meliorem frugem vocatus, introivit demùm Ordinem Minorum (77): in eoque laudabilitèr vixit ab anno 1296. usque ad obitum, qui ei contigit Anconæ, anno 1299. (78). Famam ingentis probitatis apud suos assecutus (79).

CA-

[70] *Vide supr. cap. n.*

(71) *Rubeus Histor. Raven. lib. 6. fol. 488.*

(72) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 87.*

(73) *Annal. Cæsenaten. ad an. 1295. apud Murator. loc. cit.*

(74) *Claramont. Histor. Cæsen. lib. 10. f. 388.*

(75) *Bern. Manz. Chronol. Cæsen. fol. 65. & 114. Claram. Hist. Cæsen. lib. 10. a fol. 383.*

(76) *Chronic. Astens. cap. 23 ap. Murator Rer. Ital. tom. 11.*

(77) *Spondan. ann. 1296. n. 4.*

(78) *Luc. Vuading. in Annal tom. 2.*

[79] *Arbur. Martyrol. Franciscan. 12. Kal. Octobr. ir loco bil. de Sanctis Umbriæ vol. 2. fol. 268.*

CAPUT XXI.

De Cæfenatibus eventibus tempore, quo feptem *Romani Pontifices* in *Gallia* refederunt.

SUMMARIUM.

1 *CÆfena plurimum addicta obfequio Papæ. Legatum Apoftolic. advocat: Rector Provinc. fit Carolus Audegau:*
2 *Rectores Romandiolæ folebant refidere Cæfenæ. Epifcopus Reatinus depofitus fuit propter mala opera.*
3 *Joannes Anguifciola, & alii viri docti, qui hoc tempore florebant apud Cæfenam.*
4 *Antonius de Cæfena, & plures alii Cæfenates, qui fuerunt Præfides variarum Italiæ Urbium.*
5 *Præfes Cæfenæ confpirat in obfidionem civitatis. Incendium confumpfit Palatium Populi.*
6 *Cæfenates vincunt prælium contrà Polentanum, & adverfus Forolivienfes. Montem Gellum expugnant &c.*
7 *Clemens V. electus Papa Sedem tranftulit in Galliam. Coronatus Lugduni, delapfus eft ex equo.*
8 *Legatus Papæ adiuvat provectionem Regis Hungariæ. Papa præficit Romandiolæ Robertum Regem Neapolit.*
9 *Binę commotiones innuuntur Ghibelinorum cædibus afflictorum.*
10 *Rectores Provinciæ per hæc tempora commorati Cęfenæ. Forolivienfes armis pulfati.*
11 *Romæus Pepulus Bononiam redire tentat. Cæfenates plectunt infidiatores Ghibelinos.*
12 *Rector Provinciæ Arcem Cæfenæ reftaurat. Penè fola Cæfena tunc Pontifici obtemperabat.*
13 *Ludovicus Bavarus Ghibelinę factionis fautor. Guelpha Papę partibus adhęrebat.*

14 *Ghibelini, non obstantibus viribus Legati Pontificii, occupant arcem Cæsenæ.*

15 *Cęsenates, Ariminenses, Ravennates, pacem ineunt cum aliis Romandiolis in Palatio Priorum Florentię.*

16 *Ordelaphus ex Capitaneo Cęsenatum, fit illorum tyrannus: & ab eis noctè percutitur.*

17 *Hostes Ordelaphi bis perperàm connixi sunt illi subtrahere Cęsenam.*

18 *Ordelaphi milites agrum Ariminensem vastarunt in odium Malatestæ, ibi dominantis.*

19 *Idem Ordelaphus muris cinxit suburbia Cęsenę.* La Murata *quid complecteretur?*

20 *Hanc Ordelaphis robustionibus adhùc munimentis fulcivit: ubi & ipse residebat in arce.*

21 *Ibi hospitio recepit Regem Hungarię, ac Regios Principes Neapolis. Cęnobium Montis munivit ut Castrum.*

22 *Cardinalis Ægidius Legatus missus ad recuperanda loca Sedis Apostolicę.*

23 *Procedit contra Ordelaphum detentorem Cęsenę, armis, & censuris.*

24 Martia, *vulgò* Cia, *Ordelaphi uxor, armis tuetur bis Cęsenam obsessam ab hostibus.*

25 *Cęsenates insurgunt contra Ordelaphum. Legatus illuc accurrit, & stationem facit in Cęnobio Montis.*

26 *Pontificii Muratam expugnant.* Cia *se se retrahit in arce veteri, quam nullo modo dimittere voluit.*

27 *Demùm spe subsidii recipiendi destituta, se dedit Legato, qui eam deportavit in arcem Anconę.*

28 *Legatus sumptuosè Cęsenam intravit. Ibi crebrò morabatur. Et ingens Palatium construxit.*

29 *Ibidem declinavit quoddam periculum. Et excepit Oratores trium Regum, de pace acturos.*

30 *Itèm ibi fędus est initum contrà Vicecomites. Legatus ibidem ęgrotavit: indè ivit ad* Fractam.

31 *Concessit Cęsenatibus, ut Stemmati suę Civitatis, Papilionem, & Claves Pontificias superapponerent.*

32 *Car-*

quàm ipsiusmet Galliç incommodo (33). Displicuit Cardinalibus hæc profectio: tamen eundum fuit. Referuntque Annales nostri, quod eodem anno Camerarius *D. Papç cum comitiva maxima transivit per Cçsenam, ferens secum Coronam, qua coronari debebat idem Clemens* (34). Hæcque illa Corona fortasis erit, de qua carbunculus magni pretii excussus est, quando Papa Lugduni coronatus, per urbem equitans, ex equo decidit, ruente quoque pariete, qui plures tunc transeuntes oppressit (35).

8 Non diù post Cæsena pariter transivit Gentilis Cardinalis de Monte Flore (36) missus à Papa in Hungariam Legatus, ut Carolum Martellum, filium Caroli Claudi Regis Neapolis, hæreditario jure matris Mariæ Hungaræ, in Regem assumi, & Corona Hungaricæ D. Stephani Regis faceret redimiri (37): quod Legatus viriliter ad effectum perduxit [38], Magnatibus Hungaris ad id inductis, qua officiis, quà monitis, & quà Censurarum comminatione (39). Papa idem deindè commisit precario jure Roberto Neapolitano Regi, Romandiolæ regimen, ut eam Provinciam potentia regia in Sedis Apostolicæ obedientia contineret (40). Rex vero ad eam gubernandam subdelegavit Nicolaum Caracciolum: qui anno 1309. veniens Cæsenam, ingressus est per portam Ravennianam, vulgò *della Trova*, numeroso, ac splendido exceptus occursu (41): reseditque ut plurimum in ea, totam inde ipsam Provinciam administrans (42).

9 Præcesserat eodem anno, ac in ipsamet urbe, gravis commotio adversus Ghibelinos, non sine luctuosa hominũ cæde, ac depredatione domorum: de qua in Annalibus Cæsenatibus (43). Similisque tumultus ibi contigit anno 1314 sic descriptus in Chronico Mutinensi: *Commotio fuit in civitate Cçsenç, & multi mortui fuerunt, & expulsi &c. D. Vaninus de Polenta, qui tunc erat Potestas, fuit amotus ab officio, & fuit factus tunc Potestas Malatestinus de Malatestis* [44]. Exitiales illæ factiones Guelphorum, & Ghibelinorum, hinc inde sibi ferociter adversantium, omnia tunc

(33) *Spondan. ann. 1305. n. 6.*

[34] *Annal. Cæsen. sub an. 1305.*

[35] *Raynald. eod. anno n. 12. & 13. Spondan ipsomet an. n. 6*

[36] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 11. f. 454.*

[37] *Raynald. anno. 1308. n. 15.*

(38) *Bonfinius Dec. 2. lib. 9.*

[39] *Spondan. ann. 1308. n. 4.*

(40) *Raynald. anno 1310. n. 18.*

(41) *Chron. M. S. Cæsen. pag. 184.*

(42) *Clarami. lib. 12. f. 468.*

[43] *Annal. Cæsenat. anno 1309.*

[44] *Chron. Mutinens. an. 1314.*

implebant odiis, cædibus, & ruinis.

10 Deindè ipse Rex Robertus eandem Provinciam regendam commisit Didaco de Larat: qui anno 1317. Cæsenam venit cum uxore, ac filiis, moram faciens in veteri Episcopio, tùnc sito intrà Muratam (45). Et quoniàm Forolivienses duce Francisco Ordelapho ab illius obedientia descriverant: Castroque Rontæ agri Cæsenatis occupato, centum inde milites captivos duxerant; Didacus militiæ Cæsenatis, alienæque phalangibus roboratus, Forolivium obsedit, & postmodùm pax inita est inter ipsum Didacum, & Cæsenates ex una parte, ac Forolivienses ex alia (46) Paulò post Joannes PP. XXII. loco Roberti Regis, Romandiolæ præfecit Aymericum de Castro Lucio: Et hic Cæsenam advenit anno 1320. ingenti honore ibidem exceptus: in Annalibus nostris appellatus *Vir sagax, & ingeniosus, & in utroque Jure magister* (47).

11 Anno quoque sequenti, vel 1322. Cæsenam se recepit Romeus Pepulus, civis Bononiensis, ditissimus æque, ac potentissimus, à patria depulsus: constititque nostra in urbe, donec militia Cæsenate, atque Ferrariense suffultus ad Bononiam occupandam accessit, irrito tamen effectu (48). Memorat idipsum S. Antoninus (49). Et Joannes Villanius ait, militiam equestram Cæsenatum a Romeo conductorum, fuisse 400. bellatorum. Indè subdit, quod anno 1324. Ghibelini Romandioli, & Picentes, à militibus Aretinis, ac Tiphernatibus adjuti, proditorioque ingressu Cesenam occupare connixi sunt, licet in cassum: quippè Cæsenates, magno damno affectos invasores, à suis finibus pepulerunt [50]: & indigenas invasionis complices suppliciis gravissimis affecerunt (51).

12 Aymericus deindè Provinciæ Rector magnis sumptibus construxit, seù melius restauravit, & renovavit Arcem veterem Cæsenæ [ibi tunc sitam, ubi nunc adsunt Ecclesia, & Conventus Fratrum S. Francisci de Paula, circumpositæque illis adiacentiæ: conditam à remotissimis usque sæculis, & successivè à Gothis, Longobardis,

atque

[45] *Annal. Cæsen. anno 1317. Chron. M. S. Cæsen. pag. 187.*

[46] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 12. fol. 487. Annal. Cæsen. anno 1316.*

(47) *Idem Claram. fol. 494. & 496. Annal. Cæsen. an. 1319.*

(48) *Ghirardat Histor Bonon. sub an. 1320.*

(49) *S Antonin. p. 3. tit. 21. c. 5. §. 3. f. 307.*

(50) *Villan. Histor. Florent. lib. 9. cap. 150. & 266.*

[51] *Annal. Cæsenat. sub ann. 1324.*

3 Florebat itèm tunc literis, doctisque viris nostra Civitas. Etenim *Joannes Anguisciola* Cæsenas, vivens anno 1300. Jus Pontificium ingenti cum laude apud Patavium docuit: scripsitque de Protestationibus (10). Adde *Realem Canonicum* auctorem pro majori parte Annalium Cæsenæ [14]: nupèr impressorum sub titulo Anonymi Cæsenatis (12): quem Historicus quoque noster Claramontius commendat [13]. Sed & *Lampertinus de Ramponibus* legali doctrina conspicuus, per hæc itèm tempora claruit, de quo Trithemius; & scripsit super Codicis libr. 9. (14). Alios insupèr indigenas eruditione spectabiles, possemus huic indiculo inserere: sed non est necessarium omnes prorsùs enumerare.

4 Insupèr & præerat Ferrariæ *Antonius de Cæsena*: cujus adhuc superest sententia judicialis, anno 1309. promulgata, mandans immitti familiam Salinguerræ Torelli, olim dominantis ipsimet urbi, realem in possessionem bonorum pridem pertinentium ad familiam de Traversaris (15). Itidèm *Raynaldus de Cinis* Cæsenas erat Potestas Patavii: hujusque incolumitati profuit, quando Canis Scaliger, cognomento magnus, Toparcha Veronensium, gravi exercitu tentavit, perperàm tamèn, Patavinam sibi subiicere civitatem (16). Civis paritèr quidam Cæsenas, vocatus *Cæsenelius*, rexit urbem Fani, eamque sapientèr, ac providè gubernavit, donec vixit, infelici tandèm fine sublatus (17). Nec multò post *Riguccinus Cæsenas* præclaro Magistratu functus est apud Florentiam. Et *Franciscus Tibertus* præfuit Mantuæ, munus ibi Potestatis exercens [18].

5 Et quòad res nostræ Civitatis, initia hujusmet sæculi parum fausta fuerunt. Nàm anno 1302. in ejus ruinam proditoriè conspiravit Mazolinus de Mazolinis Brixiensis, Prætor simul, & Præfectus armorum, seu Capitaneus Cæsenæ (19). Quo clam adnitente, Fridericus de Monte Feretro, & Ugucio de Fageola, paulò pridem ex-

Hh pul-

[10] *Guid. Pancirol. de clar. Leg. Interpret. lib. 4. cap. 18.*
(11) *Clementin. Hist. Arimin. p. 1. lib. 4. fol. 464.*
[12] *Murator. Rer. Italicar. tom. 14.*
[13] *Claram. Histor. Cæsen. in Epist. nuncup.*
[14] *Menzon. Chronol. Cæsen. fol 146.*
[15] *Difesa 1. di Comacchio pag. 397 n. 3.*
[16] *Murator Rer. Ital. to. 8. fol. 436. & to. 14. f. 1143.*
[17] *Annal. Cæsenat. sub ann. 1321.*
[18] *Claram. lib. 15. fol. 693 & 694.*
[19] *Item Claram. l. 11. fol. 433.*

illum minimè cognovisse, sed reputasse virum ignotum obambulantem vagatione nocturna); tamèn nec percussionum acerbitate oppressus obivit, nec injuriæ vilipendio pudefactus abscessit: sed contumelia dissimulata vicum ipsum destruxit. Quod accidit circà æræ Christianæ annum 1340. (62). Effigies Francisci Ordelaphi est quæ subsequitur. [62] Chronic. M. S. Cæsen. fol. 48. & 99.



17 Anno sequenti Thaddeus de Pepulis Bononiensis Ubertinus de Carraria Patavinus, & Marchio Estensis de Ferraria, ex condicto militares copias instruxerunt, ut opprimerent Ordelaphum: postque triduanam moram factam in comitatu Forolivii, Cæsenam appulerunt: quam & repentino adventu ingressi sunt per portam Ravennianam, vulgò *della Trova*: sed citò indè fuerunt virili prælio repulsi, *equis multis, & hominibus ipsorum interfectis, & captis* (63). Idipsum successivè tentavit Armingo Rector Pontificius Romandiolæ, qui anno 1344. bellicarum copiarum repentina immissione Cæsenam per suburbium in- (63) Annal. Cæsenat. sub an. 1341. Claram. fol. 571.

intravit: victusque haud moraa discessit, procedens indè Taipanum per decem dies (64). Mox ad vastandum agrum Forolivii. Verum *antequàm Faventiam pervenirent, à Foroliviensibus funduntur: quod & à Cæsenatibus etiam illis contingerat* (65).

[64] Idem Annales Cæsenat. sub an. 1344.

[65] Hieron. Rubeus Hist. Raven. sub an. 1344.

18 E converso verò societas equestris ter mille Teutonicorum, quorum Capitaneus erat Dux Guarnerius, ab Ordelapho accersita, ut agrum Ariminensem in odium Malatestæ ibidem dominantis, vastaret: postquam ibi fere per mensem commorata est (66), ubi & magnum intulit damnum, & multos homines interemit; cum audisset Bononia novisse Joannem Thaddęi de Pepulis bellatoribus instructum, qui eam armis pulsarent; *recedens de loco, ubi erat in districtu D. Malatestę de Arimino, ivitque ad hospitium in burgis civitatis Cęsenę pro majori securitate*. Ita Chronicon Estense, memorans quoque, quod Thor de Panico, multique Bononienses per Etruriam extorres, nisi fuissent impediti, *volebant ire Biblenam, & deinde Cęsenam in dicta maxima societate*; cujus auxilio sperabant se posse patriam recuperare, a qua fuerant expulsi (67).

(66) Chron. Riminen. anno 1342.

[67] Chronicon. Estense sub anno 1342.

19 Ex tunc Franciscus Ordelaphus detentor Cæsenæ, Vicos ipsimet urbi proxime adhærentes, alio nomine suburbia, & vulgò *li Borghi*, muris validis circumcinxit, ut unum, & idem corpus facerent cum parte superiori civitatis dictæ *la Murata*. Hæcque continebat, ut fertur, illud spatium, quod complectitur situm Arcis novæ, ac veteris, ulterius adhuc productum per collem Garampeum: Situm item Ecclesiæ S. Ioannis Evangelistæ, tunc Cathedralis, cum proximis illi hortis, & antiquo Episcopio, ac domibus Canonicalibus: Necnon situm, quem occupant ædes Thesaurarii, & magnum palatium prætoriale: situm denique, atque hortus, à colle Cœnobii Minimitarum diffusos versus mansiones familiæ de Fracassis.

20 Intrà hunc districtum (dictum *la Murata*, quià muris erat obductum, & mæniis castrensibus communitum) tunc mansionibus, & populo plenum, commorabantur tàm-

atque ab Imperatoribus Fridericis I. & II. pluries passam obsidiones, oppugnationes, & vastationes: inde restructam, vallis roboratam, turribusque, aggeribus, & propugnaculis communitam: quam paulò ante populus Cæsenas diruerat, seu enervaverat, quando expulit urbe Fridericum Feretranum, satagentem ipsam opprimere]: Rector, inquam, eandem arcem restauravit, & renovavit, atque ad habitandum in illa se recepit [52]. Penè sola namque Cæsena inter civitates Romandiolæ, tunc fide in obsequio Summi Pontificis consistebat: reliquæ verò, qua vi, qua spontè, suis tyrannulis obtemperantes, nonnisi verbo tenus Pontificio dominio deferebant (53).

13 Venit interim in Italiam Ludovicus Bavarus, qui se pro Imperatore gerebat, Papa reluctante [54]. Tunc Factio Ghibelina Cæsareæ parti favens, tale sumpsit incrementum, ut super Guelpham Papæ adhærentem validius prævaleret. Omnesque Civitates erant plenæ luctuosissimis hisce Factionibus, quæ usque ad mutuum exterminium discordias nutriebant. Easdem supprimere studuit Rector Provinciæ apud Cęsenam, huc anno 1332. revocans, & introducens *omnes, tùm Guelphos, quam Ghibelinos, qui extrà dictam Civitatem fuerunt expulsi &c. cum beneplacito omnium aliorum civium, & magno gaudio, & honore* (55). Sed quoniàm dissimilium infida solet esse societas; citò evanuit præconcepta spes quietis, & uniformitatis animorum utriusque Factionis.

14 Nàm Ghibelini Cęsenates anno 1333. prępotentèr invalescentes, in id incubuerunt, ut patria sè sè obsequio Pontificio subtraheret. Guelphi è converso conatum oppositę partis impedire connixi ab adversariis de civitate pulsi fuerunt (56). Officialibusque Legati Pontificii, ac civibus quamplurimis id improbantibus usque ad numerum 180. sèsèque ad tutamen recipientibus in arce pręfata, reliqui Cęsenates illos obsidione cinxerunt. Qua rè audita, ipsemet Legatus misit sex millia peditum, & duo millia equitum, ut vel civitatem expugnarent, vel saltem con-

[52] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 12. f. 517. Annal. Cæsenat. ann. 1309. & 1327 Chron. M. S. Cæsen. f. 194.*

(53) *Idem Claramontius fol. 522.*

(54) *Odoric. Raynald. ann. 1327. num. 8.*

(55) *Annal. Cæsenat. ann. 1332.*

(56) *Chronich. M. S. Cæsen. ann. 1333. fol. 196*

tamquàm in tutiore loco familiæ præcipuæ Cæsenates illorum temporum, Ramberti, Mazolini, Ghelli, Tyberti, Hippoliti, Sgaruglini, Vestardi, & alii, quorum longa esset enumeratio. Hunc autem ipsum districtum Ordelaphus adhuc magis munivit vallis, aggeribus, erismatibus, & operibus fortificationis bellicæ, ad modum amplioris fortalitii, ut & ab internis civium seditionibus, & ab externis hostium invasionibus, tyrannicæ suæ præpotentiæ consuleret (68). Ipse interim in antedicta superiori arce, fulta numeroso præsidio militari, permanens cum sua uxore, atque familia.

(68) Chron. M. S. Cæsen. fol. 47. & 199

21 Ibi anno 1347. & iterum triennio post, excepit splendidissimè hospitio Ludovicum I. Hungariæ Regem, prius Apuliam adeuntem, ac ab ea postmodùm redeuntem (69) occasione ulciscendi mortem Andreæ fratris suis dolo propriæ uxoris Ioannæ I. Neapolis Reginæ, ut ferebatur, nequissimè strangulati (70). Sed & Robertum Tarentinum, aliumque Robertum, & Ludovicum Dyrachienses, Regiæ Neapolitanæ sobolis Principes, in culpam dictæ cædis vocatos (& idcircò in Hungariam abductos, atque ad tempus detentos, quando demùm libertate donati ad patriam Neapolim redierant) per Cæsenam transeuntes ingenti pompa idem Ordelaphus anno 1353. hospitio recepit (71) Cujus item filius Ludovicus de Ordelaphis Potestas Cæsenæ, ibidem die 1. Ianuarii anno 1356. ex hac vita migravit, delatus inde Forolivium, & ad Fratres minores honorificè tumulatus. Quo anno & idem Franciscus Ordelaphus Collem Spatianum imminentem Cęsenę, ac Montem S. Marię appellatum, fecit munitioribus militaribus constipari: *ipsumque locum Ecclesię, & Monasterium ut Castrum cum magnis fossis, & palatis in fortalitiam deduci* (72).

(69) Claram. Hist. Cæsen. l. 13. f. 579. & 388

(70) Odor. Raynald an. 1347. num. 12.

(71) Annal. Cæsenat. ann. 1353. Claram loc. cit. f. 589.

(72) Idem Annales Cæsenat. ann. 1356.

22 Miserat interim Innocentius PP. VI. in Italiam Legatum Apostolicum *Ægidium Carillam de Albornoz Cardinalem*, & Archiepiscopum Toletanum, virum inclytum, strenuum, & magnanimum, ut provincias, ac civitates

ditionis Ecclesiasticæ, à tyrannis usurpatas recuperaret. Exigit autem æquitas,& gratitudo,ut magnanimi hujus herois intuenda exhibeantur lineamenta vultus [73] in præsenti opere: Quippè ipse Cæsenates peculiari affectu,& favoribus est prosecutus, prout successivè narrabimus.

(73) *Ritratti, & Elogi &c. fol.51.*



23 Præclaro isti Cardinali, sacrorum simul Antistiti, ac militum Ecclesiæ defensorum ductori, *erat in more primo Censuris agere, & ubi hę nihil operarentur, tunc arma inferre* (74). Illi pro recuperanda Cæsena opem, tametsi negativam, tulit etiam Carolus IV. Imperator, audientiam denegans Ordelapho, ipsum Pisis interpellanti, ut præsidium Cæsareum obtineret, pro retinendis ditionibus occupatis (75). Citaverat paritèr eundem tyrannum Ordelaphum Papa, ut coram illo compareret, ad respondendum de Fidè, propter Censuras contemptas in ipsum latas (76) Legatus ergò Carilla instructo exercitu,& apud Ariminum ore Archiepiscopi Ravennatis promulgata *Cruciata*, propositis Indulgentiis, atque gratiis pugnantium pro Terra san-

(74) *Spondan. ann.* 1354. *n.* 16.

(75) *Villan. Histor. lib.* 4. *cap* 43.

(76) *Herric. Spondan. loc. citat.*

sancta contra detentorem Cæsenæ, hanc civitatem suis copiis obsedit [77].

24 Obsedit, inquam, anno 1356. sed non expugnavit. Prævidens namque Ordelaphus imminentem obsidionem Cæsenæ, hujus defensionem commisit *Marciæ*, vulgò *Ciæ*, uxori suæ, filiæ Ioannis, vulgò *Nanni*, de Susinana, fœminæ virilis animi, & numeroso præsidio equitum, atque peditum communitæ (78). Quæ missum à Cardinali Galeotum Malatestam Confalonerium Ecclesiæ, ac Ducem exercitus Legatitii, strenuè per trimestre sustinuit: donec is obsidione soluta recessit, nè congredi cogeretur cum copiis Comitis Landi, jam jam irreparabiliter superventuris in adjutorium Ordelaphi (79) Sed & eadem bellicosa mulier, sentiens appropinquasse Cæsenæ, ut illam invaderet Comitem Carolum de Dovadula cum duobus filiis Conticini Glageolani, multaque militia, depredante circumpositum territorium; *conscendit armata equum, & militibus excitatis, suoque exemplo animatis, est in prædatores profecta, ac consequuta tanta virtute eos perculit, ut tandem vicerit* (80): captis filiis Conticini; & ipso Comite sic vulnerato, ut paulò post interierit (81).

25 Anno sequenti die 29. Aprilis Cæsenates armis captis contra Ordelaphum tyrannum, & clamantes, *Vivat Populus, & Sancta Ecclesia, violenter D.Ciam uxorem Francisci de Ordelaphis, tunc dictæ civitati dominantem, Sinibaldum eorum filium, Joannem, & Thebaldum filios quondam D.Ludovici de Ordelaphis, cum omnibus stipendiariis equitibus, & peditibus, & aliis suis sequacibus, intrà Muratam viriliter retruserunt* (82): & mille quingentos milites equestres Pontificios in inferiorem Cęsenæ civitatem admiserunt (83). Quo audito Cardinalis Ægidius, tunc parlamentum generale celebrans apud Fanum, statim universum suum exercitum, duce Galeoto Malatesta, misit Cæsenam, ut cænobium S. Mariæ de Monte, ad formam castri ut supra redactum, expugnaret, ac Muratam obsidione vallaret. Moxque idem Cardinalis illùc accessit die

[77] *Chronich. Rimines ann. 1356. Villan. Histor. lib. 6. cap. 14. Chron. M. S. Cæsen. f. 250.*

(78) *Matth. Villan. Histor lib. 7. cap. 36.*

(79) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 13. f. 600. M. Villan. Histor. lib. 6. cap. 46. 51. & 70.*

(80) *Idem Claram. fol. 598.*

[81] *Matth. Villan. Histor lib. 7. cap. 77.*

(82) *Annal. Cæsenat. anno 1357.*

(83) *Matth. Villan. Histor lib. 7. cap. 58.*

die 10. Maii, & stationem in dicto Monasterio suscepit (84).

26 Misit ad eum Nuntios Respublica Florentina, ut pacem cum Ordelapho confereret, relicta ei Cæsena, saltem feudali titulo: quod Legatus concedere detrectavit (85). Invalescenteque obsidione, demùm die 27. Maii *Gens Ecclesię, & ejus stipendiarii, pedites, & equites, qui fuerunt in summa 180. Banderię, cum omnibus Cęsenatibus, & Malatestis &c. Muratam &c. viriliter expugnarunt* (86) Tunc Cia, depredatis prius domibus ipsiusmet Muratæ, sèsè cum spoliis ipsis, & 400. militibus, qui ei superfuerant fideliores, in Arce Civitatis retraxit, ac tutam fecit (87). Illam ibi obsedit exercitus Ecclesiasticus: quam & alloquendam, annuente Legato, adivit Joannes de Susinana illius pater; sed nullis monitis, nullis rationibus, nullis officiis ipsam suadere valuit, ut cedens adversæ fortunæ, rebusq. jam desperatis, & ad extrema redactis, ultrò se dederet victori Legato (88). En Icon referens hanc bellicosissimam fæminam, benignè nobis à pręclaro D. Comite Ubaldino Tiphernate, Apicularum Domino, communicata.

(84) *Idem lib. 7. c. 59. Cronic. Rimines ann. 1357.*

(85) *Ipsemet Villan lib. 7. cap. 67.*

(86) *Annal. Cæsenat. anno 1357.*

[87] *Cronic. Rimines ann. 1357. M. Villan. lib. 7. cap. 68.*



27 Vi-

27 Virilis igitur animi hæc mulier imperterrita se, suos, & viri sui iura, in eadem arce clausa defendit usquequò potuit: donec machinarum bellicarum ope dirutis aggeribus, & vallis Arcis: ac taliter suffosso per cuniculos præcipuo, atque magis valido propugnaculo, ut jàm ejus fundamenta nonnisi sublicis ligneis insiderent, ruiturum; ac defensores ipsos protinus oppressurum, cum trabibus illis admoveretur incendium (89); Cia tandem subsidia recipiendi spè destituta, honestis conditionibus captivam se dedit Legato, de tanta fæminæ strenuitate acto in stuporem (90). Contigit hoc die 21. Junii 1357. qua legitur in Annalibus nostris, *D. Cia de Ordelaphis Castrum Cæsenæ D. Ægidio Cardinali prędicto liberè reddidit, quia plus illud defendere non poterat. Ipsa cum filiis, & nepotibus suis in carceribus dicti D. Cardinalis ex pacto penitùs remanente* (91): qui eandem navigio impositam, traduxit in arcem Anconæ, ibi ex tunc honorificè custodiendam (92).

28 Capta civitate, Cardinalis Ægidius Cęsenam intravit sumptuosissimo exceptus honore: ac illam inposterum speciali benevolentia prosecutus est: ædificans ibi vastum illud Palatium Prætoriale, quod adhuc viget, supereminens plateæ majori, ac superinsidens magnis arcubus, qui publicam porticum ambulatoriam tegunt à parte anteriori. Solebat ibidem ipsemet frequentius residere (93). Cæsena discessit die 3. Augusti 1357. ut iret Britinorum, quod se illi subdiderat, & Cæsenam indè redivit. A qua iterum discessit die 9. Septembris, ut iret Faventiam. Et mense Decembris, vi frigoris ingentis adactus, è castris militaribus Cæsenam rursus redivit. Cæsenæ item die 25. Februarii 1358. admisit coram se Malatestam, ex aula Pontificia redeuntem, cum literis mandativis, ut quædam loca districtus Ariminensis illi darentur (94).

29 Apud Cęsenam quoque idem Cardinalis Ægidius Legatus Apostolicus se recepit, ut vim declinaret hostilem phalangium Comitis Landi Legatitiis copiis prelium illaturi (95). Qui & in eadem civitate aliquandò excepit hospitio

(88) *Idem Villanius Histor. lib. 7. cap. 69.*

(89) *Claram. lib. 13. f. 606. & c. Villan. loc cit. lib. 7. c. 77.*

(90) *Cron. Riminés anno 1357. M. Villan. lib. 7. cap. 77.*

(91) *Annal. Cæsenat. anno 1357.*

(92) *Odor. Raynald. anno 1357 num. 6.*

(93) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 14. f. 610. & 626.*

(94) *Cronic. Rimines anno 1377. & 1378.*

(95) *Matth. Villan. Histor. cap. 79. 80. & 83.*

tio

tio unà simul tres totidem Regum Oratores, Galliæ, Angliæ, ac Cypri, tractaturos de pace concedenda Barnabę Vicecomiti factioso, & præpotenti Dynastę per Insubriam: cujus exercitus fractus fuerat, & Ambrosius filius captus in bello, atque in Cæsenati fortalitio detrusus (97). Audi Blondum: *Ægidius Legatus in Italiam reversus &c. accessit Cæsenam, in qua urbe Palatio prima Legatione, & Arce insigni sè sè ornata, plurimum diversatus est. Ad finem vero quarti suæ Legationis mensis, Francorum, Anglię, & Cypri Regum Oratores, agentem Cęsenę Ægidium adierunt &c.* (98).

(97) Claram. loc. cit. f. 033.

[98] Blondus Decad. 2. l. 10.

30 Hic sanè de pace præfata fuit habitus tractatus: & hic quoque citò Scaliger Veronæ, Carrariensis Patavii, & Estensis Ferrariæ Toparchæ, fædus per suos delegatos cum Ægidio Cardinali sancierunt contra ipsum Bernabam, aliosque Vicecomites agnatos ejus, Mediolano dominantes (99). Cæsenæ namque hoc fædus initum fuit: de quo in patriis Annalibus nostris legitur: *Anno 1362. die 31. Julii. Sapiens vir D. Joannes dè Senis Legum Doctor, Consiliarius R. D. Ægidii Sabinensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati &c. Qui ex immensis laboribus quos sustinuit circa Colligationem denuò factam contra Vicecomites de Mediolano, pluribus diebus Cæsenę magna infirmitate stetit gravatus; pro sua recreatione, & consolatione venit ad locum Fratrum Minorum, vocatum* la Fratta (100).

(99) Odor. Raynald. anno 1302. num. 1.

(100) Annal. Cæsenat. sub ann. 1362.

31 Inter alia benevolentiæ testimonia, quibus præclarus iste Cardinalis Legatus prosecutus est Cæsenates: unum fuit, quod in eorum Civitatis Insignibus, vulgò *l'Arma*, seu *l'Impresa della Città*, insererent Sinichium, sive Papilionem cum duabus clavibus decussatis, & colligatis, aurea una, argentea alia, quæ sunt symbolum, ac tessera representans Summum Pontificatum: ut per hoc signum hieroglyphicum, phrenoschemati publico adjectum, fidelitas populi Cæsenatis ad Sedem Apostolicam intuentium oculis apparerent (101). Cernuntur adhuc in magno sigillo ejusmet Civitatis, per plurium sæculorum antiquitatem præ-

(101) Cron. M. S. Cæsen. f. 57.

præseferente, cælatura scalpri affabrè insculptæ, prædictæ duæ magnæ Claves decussatę cum superapposito Papilione Pontificio, Stemma Cæsenas implentes decore. ac perennè monumentum exhibentes constantis, enixiusque probatæ fidelitatis præfatæ.

32 Profectò Legatio Italica Cardinalis Ægidii bis repetita fuit (102): in quarum prima quadriennali, Tyrannos quamplurium Civitatum ditionis Ecclesiasticæ abiecit: Proviucias Romanam, Patrimonii, Marchiæ Anconitanæ, ac Romandiolæ acquisivit: Cæsenam, & Britinorium armis expugnavit, & Forolivium reliquit obsessum [103]. De illo in Chronico Placentino dicitur: *Probissimus, & in facto armorum mirabilis fuit: vicesies, & bis inimicos S. Matris Ecclesię bello campestri superavit, & in nulla pugna victus fuit, ac mirabilia de ejus factis possent enarrari &c. In paucis annis quasi totam Campaniam, Vallem Spoletanam, Patrimonium, Marchiam Anconitanam, & Romandiolam dominio S. Petri adjecit: quod fuit valde stupendum* (104). Obiit apud Viterbium anno 1367. meritis, & laudibus cumulatus (105). Cujus corpori apud Assisium deposito, cum deinde Toletum transferretur, multa obsequia fuerunt à Christi fidelibus exhibita (106). Et ipse Rex Castellæ Henricus pie humeros feretro, ejus ossa continenti subapposuit [107].

33 Cæsenates eidem Cardinali tamquàm benefactori, & benevolo, publicis sumptibus parentalia celebrarunt [108]: quibus ut in multis aliis, ita & in hoc, quod sequitur, noscitur profuisse. Sub illo militabat numerosa phalanx equestris Hungarorum (quos miserat in Italiam illorum Rex Ludovicus I. à Papa deputatus Dux supremus exercitus Pontificii contra occupatores ditionis Apostolicę Sedis) Ipsi autem turmæ militari Cardinalis Ægidius dedit stationem apud Cæsenam (109). Qui cum inhonestatibus, latrociniis, conviciis, ac indesinentibus excessibus odium in se publicum concitassent; Cæsenates demùm ruptis patientiæ nervis, arma sumpserunt anno 1360. & una die

50.

[102] Raynaldus anno 1353 n. 1. & anno 1358. num. 1. & 2.
[103] Matth. Villan. Histor. lib. 7. cap. 100.
[104] Chronic. Placentin. an. 1353. in tom. 16. Rer. Italic.
[105] Odor. Raynald. ann. 1367. num. 15.
(106) Menoch Tratt. Erudit. tom. 3. cent 9. cap. 69.
(107) Marian Hist. Hispan. lib. 17. c. 17.
[108] Claram. Histor. Cæsen. lib. 4 f. 638.
(109) Raynald ann. 357. n. 6.

50. ex ipsis Hungaris trucidarunt. Horumque sociis Civitatis nostræ minitantibus exterminium, Cardinalis Ægidius tum blandis verbis, muneribus, & auctoritate illos mulcere curavit: tùm capitali punitione, ac eversione domorum aliquot Cæsenatum, qui fuerant auctores præfatæ cædis, Hungaros furentes compescuit, & Cæsenam ab imminentis excidii periculo liberavit (110).

34 Infeliciorem verò exitum paulò post habuit simile dissidium inter ipsos Cæsenates, & stationarios milites Britannos, qui proditoria, & horribili laniena, Cæsenam ferè penitus desolarunt anno 1377. Quo & Gregorius Papa XI. Avenione Romam redivit cum Apostolica Sede, pridem ferè per annos 72. in Galliam detenta (111). Ad quem afflicti Cæsenates passum infortunium detulerunt: at ab eo dispendiis, calamitatibus, & subditarum urbium defectionibus agitato (112); adeoque subsidiis ipse indigente, nonnisi sensus compassionis elicuerunt. Nihilominus oratores à consuetis oneribus tributariis exemit: & literis datis ad Joannam I. Neapolis Reginam, atque ad Rempublicam Venetam: necnon ad Galeotum Malatestam Arimino, & ad Polentanum Ravennæ dominantes imploravit, ut Cæsenatibus ipsis credita pecunia, sub congruæ cautionis tutamine opitularentur; qua hi possent suis necessitatibus providere [113]. De præfata scelestissima cæde Cæsenatum, dicta vulgari sermone *il Sacco de Bretoni*, fusè agitur in nostris Diatribis Cæsenatibus (114), quas lector poterit perlustrari.

(110) *Scip. Claram. l. 14. fol. 629.*

[111] *Spondan. ann. 1377. n. 1.*

(112) *Odor. Raynald. anno 1376. an. 10. Spondan. loc. cit. n. 2.*

[113] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 14. f. 663. & 665.*

[114] *Brasch. Diatrib. Cæsenat.*

CA-

CAPUT XXII.

Ecclesiasticæ res ad Cæsenam pertinentes, tempore permanentiæ Sedis Apostolicæ in Gallia.

SUMMARIUM.

1 *ODdo III. Burgundus: deindè Leonardus III. fuerunt Episcopi Cæsenæ. Ac nonnulla de hoc ultimo.*

2 *Joannes Ricciardellus per compromissum electus Episcopus Cęsenas. Adfuit bis Concilio Provinciali.*

3 *Diploma contulit suis Canonicis. Imaginem B. Virginis ad Montem transtulit. Gerardus ejus Successor.*

4 *Thomas de Murro Episcopus fit Cęsenę. Nova Ecclesia S. Jacobi Portus Cęsenatici erigitur.*

5 *Ambrosius pręficitur Ecclesię Cęsenati. Joannes de Cęsena per hęc tempora erat Episcopus Tiburtinus.*

6 *Floruit & B. Bartholomęus Cęsenas, Ordinis Servorum B. Virginis.*

7 *Pręclara illius opera, & vitæ sanctitas in Annalibus Servitanis commendantur.*

8 *S. Rocchus permansit Cæsenę, serviens pauperibus decumbentibus in hospitali.*

9 *Quo tempore floruerit. Cęsenam ab epidemia liberavit; Ecclesia ibidem ejus nomini erecta.*

10 *Franciscus Brevia infulis potitur Episcopalibus Cęsenæ: Lector fuit Patavinus, & Rotę Auditor.*

11 *Joannes Baptista Acciajolus pręficitur Ecclesię Cęsenati. Expelli curavit Ordelaphum tyrannum.*

12 *Hic verò Episcopum de sua Sede abjecit: & Canonicos quoque de antiqua Canonica Cathedralis fecit abire.*

13 *Theodoricus de Faventia Ordinis Prædicatorum Episcopale munus exercendum assumpsit.*
14 *Bernardus Martellinus locum implet prędefuncti Episcopi Theodorici.*
15 *Origo Abbatię Conventualis Monachorum Cælestinorum apud Cęsenum.*
16 *Bonfilius Minorita Cęsenas suis prędicationibus contrà hæreticos in Hungaria profecit.*
17 *Gulielmus Mirolus prępicitur Ecclesiæ Cęsenati, postposito Mario Tyberto per Capitulum electo.*
18 *Innocentius PP. VI. confirmat Capitulo Cęsenati omnes gratias, libertates &c., quibus potiebantur.*
19 *Ordelaphus tyrannus vexat Ecclesiam Cęsenę. Ac Cia ejus uxor comburi facit Episcopium.*
20 *Vitalis Cęsenas: deinde Bencivennus Bononiensis in solio Episcopali successivè sedent.*
21 *Lucius de Callio Episcopali fulget bonore apud Cęsenam: ad Volaterranam indè translatus Ecclesiam.*
22 *Androinus Legatus Apostolicus prędicari facit Cruciatam contrà Ordelaphum, solitum talia contemnere.*
23 *Impietates hujus impii tyranni hominis contrà Censuras Ecclesiasticas, & Cruce signatos.*
24 *Fr. Michael de Cæsena Minorita doctus. Inobedientia ejus in Pontificem.*
25 *Fratres Servitę in Capitulo generali Cęsenę mandant servari Interdictum, quod Fr. Michael contemnebàt.*
26 *Tenor decreti dictorum Fratrum Servitarum de Interdicto Pontificio servando.*
27 *Enunciantur plures Cęsenates Episcopali dignitate, aliterve insignes eo tempore.*
28 *Lucius Sabellus, inde Aloysius, Episcopi Cęsenę. Petrus Calice Archiepiscopus Ragusinus.*
29 *B. Benignus Malatesta Cæsenas Monachus Vallis Umbrosę claruit vitę probitate.*
30 *Duæ familię de Malatestis fuerunt Cęsenates, una Ordinis Magnatitii, & alia Equestris.*

Leo-

1 Leonida Cæsenæ Antistite defuncto, ejus locum anno 1303. implevit *Oddo III. Burgundus Episcopus LV* quem ferunt adstitisse Benedicto PP. XI. in munere Secretarii (1); Oddoni quoque deindè, viam universæ carnis ingresso, subrogatus fuit *Leonardus Episcopus LVI.* [2]. Hic Synodum Diæcesanam habuit in Episcopio anno 1309. In qua inter cætera, tres Ecclesiasticos deputavit [nempè Ubertum Rectorem S. Crucis Canonicorum Regularium, Realem Canonicum Cathedralis, & Bartholomæum Archipresbyterum Plebis Montis Regalis) ut suo, & Synodali nomine interessent Concilio Provinciali, ab Archiepiscopo Ravennæ properè indicto (3). Ipsi Leonardo Clemens PP. V. dirimendam commisit causam vertentem inter Uguccium Episcopum Sarsinæ, ac quosdam occupatores Castrorum illius mensę. Obiit circa Christi annum 1311. (4).

(1) *Ughel. Ital Sacr. to. 2. in Episc. Cæsen.*
(2) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 26.*
[3] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 11. f. 459.*
(4) *Idem lib. 12. fol. 456.*

2 Successor biennio post ei accessit *Joannes III. de Ricciardellis Episcopus LVII.* ex oppido Caminate, pridem Canonicus Cæsenæ, ac Præpositus Arimini Cathedralium [5]. Cujus electio prodivit per compromissum cum beneplacito Metropolitæ Ravennatis. Nam quoniàm Canonici Cæsenates diù inter se discordes, in nullum conveniebant; compromiserunt deniquè in Gulielmum, & Bulgarum Canonicos, atque Christophorum Abbatem Cænobii S. Laurentii in suburbio Cæsenate, ut quem illi nominassent, ipse Pastor Cæsenatis gregis evaderet [6]. Interfuit Joannes Concilio Provinciali Ravennatensi, convocato in Ecclesia S. Nicolai oppidi Argentæ anno 1314. cui & subscripsit (7). Ac triennio post iterùm adfuit alteri Concilio Provinciali, habito in Ecclesia Bononiensi [quę tunc non erat Metropolitana, sed suffraganeą Metropolitæ Ravennatis) ab ipsomet Raynaldo Archipresule Ravennæ (8). Quo etiam suggerente promulgari fecit in Ecclesia Cæsenæ anathema, latum à Joanne PP. XXII. contra Fridericum Montefeltrium, ejusque filios, propter occupationes, & direptiones locorum ad Sedem Apostolicam pertinentium (9).

[5] *Manzon loc. cit. fol. 27. & 38.*
[6] *Hieron. Rubeus Hist. Raven. sub anno 1313.*
(7) *Labbè t. 11 Concil f. 1004*
(8) *Claram. lib. 12. f. 490.*
(9) *Ex Rubeo præfato idem Claram. f. 497*

 3 Ad

3 Ad hæc Joannes amplissimo diplomate confirmavit Canonicis suæ Cathedralis indulta omnia, gratias, & prærogativas, eisdem præcedentèr concessas per alium Joannem, Ugonem, Oddonem, Leonardum, Letonem, Oddonem II. Manzinum, Michaelem, & Aymericum antecessores Episcopos: ut ex pagina privilegii, editi die 5. Martii 1315. (10). Sed & anno 1318. Imaginem B.Mariæ Virginis in Plebana Ecclesia Montis Regalis antea constitutam, Joannes idem Episcopus transtulit ad sacram ædem, Cæsenæ proximam, Cænobii Monachorum S. Benedicti (11): ubi adhuc existit, religiosè colitur, & B.Virgo de Monte nuncupatur, fulgens miraculis, ac signis innumeris: frequentata proindè à populo tùm indigena, tùm extraneo, qui B.V. patrocinio se commendat. Obiit denique Joannes anno 1322. conditis prius testamento, & codicillis, quibus de suis bonis disposuit (12). Ejusque loco Pontificiale munus exercendum in Ecclesia nostra suscepit *Gherardus Fanensis, Episcopus LVIII.* De quo in Annalibus Cæsenatibus hæc memoria continetur: *Anno 1323. die 16. Augusti Ven. Pater D.Gherardus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Casenæ, intravit Episcopatum, ejus præsentialem tenutam accipiendo, & omnium singulorum ejusdem jurium* (13). At post paucos menses à tempore susceptæ possessionis, diem suum clausit extremum (14).

4 Indè præfuit Ecclesiæ Cæsenati *Thomas Minius Episcopus LIX.* de Murro vallium, Firmanæ Diæcesis: de Murro communiter appellatus (& nepos Cardinalis Joannis ejusdem cognominis, sive denominationis, de Murro) electus anno 1324. [15]. Possessionem Episcopatus accepit ministerio cujusdam Fratris Hondedei: at incertum est, num accesserit unquàm ad faciendam residentiam personalem (16). Illius tempore Cæsenates ædificaverunt Ecclesiam Archipresbyteralem S.Jacobi de Portu Cæsenatico; ubi & occasione illius festi olim nundinæ triduanæ quotannis habebantur, magno populorum concursu (17). Eaque signa lætitiæ populo exhibebantur, quæ rudi metro cecinit Cornelius Guasconius:

(10) *Ex Arch. Capitul. Canonic. Cæsenæ.*

(11) *Manzon. Chronol. f.63.*

(12) *Claram. lib.12. fol.504.*

[13] *Annal. Cæsenat. sub ann. 1323.*

[14] *Manzon. Chronol. Cæsen. f.27. Claram. fol. 506.*

[15] *Ughell. Ital. Sacr. t.2. in Episc. Cæsen. Lucent. eod. tit. tom. 1. in Episc. Anconitan.*

(16) *Claram. Histor. Cæsen. lib.12. fol.510.*

[17] *Chronol. M.S. Cæsen. fol.19.*

A

A' laude di S. Jacobo Miggiore
In el bel Porto ch' hanno sopra il Mare
Correr le barche fanno a grand' honore
E fan coi cani il Tor tutto straciare (18).

5 Thomas deniquè Antistes anno 1326. translatus fuit ad Ecclesiam Anconitanam, & uwortuus est anno 1342. (19) Post cujus translationem Jo: PP. XXII. commisit regimen Ecclesiæ Cæsenatis sub titulo Vicarii Apostolici Alberto Præposito Cathedralis, & utriusque Signaturæ Referendario (20). Locoque ipsiusmet Thomæ exaltatus legitur anno 1326. *Ambrosius Episcopus LX.* (21). Similique dignitate aderat Cæsenæ tunc Civis, insignitus infulis Tiburtinis, vocatus nomine *Joannes*, Ordinis Minoritani professus, & promotus anno 1320. [22]. Apud quem Tibure decumbebat ęgrotus Fr. Michael de Cæsena Minister Generalis Ordinis Minorum, quando recepit literas Pontificias, de quibus magis ex proposito agètur in Diatribis Cæsenatibus (23): initiumque, sive majus augmentum susceperunt gravissimæ illę controversiæ, quæ inter Joannem Papam XXII. & dictum Fr. Michaelem efferbuerunt, non sine ingenti perturbatione Ecclesiæ Christi.

6 Claruit quoque per hæc tempora *B. Bartholomęus de Cęsena* Ordinis Fratrum Servitarum, fragrans odore insignium virtutum, & vitæ sanctitate, ac in Annalibus ejusdem Ordinis apprimè commendatus (24). Ex quanam autem familia prodierit, certò certius ignoratur (25). Ejusdem imaginem antiquissimam commemorat Chronologista Cæsenas, innuens, ad cælites evolasse die 24. Novembris 1329. (26). Iste Beatus vir est, ni fallimur, unus, & idem cum illo, de quo in Annalibus Servitanis refertur, quod inter Priores electos in Comitiis Pistoriensibus anno 1300. fuit *Fr. Bartholomęus de Cęsena Prior Cortonę, & Fr. Nicolaus de Burgo Prior Cęsenæ* [27].

7 In dictis quoque Annalibus de illo sic habetur: Ejus *Sanctitatem enarrans M. Paulus Florentinus in Dialogo, ita scribit. Hic Bartholomęus tot pro Christi amore labores* per-

(18) *Cornel. Guascon il Diluvio fol.* 12.
(19) *Ughel. & Lucent. Ital. Sac. in Episc. Anconit.*
(20) *Manzon. Chronol. f.* 209
(21) *Ipsemet Manzon. fol.* 28.
(22) *Ughell. Ital. Sac. in Episc. Tiburtin. num.* 28.
(23) *Brasch. Diatrib. Cæsen. Diatrib.*
[24] *Archangel. Giani Annal Servorum Centur.* 3. *lib.* 7 *cap* 13.
(25) *Claram. histor. Cæsen. post. lib.* 15. *fol.* 714.
[26] *Manzon. ubi supr. f.* 52. & 118.
[27] *Garbius Annales Servor. Centur.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *t.* 1 *fol.* 84.

perpessus est, ut non modò pelle, sed nervis se sè spoliaverit: qui sane venit in hunc mundum, ut suam Cęsenę patriam illustraret: ut malorum impetus comprimeret: ut bonis ab immortali Deo merita exoraret. Hujus plerumque animum in pulpito erectum, ab Angelisque in sinum Authoris doportatum mirantur, & prędicant omnes: hinc sanctitatis fama orta est &c. Hujus Beati imago depicta antiquitùs apparet in Ecclesia S. Lucæ de Spoleto, contemplans Jesum Christum Crucifixum, quem manibus tenet. Ejus obitus fuit die 24. Novembris (28).

8 Claruit quoque contemporaneè *S. Rocchus* natione Gallus, Princeps urbis Montis Pessulanæ. Qui, Dynastia per plures annos patruo commendata, in habitu peregrini advenit Italiam: ubi nonnullis in locis constitit, operam suam impendens pauperibus deserviendis, qui ægritudinibus detenti decumbebant in publicis hospitalibus (29). Tantaque vitæ sanctitate, ac meritis floruit apud Deum, ut *multas Italiæ urbes à morbo epidemiæ signo Crucis liberaverit* (30) Apud Cæsenam autem constitisse per aliquod tempus: ibique suis manibus deservisse infirmis jacentibus in Xenodochio, testantur historici (31), & antiqua nostra monumenta recensent (32): in Xenodochio, inquam, dicto Gandolfini, ac tunc ibi sito propè portam Cerviensem, ubi est parva Ecclesia S. Gregorii: translato postmodùm ad hospitale majus sanctissimi Crucifixi.

9 Ad Cælos evolavit sanctus iste Confessor anno 1327. (33). Cæsenæ verò asservatur antiquissima ejus Imago in templo Monachorum Cęlestinorum, ad vivum à pictore illius temporis coloribus expressa, dum adhuc ipsemet sanctus in eadem civitate permaneret, serviens pauperibus decumbentibus in hospitali: Viget quoque recordatio, quod intercessione ipsiusmet S. Rocchi, quandoque liberata Cæsena fuerit ab epidemica infectione: ac quod tanto benefactori (hospitique quondam suo) Cæsenates erexerunt illam Ecclesiam, ejus nomini dicatam, quæ in occiduo suburbio est, & apud quam permanent Fratres tertii Ordinis

(28) *Idem Centur. 1. lib. 7. c. 13. tom. 1. fol. 258.*

(29) *Spondanus ann. 1328. num. 10.*

[30] *Martyrol Roman. die 16. August.*

[31] *Ioann. Philip. Bergom. suplem. Chron ad ann. 1327. fol. 254 Saussai Martyr. Gallican.*

(32) *Claram. histor. Cæsen. lib. 15. fol. 713 Manzon Chronol. Cæsen. fol. 57.*

(33) *Spondanus loc. cit.*

dinis

dinis S. Francisci (34). Schema Imaginis ejusdem B. Viri est hoc.

(34) *Claram. loc. cit.*



10 Sacerdotio deindè functurus, urbem nostram advenit *Franciscus II. Brevia Episcopus LXI.* (35): patria Venetus, anteà Lector pubblicus in Patavino Lyceo, & deindè in Sapientia Romana: ubi & Auditoris Rotæ munere functus est: scripsitque librum de auctoritate Pontificis. Commendatur ab Augustino Crudeli de viris illustribus Venetis: & in Historia Veneta Sansovini, aucta per Ioannem Stringam (36). Breve tamen fuit regimen pastorale hujus Antistitis, inceptum anno 1330. & protractum parum ultrà biennium.

(35) *Bernard. Manzon. Chron. Cæsen. fol. 29.*

[36] *Joann. Stringa lib. 13 fol. 389.*

11 Subsecutus est eum in officio pontificali *Joannes Baptista I. Acciajolus Episcopus Cesenæ LXII.* patria Florentinus, electus anno 1333. (37). Cui frater germanus adfuit vir multæ famæ juxtà contingentias illorum temporum, nimirùm Angelus Acciajolus Archiepiscopus Florentiæ, atque Cancellarius Ludovici Tarentini Regis Neapo-

[37] *Manzoni ubi supra f. 29*

lis

lis (38). Cæsenam veniens Joannes Baptista præfatus, accessit ad Cathedralem ingressu solemni, digno qui describtus legatur in Annalibus nostris [39]: cum rexisset Ecclesiam ope Vicarii usque ad Kalendas Maii anni 1334. (40) Optimus is Antistes misertus populi sui, qui à Francisco Ordelapho tyranno deprimebatur, pro hujus expulsione, redituque Cæsenæ in potestatem Sedis Apostolicæ, viriliter laboravit.

12 Verùm re detecta, idem tyrannus Ioannem Baptistam Episcopum contumeliis affectum de sua sede dispescuit & à civitate abire coegit (41). Sed & Canonicos Cathedralis à suis ædibus canonicalibus, pro è templum S. Ioannis Evangelistæ sitis in Murata, compulit recedere vel invitos [42]. De quibus hæc antiqua recordatio asservatur: *Anno 1335. placuit Francisco de Ordelaphis Capitaneo civitatis Cęsenę &c. quod Præpositus, & Canonici cum suis famulis de Canonica se absentarent: & sic dixit, & facta sunt. Ideo &c. die 9. Novembris Albertus Prępositus discessit, & cæteri Canonici, & Capellani postea subsequenter: pręter D. Realem Canonicum, qui remansit ibi confidenter amicorum suorum tunc regentium securitate fultus: & pręter DD. Franciscum, & Bucettum, qui se prius eodem jussu mensibus pluribus absentarunt* (43).

13 Obeunti denique Præsuli Acciajolo anno 1338. successor accessit *Fr. Theodoricus de Faventia Episcopus LXIII.* ex ordine Prædicatorum assumptus. De quo Joannes Michael Podius ita scribit: *Io altre volte seguendo il Teagio lo feci Vescovo di Faenza. Ma da più certe relazioni avute, e dalle memorie del Convento ritrovo, ch'egli fu Vescovo di Cesena* (44). Ejus imago cernitur in Cathedrali, magna in tabula penicillo expressa jussu Cardinalis Vincentii Mariæ Ursini tunc Episcopi Cæsenatis [qui fuit postea Benedictus Papa XIII.] hac adiecta notatione: *Fr. Teodorico da Faenza Domenicano sotto Benedetto XII. l'anno 1338. sedette anni 4.*

14 Theodorici morte sublati anno 1342. thronum Episcopalem ascendit *Fr. Bernardus Martellinus Episcopus*

[38] *Orig. della famiglia Acciaiola post historiam familiæ Ubaldinæ.*
(39) *Annal. Cæsenat. ann. 1334. apud. Murator. Rerum Italic. to. 14.*
[40] *Claram. histor. Cæsen. lib. 13. f. 555.*
(41) *Idem lib. 13. f. 572.*
[42] *Bernard. Manzon Chronol f. 110 Claram. loc. cit. fol. 561.*
(43) *Annal. Cæsenat. sub ann. 1335.*
[44] *Ioann. Michael. Pladius lib. . fol. 489. Manzon. fol. 190.*

pus LXIV. patria Florentinus, & professione Religiosus Augustinianus (45). Qui sedit usque ad annum 1348. ut ex epitaphio eidem erecto in Ecclesia S. Augustini Cæsenæ, ac memorato in historia Scipionis Claramontii sub his terminis: *Erat monumentum in Ecclesia D. Augustini marmoreum, cum hoc adscripto epitaphio (nunc amplius non adest) in muro prope turrim nolarem, hujus tenoris &c.*: & inscriptionis verba recensetːquæ paritèr adferuntur à Bernardino Manzonio (46). Nosque idcircò superfluum arbitramur hic eadem absque necessitate referre.

15 Originem tunc primò habuit *Abbatia conventualis S. Hieronymi Monachorum Cœlestinorum* apud Cæsenam: de qua scribit Augustinus Lubin: *Ejus fundator fuit Dardonus quidam de Talamello Cœsenaten. diœcesis, anno 1348. qui cum mercator esset, & ad nundinas in regnum Neapolitanum quotannis proficisceretur, gravi infirmitate aliquando ibidem correptus, ad Cælestinos Lucerienses divertit: à quibus humanissimè exceptus, & omnibus charitatis officiis in sua infirmitate devinctus; statim ac in patriam rediit, beneficii memor accepti, propriam domum in Ecclesiam convertit, & Cœlestinis Patribus attribuit, iisdem post mortem hæredibus ex asse institutis* (47).

16 Honorificavit & patriam per eadem tempora *Fr. Bonfilius de Cœsena* Ordinis Minorum, qui, referente Chronologista nostro, cum Sedi Apostolicæ Clemens Papa VI. præesset, *suis prædicationibus, & exhortationibus salubribus ab errorum tenebris eduxit infideles multos in partibus Hungariæ, & ad Catholicæ veritatis lucem perduxit* [48] Compensavit igitur optimus hic Cæsenas præjudicium, quod patriæ mox intulerat synchronus *Fr. Michael de Cœsena*, ejusdem Ordinis, suis excessibus valde celebris in historiis (49). Vacante interim Sede Cæsenate per mortem Bernardi Antistitis; Capitulum Cathedralis elegit in Præsulem sibi Marium de Tybertis, nesciens quod Clemens PP. VI Avenione degens hanc Ecclesiam pro prima futura vacatione suæ dispositioni Apostolicæ reservasset (50)

[45] *Vide Ughellium in Episcop. Cæsen. nat.*

[46] *Claram. histor. Cæsen. lib. 13. f. 576. Manzon Chronol. Cæsen fol. 30.*

(47) *Lubin. Abbatiæ Ital. f. 69. n. 5.*

[48] *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 213*

[49] *Brasch. Distrib. Cœsenat.*

(50) *Chronolog. Manzon. fol. 190.*

17 A' Papa igitur anno 1348. sortitus est prælectionem *Fr. Gulielmus Mirolus Episcopus LXV.* Ordinis Minorum, ortu Cæsenas, & officio Inquisitor Fidei sanctæ in Marchia Tarvisina (51). Literas pontificias ejus provectionis legere est apud Vudingum [52]. Nec non similes literas, quibus deindè Papa cum eo dispensavit ob non susceptam consecrationem intra tempus per sacros Canones constitutum (53). Vivebat Gulielmus anno 1353. quo sub *die 2. Julii post Tertias, Cęsenæ in Sacristia Ecclesię S. Joannis Evangelistæ de Burgo Cæsenę* (idest intra Muratam) tunc Cathedralis, confirmavit in Canonicum ejusdem Ecclesiæ Nicolaum Canedonum Archipresbyterum Plebis Bussani (54).

(51) Claram. histor. Cæsen. lib ... f. 586.
(52) Lucas Vading. Annal. Minor. tom. 3. an. 1348. n. 9.
(53) Idem an. 1349. f. 376.
(54) Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 191.

18 Quo eodem anno Innocentius Papa VI. itidem confirmavit Canonicis Cæsenatibus omnes libertates, immunitates, & exemptiones, illis concessas à Romanis Pontificibus, & à Regibus, ac Principibus: ut ex ejus diplomate sic loquente: *Innocentius &c. Dilectis filiis Capitulo Ecclesię Cæsenaten. salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est &c. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates á Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, sive alias Indulgentias, vobis, & Ecclesiæ vestrę concessas: Nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum, à Regibus, & Principibus, ac aliis Christifidelibus rationabilitèr vobis, & eidem Ecclesię indultas, sicut eas justè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Avenione 2. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo. P. de Alliana* (55).

[55] Est in Archiv. Capitul. Cathedr. Cæsen.

19 At dum Papa muneraret Ecclesiam Cæsenatem tam eximio diplomate, tyrannus Cæsenæ Franciscus Ordelaphus non destitit eandem Ecclesiam suis violentiis fatigare. Ac *Cia* quoque ipsius Ordelaphi uxor, & civitatis detentrix in absentia mariti, [cujus nomine militare præ-

sidium

ſidium dirigebat, intrà Muratam, & Arcem Cæſenatem conſiſtens, prout ſupra uberius diximus capite antecedenti): ea patravit, quæ ſic in noſtris Annalibus exprimuntur: *Anno 1357. die 27. Maii ſtipendiarii D. Ciæ de Ordelaphis, Muratam dicto Domino Cardinali rediderunt. Quę Domina Cia, Deum prę oculis non habendo, dicta die comburi fecit Campanile Epiſcopatus Cæſenę, cum omnibus domibus ejus, & omnes alias domos Epiſcopatus uſque ad Caſtrum Cæſenæ* (56). Sermo eſt de antiquo Epiſcopio, & Epiſcopalibus domibus, tunc ſitis apud Eccclesiam Sancti Ioannis Evangeliſtæ: quæ per ea tempora erat Cathedralis Cæſenæ, nunc verò eſt Parochialis.

20 Defuncto Gulielmo Epiſcopo, ſuffectus fuit *Fr. Vitalis Epiſcopus LXVI.* Ordinis Minorum, & Cæſenas, ex Inquiſitore fidei à Canonicis electus anno 1358. (57). At quoniam Innocentius PP. VI. reſervaverat ſuæ diſpoſitioni hanc Eccleſiam cum primo eſſet vacatura, Vitalis Epiſcopatum obtinuit à Pontifice, ut ex literis Apoſtolicis à Vvadingo relatis, quæ talem narrant eventum (58). Infulatis deinde adfuit nobis *Bencivennus Bononienſis, Epiſcopus LXVII.* electus anno 1363.. De quo præter nomen, & patriam, hucuſque nihil aliud nobis datum eſt reperire, forte propter brevitatem ſui muneris paſtoralis (59).

21 Nàm anno 1364., jam præerat ſedi noſtræ *Lucius I. de Callio Epiſcopus LXVIII.* antea Canonicus Patavinus (60). Qui poſt decennium traslatus fuit ad Eccleſiam Volaterranam: ſic nihilominus ut retineret quoque aliquanto tempore adminiſtrationem Eccleſiæ Cæſenatis (61). De illo agit Scipio Amiratus (62): & Nuncii Apoſtolici munere quandoque functus eſt, ſedente in ſolio Apoſtolico Gregorio Papa XI. Quod officium dum exerceret, inter cætera viſitavit Metropolitanam Eccleſiam Piſarum, prout ex antiquis monumentis ejuſdem Eccleſiæ noſcitur contigiſſe (63).

22 Cum autem interim non ceſſaret Franciſcus Ordelaphus nequiſſime graſſari contrà loca per ipſum occupata,

(56) *Annal. Cæſen. ſub an. 1357. Vide ſup cap. præced. n. 24. & 25.*

[57] *Manzon. Chronol. Cæſen f. 32. & 97*

[58] *Luc. Vuadingb Annal. Minor to. 4. ann. 1358. n. 5. & in fine to. fol. 02.*

(59) *Ughel. Ital. Sacr to. 2. in Epiſcop. Cæſen.*

(60) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæſen fol. 33.*

[61] *Lucent. Sac. tom. 1. in Epiſc. Voluter. num. 43.*

(62) *Scipio Amirat. de Epiſcop. Feſulan. & Volateran.*

[63] *Ex Archiv. Capitul. Piſan. Manzon. loc. cit.*

quæ ad Sedem Apoſtolicam pertinebant, & in dies pejori ſemper forma procederet; Cardinalis Androinus Legatus Apoſtolicus in Italia, die 16. Aprilis 1369. exiſtens Cæſenæ, commiſit P. Vitali Servitarum Ordinis Generali, munus prædicandi ſacram Cruciatam adverſus ipſum tyrannum (64). Quod & jam aliàs factum fuerat ſub Cardinali Ægidio, prout ſuo loco retulimus. Erat verò ſolitus nefarius iſte homo tales conatus Pontificiæ poteſtatis contemnere, atque irridere: tanta protervia, & animi nequiſſimi pervicacia, ut ſine horrore non valeant referri, quæ audebat impudentiſſimè perpetrare.

(64) Gianni in Annal. Servitar. Giacom. Beſi Bertinoro rimprovar. pag 15.

23 Legat ea, qui vult apud Spondanum, ſic ſummatim relata (65): *Tradunt adeò pervicacis naturæ, & impiæ nequitię fuiſſe, ut quando ad ſonitum campanæ diris devovebatur, etiam ipſe alias campanas pulſaret, & in Summum Pontificem, atque Cardinales, ex aliqua materia effictos, ac fęno infarctos anathema pronunciaret: necnon Clerum ad ſacra contra vetitum obeunda per vim compelleret, ac renuentes aut furcis ſuſpenderet, aut vivos excoriaret. Et ſi quos ex Cruce ſignatis militibus comprehendiſſet, eorum plantas pedum ferro ignito in formam Crucis effigiatos adureret, procaciter dicens, ſignum è panno patere tineis; ferro autem impreſſum perennare: aliiſque longè crudelioribus ſuppliciis afficeret, cum hujuſmodi irriſione: melius cum illis egi, ſi contriti in ea diſpoſitione morerentur, quam ſi dimiſſi periculum incurrerent relabendi in peccata.*

[65] Spondan. an. 1350. n. 13.

24 Per decurſum ætatis, qua Summi Pontifices in Gallia reſederunt, Cæſena cives aliquot habuit conſpicuos doctrina, & dignitatibus eccleſiaſticis. Unus ex his fuit *Fr. Michael Fuſcus* Magiſter Generalis totius Ordinis S. Franciſci, Theologus excellentiſſimus, & Orator, qui plura opera ſcientifica compoſuit: virque item zelo diſciplinæ regularis eximius, & morum etiam exemplaritate alioquin laudabilis: niſi quod quandoque, impetu iracundiæ nimium concitatus, caput attollere auſus eſt, & linguam exercere amarulentèr contrà Joannem Papam XXII.

eique

eique obedientiam debitam denegare, quousque demum facti pænitens resipuit antè obitum. Qua de re fusiùs in Diatribus Cæsenatibus (66).

25 Res vero ponderatione digna est, quod dum Frater Michael Cæsenas Ludovici Bavari pseudo Imperatoris schisma fovebat, plurimumque laborabat, ne obedientia præfato Pontifici præstaretur: neque observaretur Interdictum propter idem schisma in urbibus italicis promulgatum; Fratres Ordinis Servorum Beatæ Virginis Capitulum generale celebrantes in Conventu Cæsenæ, anno 1331. vehementissimè præceperunt ipsiusmet Interdicti observantiam suis Religiosis, edita sanctione provida, quæ subsequitur (67).

26 *Nos Fr. Petrus Ordinis Fratum Servorum S. Mariæ auctoritate Sedis Apostolicæ Generalis Prior licèt immeritus: ac Definitores Generalis Capituli nuper secundum consuetudinem nostri Ordinis apud Cęsenam more solito congregati: monemus, & mandamus, & protestamur expressè, & sub pęna excommunicationis præcipimus, ne quisquam Frater nostri Ordinis, electus ad aliquod prælationis Officium, in locis terrarum, quæ non obediunt Domino Nostro Summo Pontifici, & in quibus non observatur ecclesiasticum Interdictum, ad prędictas terras pręsumat accedere: & si aliquando urgente causa, aliqui ad dictas terras accederent, Interdictum inviolabiliter attendant &c.*

27 Alter civis noster præclarus, ad hanc eandem ętatem pertinens, est *Fr. Ambrosius de Cęsena* Ordinis Minorum, Theologus, & Magister Parisiensis, ac memorato Papæ Joanni XXII. summoperè acceptus, qui etiam illum Episcopali honore decoravit, sed cujusnam Ecclesiæ incertum est (68). Huic addatur *Fr. Hieronymus de Cęsena* Ordinis Servorum Deiparę, Concionator Apostolicus incumbens divulgationi sacrę Cruciatę anno 1365. (69). Nec omittendus *Arnulphus Cęsenas* Præpositus Ecclesię Cathedralis, & indè anno 1366. assumptus ad honorificum apicem Episcopatus Cathacensis in Calabria, Urbani Papæ

(66) *Brasch. in Diatrib. Cæsenat.*

(67) *Garbini Annal. Servor. to. 1. Centur. 1. lib. 7. cap. 14.*

(68) *Chronolog. Cæsenat. Manzon. fol. 28. & 71.*

[69] *Ex Annal. Giani Ordin. Servor. Manzon. loc. citat. fol. 118.*

Papæ V. auctoritate (70). Silemus *Fr. Amisinum Cæsenatem*, Procuratorem Generalem Ordinis Minorum, qui ab Antipapa Petro Corbario factus est Episcopus Lucensis.

28 Lucio I. Episcopo Cæsenati viam universæ carnis ingresso, subintravit *Lucius II. Sabellus, Episcopus LXIX.* patria Romanus, provectus anno 1377. Utriusque Lucii mentionem exhibent nostrates (71). Et Lucius II. Sabellus est ille, quo Episcopatu fungente, fertur sed perperàm, D. Gregorii Magni manum delatam fuisse Cæsenam, qua de re in Diatribis nostris (72). Deindè Mitra redimitus anno 1376. apud nos apparuit *Aloysius Cesenas Episcopus LXX.* Qui biennio post cum aliis quatuor infulatis præstitit suum opus in consecratione Altaris Ecclesiæ S. Sixti Pisarum (73). Contemporaneè item claruit, inter cives Cæsenates, *Petrus Calice*, sive de Calicibus, Archiepiscopus Ragusinus: cujus promotio refertur ad annum 1376. in Annalibus Raguseorum (74): & ab aliquibus attribuitur ei titulus Beati (75).

29 Deniquè innotescat, (qualiter in serie virorum, qui sanctimonia vitæ monasticam Congregationem Vallis Umbrosæ antiquitus decorarunt): & quorum circumferuntur imagines, æreæ laminæ insculptæ anno 1695. solertia Joannis Aurelii Casari ejusdem Ordinis Cænobitæ; unus recensetur hoc honestatus elogio: *Beatus Benignus nobilis Cæsenas de Malatestis, Monachus Vallis Umbrosæ, qui in cænobitali vita probè sciens convivere; probatissimus eremi cellarum Vallis Umbrosæ, evasit Eremita, ibique orationi, lectioni, scriptioni, labori assiduè vacans, per 38. annos à conversione sua, sanctissimè decessit in ædicula S. Domitillæ ejusdem Eremi. Clarebat anno Dominicæ Benignitatis* 1374.

30 Duæ familiæ cognomines de Malatestis claruerunt sæculis anteactis apud Cæsenam. Altera *Ordinis Magnatitii*, & dominatrix civitatis, quæ desivit in Malatesta Novello, ultimo Principe Cæsenæ, ac defuncto sine filiis anno 1465. (76). Et altera *Ordinis Equestris*, Comitatus prius

[70] *Idem Bern. Manz. f. 120. & 205.*

[71] *Clarom. hist. Cæsen. fol. 712. Chronolog. Cæsen. f. 34*

(72) *Brasch. Diatrib. Cæsenat.*

[73] *Bernard. Manzon. Chronolog. fol. 70. & 192.*

[74] *Lucari Compend. Annalium Ragus lib. 4. fol. 176.*

(75) *Manzon. Chronolog. Cæsen. fol. 66.*

[76] *Vide Capit. sequent.*

prius, deindè Marchionatus titulo decorata, & patricia, cui finem imposuit Leonidus, Caroli filius circà annum 1640. vel paulò antè (77). An hæc utraque soboles ab eodem stipite descenderit, vel diversa exordia sit sortita, nobis non innotescit. Nec itidèm scimus, ad quam earum, & qualiter pertineat dictus *B. Benignus*. Verùm sive à prima, sive à secunda traxerit ortum, nobis est satis, quod conspicuus iste Dei servus fuit Cæsenas, & sanctimonia suæ vitæ patriam illustravit.

(77) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 755.*

31 Ceterùm Familia de Malatestis, per varia Æmiliæ, ac Piceni loca pedetentim, & diversimodè distributa; ut in sè, veriori Peritorum judicio, fuit origine Verucalana (79). Et in hoc Oppido, quod alicubi denotatum legitur titulo Civitatis, atque in provincia Romandiolæ situm est, longo tempore viguit una ex spectabilioribus Familiis nuncupata de Malatestis: quæ tamèn postmodùm jàm tandèm prorsùs defecit. Supersunt ibi nihilominùs consanguinei descendentes per lineam fæmininam à D. Cæcilia Malatesta uxore D. Francisci Ripa (79): quippè quæ fuit Atava D. Prioris Joannis Nicolai Ripa, nunc viventis, & Romæ fungentis munere Secretarii præcelsi, & sacri Collegii nostri RR. DD. Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Solio Pontificio Assistentium.

(78) *Vide Caput sequens numero 4.*

(79) *Ex rogitibus Gianini Zanettani, & Faschi Notar. Verucul. diebus 6. Decembr. 1570. 22. Septem. 1589. & 26. August. 1591.*



CA-

CAPUT XXIII.

Dè Civitate Cæsenæ tempore, quo eidem dominata est *Familia dè Malatestis*.

SUMMARIUM.

1 *DEsolatę per Britones Cęsenę non erat qui succurrer et subsidiis opportunis.*
2 *Galeotus Malatesta petebat eam in Vicariatum: sed suspicio erat, quod conspirasset in cędem Cęsenatum.*
3 *Varię rationes, ob quas visum est expedire, ut Galeoti prępositam adimpleretur.*
4 *De origine familię Malatestę multi multa. Verius videtur, quod primus ex ea fuerit indigena Viruculi.*
5 *Plures Malatestę functi sunt officio Capitanei Cęsenę: at nullus antè annum 1378. ejus dominium habuit.*
6 *Primus Princeps fuit* Galeotus, *benignè à Cęsenatibus exceptus. Arbor familię de Malatestis magnatitiæ.*
7 *Hęc familia brevi tempore multum crevit amplo dominio Civitatum, & Oppidorum.*
8 *Galeotus erat priùs Dominus Arimini. Ejus figura naturalis exhibetur.*
9 *Erat Vexillifer Sedis Apostolicę. Optabat pręesse quoque Cæsenæ. Quanam arte ad hunc effectum sit usus.*
10 *Vigebat de illo bona opinio. Perfecerat iter Hierosolymitanum. Et laudabilis censebatur.*
11 *Dominium civitatis accepit, & Arcem à pręsidio Antipapæ detentam, vi expugnavit.*
12 *Se Cæsenatibus benignum exhibuit: & civitatis regimini regulam dedit, ac novam Arcem fundavit.*
13 *Recensentur alia opera Galeoti: qui demùm Cęsenę obiit*

in

in magno palatio Cardinalis Ægidii.

14 *An ibi tumulatus fuerit ad Minoritas: vel translatus Ariminum? Divisio ditionis inter filios.*

15 *Epistola Reipublicę Florentinę commendatrix personæ Galeoti defuncti.*

DE ANDREA MALATESTA.

16 Secundus *Princeps fuit* Andreas, *dictus* Malatesta de Malatestis. *Mutatio nominum frequens in hac familia.*

17 *Residebat Cesenę, dominabatur quoque Forosempronio, Cerviæ, ac Britinorio. Tres duxit successivè uxores.*

18 *Filiam nuptui dedit Duci Mediolani: Aliam Ravennati, & aliam Ferrariensi Toparchis.*

19 *Fuit in rè militari strenuus: & prçvaluit etiam prudentia civili.*

20 *Senatoris almæ Urbis honore, ac aurea Rosa muneratus est à Pontifice: aliaque plura ejus gesta.*

21 *Faventinum, Urbinatem, Foroliviensem dynastas, bellicè sibi noxios, militari arte coercuit.*

22 *Varia opera, & curæ memorantur Malatestæ pro utilitate, atque commodo Cesenatum.*

23 *Hidrope, ac mærore animi obiit in Castro Belueris, ubi & filius ejus anteà interierat.*

DE PANDULPHO MALATESTA.

24 Tertius *Princeps Cæsenæ fuit* Pandulphus Malatesta, *cujus exhibetur effigies.*

25 *Pro eo absente, regebat Cæsenam Carolus ipsius frater. Diversi mores horum fratrum.*

26 *Varia opera Pandulphi strenui bellatoris. Occupavit Brixiam, & Bergomum: indè utroque spoliatus est.*

27 *Venit ad regendam ex se Cesenam. Bis nupsit. Obiit Fani, magna pompa ibi tumulatus.*

28 *Vivens erexit Castrum, ac Turrim S.Georgii, binas ei appendens ingentes Catenas ferreas.*

29 *Epitaphium refertur, & explicatur, frontispicio ejusdem Turris insculptum.*

30 *Caroli Malatestæ obitus. Quænam essent antiqua insignia hujus familię?*

23 *Superadditio deindè facta eidem Stemmati, & ad quod significandum?*

DE MALATESTA NOVELLO.

32 *Deficiente legitima prole Malatestia, Pontifex fecit habiles ad successionem filios illegitimos Pandulphi.*

33 *Horum numerus, ætas, & nomina. Divisa est ditio inter ipsos. Quorum primus dicitur B. Robertus.*

34 *Ultimus est Dominicus, dictus Malatesta Novellus, laudatus à Claramontio: improbatus à Pio PP. II.*

35 *Militaris artis peritus fuit. At modò prosperè, modò improspero eventu.*

36 *Cum Papis variè se gessit: & idem Pius contrà illum armis, atque censuris processit.*

37 *Res demùm composita Venetis intercedentibus: & quibusnam conditionibus?*

38 *Quænam existimatio de illo haberetur: habitudo corporis illius: crure captus est ob imperitiam Medici Græci.*

39 *Uxorem duxit Violantam Feltriam, optimam fęminam: ex qua filios non reliquit.*

40 *Plura opera publica, pluraque pia peregit, quę recensentur summatim.*

41 *Magnum Hospitale condidit: tuncque ingens numisma vulgavit id significans geroglyphice.*

42 *Erat eruditus, & studiorum amator. Locus ejus sepulturę, ac Inscriptio illi superadiecta.*

43 *Moriens reliquit multa bona in pios usus eroganda. Uxor ejus Monasterio Ferrariensi se inclusit.*

44 *Cęsenates doctrina conspicui recensentur, qui floruerunt dominante Familia de Malatestis.*

45 *Enumerantur alii, qui virtute bellica, & gymnicis artibus eodem tempore claruerunt.*

46 *Alii denique Cęsenates civili toga, & regiminum laude commendati.*

MI-

MIserabile ſpectaculum civitatis Cæſenæ, deſolatæ crudelitate militum Britonum, & ſcelere Roberti Cardinalis Gebennenſis Legati Pontificii (1), omnium commiſerationem provocabat, ſed non inveniebatur, qui ſublevaret eam ſubſidiis opportunis. Nàm Gregorius PP. XI. diſpendiis regreſſus ſui ex Avenione Romam, Romanorumque contradictionibus, & plurium civitatum defectionibus perturbatus, atque anxiatus, ac denique feſtinata morte ſublatus (2), ſupplicantibus Cæſenatibus, præter compaſſivæ teneritudinis verba, & officioſas commendationes nonnullis Principibus Italiæ, vix quidam aliud poterat exhibere [3]. Urbanus quoque VI. ejus in Pontificatu ſucceſſor, citò implicatus vexatione diri ſchiſmatis, excitati novo flagitio ejuſdem Cardinalis, qui sè Antipapam ſub nomine Clementis VII. fecerat petulantiſſimè proclamari [4], ſumptibus, & curis talibus diſtentus erat; ut voces quidem rogantis Civitatis benignè audiret, ſed miſerias non valeret adjutorio neceſſario ſublevare.

2 Adfuit *Galeotus Malateſta* dominus Arimini, qui ſibi concedi Cæſenam ſub Vicariatus temporalis titulo poſtulavit ab Apoſtolica Sede: ſpondens afflictæ civitati ſuppetias miniſtrare, curamque in ſe ſuſcipere operandi, ut reſtauraretur, incolis repleretur, & quam primum ſuo priſtino reſtitueretur ſplendori. Urbanus PP. VI. inſtantiam Galeoti, per Cardinalem Pileum Ravennæ Archiepiſcopum, Cæſenatibus denunciavit (5): qui optantes ad ſinum Romanæ Eccleſiæ immediatè redire, aſſenſum ægrè præbebant (6). Nàm quamvis Galeotus multa promitteret; non deerat tamen ſuſpicio, à S. Antonino enunciata (7), quod ipſe quoque ſecretò conſpiraſſet in atrocem lanienam à Britonibus perpetratam.

3 Hærebant ergò perplexi Cæſenates in ſuſcipienda deliberatione ſuper tanto negotio, ne in errorem aliquem irreparabilem prolaberentur. Et plures ex eis in aliud conſilium propendebant, ſe ſubiiciendi Guidoni Polentano toparchæ Ravennati. Veruntamèn quia is erat minus for-

[1] *Vid ſupr. cap. 21. n. 25 &c.*

(2) *Spondan. ann. 1377. n. 2. & 1378 n. 2. &c.*

[3] *Claramon. Hiſtor. Cæſen. lib. 14. fol. 664*

(4) *Ciaconius & Platin. in Urban. 6.*

(5) *Claramon. loc. cit. lib. 14. fol. 668.*

(6) *Chron. M. S. Cæſen f. 10. 52. & 217.*

(7) *S. Antonin Chron p. 3. tit. 22. c. 1. §. 4.*

tis, & hinc grave periculum imminebat, ne in Italiam citò veniret cum exercitu Comes Gebennensis frater Antipapæ: ac Astorgius quoque Manfredus dominus Faventiæ militares copias parabat, ut Cæsenam sibi subjugaret [8]; indè verò de Galeoto æquanimitatis fama vigebat: ex eo etiam commendata, quod humanè se gesserat cum illis Cæsenatibus, qui post excidium Britonum se receperant Ariminum (9); annuendum duxerunt propositioni Papæ; atque ità Cæsenæ civitas ad Familiam de Malatestis pervenit in Vicariatum feudalem temporalis ditionis.

(8) Cloram. ubi supr. fol. 69

(9) Iacob. Villan. Arimin. Rubic fol 49. Cloram. lib. 14 fol 657.

4 De initiis hujusmodi Familiæ multi multa loquuntur: inquit enim Sigonius, quod cum Otho III. Imperator esset Ravennæ anno 997. *Malatestam quendam (Germanum nonnulli fuisse perhibent) feudis aliquot in Romaniola honestavit: à quo nobilis Malatesta familia* (10). Sabellicus id attribuit Othoni II. (11). Gregorius Letus fabulatur, non unum, sed binos fratres de Malatestis, ex Germania cum Othone venisse, ac ab eodem obtinuisse Cæsenam, & Ariminum (12): quod certè ab omni veritate alienum est. Alii aliter de primo Malatesta loquuntur: sed quod effantur, minimè probant. Melius ergò Auctor supplementi Chronicorum Veruculi, & asserit, & probat vetustiorem Malatestam oppidarum fuisse ipsius loci (13). Consonatque Pius PP.II. de ipso Malatesta scribens: *His artibus Arimino potitus est Malatesta: à quo Malatestarum nomen exordium sumpsit* (14): cum paulò suprà eundem Veruculi nuncupasset indigenam.

[10] Sigon. de Regn. Ital. l. 7. fol. 184.

[11] Sabell. l. 1. Ennead. 9.

(12) Greg. Let. Ceremonial. par. 3. lib. 2. fol. 104.

[13] Filip. Antonin. suppl. delle Cron. di Verucchio.

[14] Pius 2. Comment. l. 10 fol. 252.

5 Sanè nullus ex hac familia dominum possedit civitatatis Cæsenæ ante annum 1378. Attamèn plures ex eadem sobole functi sunt ibidem Præfectura, sive Prætura (15), & officio Capitanei, seu ductoris, & directoris militiæ Cæsenatis. Per illa namque tempora, tùm propter insidias, & insultus hostium: tùm propter execrabiles divisiones civium in Guelphos, & Ghibelinos, erant homines frequentèr in contradictionibus, & in armis, vel offensionis, vel defensionis obtentu. Quarè opus erat aliquo Præ-

(15) Chron. MS. Cæsen. f. 208

Galeottus Malatesta
I. Cæsenæ Dominus.
1378.

Carolus dictus Cato. Arimini Dominus.

Pandulphus Dominus Cæsenæ III. 1417.

Andreas dictus Malatesta de Malatestis Dominus II. Cæsenæ. 1386.

Beatus Robertus Arimini Dominus.

Sigismundus Pandulphus Arimini Dominus.

Dominicus dictus Malatesta Novellus IV., & ultimus Cæsenæ Dominus 1427. obiit 1461.

Robertus Arimini Dominus, Arcem Cæsenæ occupavit, sed Civitatis Dominium non obtinuit.

Præfecto, & Capitaneo, qui solertèr civiles res dirigeret, ac bellicas strenuè administraret: popularesque motus compesceret, ac hostiles injurias propulsaret. His porrò muneribus functi sunt Malatesta de Veruculo anno 1291. Malatestinus ejus filius anno 1292. Ubertus filius Pauli pulchri anno 1300. Ferrantinus anno 1316. Rambertus 1324. deniquè Malatesta filius Pandulphi anno 1364. Qui & obiit Cæsenæ, ibique *pater patriæ* conclamatus, fuit funeratus communi luctu, & publica statua muneratus (16).

6 Primus ergò Princeps Cæsenas ex familia Malatesta, fuit GALEOTUS, qui ab Urbano PP. VI. Cæsenam in Vicariatum Sedis Apostolicæ obtinuit, exeunte anno 1378. *Is cum quadringentis equitibus, & quatuor millibus peditibus Cæsenam advenit, à civibus omnibus hilaritèr exceptus: imò ad Savinianum usque multi primores occurrerunt* (17). Ut autem quæ de illo, aliisque Malatestis dicenda sunt, facilius intelligantur, subiicimus opportunè schema Genealogicum ipsius Familiæ, pro eo, quod pertinet ad rem nostram, ex probatis Auctoribus consertum [18]. Cum nullibi hucusque potuerimus illud reperire, benè, ac luculentèr digestum: sed potius nonnullos quandoque commemoratos invenerimus in historiis, viros, & mulieres preclarę hujus familiæ, verbis ita involutis, taliterque incerto, ac dissipato successionis ordine: illoque nec etiam uniformiter cohærente apud omnes; ut involuant confusiones inextricabiles. Ideòque proderit ordinem, & seriem nominum congessisse, quæ in adjecto seorsivè folio continentur: disposita per modum Arboris gentiliciæ: omissis aliis, ad nos neutiquam pertinentibus: & salvo semper meliori judicio, si fortassis hic quoque mendum aliquod involuntarium irrepsisset.

[16] *Annales Cæsenat. ann.* 1324. 1326. *et* 1334. *Claram. Histor. Cæsen. f.* 362. 366. 389 402. 460. 484. 533. *Chron. Ms. S. Cæsen f.* 50. 51. 123. 171. 175. 178. 182. 183. 187. 189. 198. 207.

(17) *Claram. loc. cit. lib.* 14. *fol.* 670.

[18] *Pius II. Commentar. l.* 10. *f* 251. *Anonym. Ital Histor. cap.* 14. *Claram. Hist. Cæsen. lib* 15. *Vita del B. Roberto Malatesta Filip. Antonin. Supplemen. della Cronica di Verucchio Cronica Riminese.*

7 Familia hæc celeberrima, factionis Guelphæ studiosa, & in rebus bellicis admodùm clara, ex parvis initiis ità crevit immodicè, tantundemque festinè; ità ut illi per allegoriam adaptari valeat carmem Ovidii (19).

O' quam de tenui Romanus origine crevit.

(19) *Ovid.* 3. *Fast.* 87.

Nàm

Nàm cum primus Malatesta de Veruculo, patria relicta, sit profectus Ariminum, circà annum 1250. (20), vel secundum alios adhuc serius: & ex tunc incæperit militaria tractare; jam tamen vix transgresso sæculi unius curriculo, anno scilicèt 1352. Anonymo Italo teste (21) illius descendentes dominabantur Cæsenæ, Arimino, Pisauro, Fano, Senogalliæ, Anconæ, Auximo, Recineto, Æsio, Asculo, & Forosempronio: præter innumera Oppida, Castra, & loca prædictis urbibus intermedia.

[20] *Filip. Antonin. supp. della Cron di Verucch. f. 58.*

(21) *Anonymus Italus Histor. cap. 14. apud Murator Rer. Ital. tom. 16. fol. 271.*

DE GALEOTO MALATESTA PRIMO CÆSENÆ PRINCIPE

8 *Galeotus* Malatesta primas familiæ sui cognominis ea ætate, de qua nùnc loquimur, Arimini residebat, cui actu dominabatur. Ejus naturalis figura est subsequens, desumpta ex icone altaris Ecclesiæ Confratrum S. Crucis Ariminensis (22).

[22] *Anton. Mar. Bonuc. Vita della B. Michelina da Pesaro cap. 19 pag. 193.*



9 Is Galeotus, tempore Gregorii PP. XI. fungebatur officio Vexilliferi, vulgò *Confaloniere*, Sedis Apostolicæ ar-

arma tractans in ejus opem. Optabat autem, si posset, subdere sibi quoque Cæsenam. Et opportunitate data, quod Robertus Gebennensis Legatus Papæ proditoriam, truculentissimamque lanienam Cæsenatum fecit manibus militum Britonum, in Diatribis Cæsenatibus descriptā(23): *Dominus Galeotus*, inquit S.Antoninus, *Dux exercitus Ecclesię, hęc fieri sinebat, quasi non curans: fortè sperans, civitatem vacuam remanentem ad ejus dominium perventuram; sicut postmodum accidit* (24). Utcumque sit de hac secreta conspiratione, cum jam nullum aliud suppeteret remedium consulendi gravibus indigentiis desolatæ Cæsenæ, deliberatum fuit illam subiicere alicui Principi diviti, atque potenti; ut suprà dictum est.

[23] *Vide Diatrib. Cæsen.*

(24) *S. Antonin. Chron. par. 3. tit. 22. cap. 1 §. 4.*

10 Vigebatque tunc apud multos bona opinio de Galeoto, ejusque [dotibus] tàm civilibus, quàm militaribus; pacis æquè, ac belli tempore patefactis: quod esset prudens, ęquanimis, providus, magnificus, virtutis amator, cultor justitię, strenuus, & etiam pius. Commendabatque illius probitatem iter, quod anno 1344. unà cum pluribus amicis, & sociis, assumpserat ad sanctam civitatem Hierusalem, ut religiosè visitaret Christi Domini sepulchrum, illùc navi vectus, ex portu Anconæ digressa. Deniquè in antiquis memoriis tali honestatur elogio: *Hic D. Galeotus semper fuit sapiens, probus, & in omnibus gloriosus* (25). Cum ergò Cęsenates intelligerent, hunc postulare à Papa eorum civitatem in Vicariatum; post plures consultationes, & solertem rei discussionem, deliberarunt, postpositis cunctis aliis, novo huic Principatui assensum præbere (26) prout jam quoque suprà tetigimus.

[25] *Anonym. Italus cap. 14. ubi supra.*

[26] *Cronic. Riminés. ann. 1378.*

11 Galeotum ergò accersivit Comes Romandiolæ, (qui Provinciam regebat nomine Urbani PP. VI. & Cęsenæ residebat); ut veniret, arcemque Cęsenatem expugnaret, detentam à pręsidio militari Gebennensis Antipapæ. Adfuit Malatesta cum quatuorcentum equitibus, ac totidem millibus peditum: & aggressus arcem validissima obsidione, illam die, noctuque militaribus machinis, & bellato-

latorum irruptionibus fatigatam, atque quassatam, tandèm ad ultimã angustiam redegit (27). Anno proindè 1378. *die 20. Decembr. Rector civitatis Cęsenę de voluntate D. Urbani Papę VI. tradidit dominium dictę civitatis D. Galeoto de Malatestis: cujus castrum postea per vim habuit, quod tenebatur pro D. Antipapa, qui dictam civitatem in exterminium jam posuerat* [28]. Postremò die 1. Januarii 1179. Pręsidium Antipapæ, cum jam ultrà subsistere non posset, abiens, arcem Galeoto expugnatori resignavit (29).

12 Laudabilitèr præfuit urbi nostræ Galeotus novus dominus, & dynasta: quippè qui eandem instauravit, & ornavit (30): ac benignum quoquè se Cæsenatibus exhibuit: quibus & per quinquennium tributa publica condonavit (31). Etiam frumenti copiam eis intulit; ac spe illos fovit splendoris pristini recuperandi. Et quoàd formam regiminis, cætum statuit LXXII. Optimatum, qui Consilium generale componerent Civitatis: quibus & concessit libertatem eligendi sibi Prætorem pro Civilibus causis: deputato per ipsum Galeotum nihilominùs Vicario, qui ejusnet Principis nomine Consultationibus publicis interesset (32). Sed & ut Civitati prodesset, frequentem ipsi suam præsentiam exhibebat, diuturna mora ibi permanens. Ubi & ad firmius munimentum, anno 1380. incæpit ædificare novam arcem è conspectu veteris, adhuc nostra ætate integram, & subsistentem, ac dictam communi voce, arx nova: situ, & arte fortissimam: vallisque hinc inde, atque propugnaculis robustissimis communitam: toti civitati dominantem, ac subterraneis cuniculis hùc illùc iter habentem: ingenti demùm industria, & artificio juxtà meliores regulas bellicæ architecturæ, pro modo illorum temporum elaboratam: de qua modulatus est Cornelius Guasconius.

Posta è sopra d' un poggio, à tale altezza,
Che con l' artigliaria si giunge appena.
Ne mai si puo pigliar senza magagna:
Però Falcon si chiama di Romagna (33).

13 Cæ-

[27] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 14. fol 670 Dict Cron. Riminesi loc. cit.*

(28) *Chron. Estense sub. an. 1378.*

[29] *Cronic. Riminesi ann. 1379.*

(30) *Cronic. Manuscr. Cæsen. fol. 6. & 7.*

(32) *Claram. Histor. Cæsen. lib 14. fol. 071 & lib. 15. fol. 673*

(33) *Guasconi Diluvio di Cesena 5. Sè dir.*

13 Cæsenæ quoquè Galeotus splendido suscepit hospitio Ludovicum I. Andegavensem, Neapolim properantem, eo quod Joanna Regina illum sibi in filium solemnitèr adoptasset (34). Cerviam item deindè suo adiunxit imperio, detractam Guidoni Polentano: quem & Ravennę obsessum eximiè terrefecit, quantumlibet illam urbem nullatenùs expugnaverit (35). Castrum quoquè Pisatellum, in pago Venciliarum situm, & memoratum in Statutis Cæsenatibus *pag.* 294. fecit funditùs desolari, quià receptaculum erat impiorum hominum factionis Ghibelinæ, omnia scelera nequissimè attentantium, sub spè tuti confugii, quod ibidem sibi usurpabant. Denique cum jam senio confectus esset, viribusque fractus, & in actionibus bellicis consummatus, obiit Cæsenæ die 21. Januar. anni 1385. (36). In magno nempè palatio, quod supereminet plateæ majori [non diù pridem à Cardinali Ægidio Carilla ædificato] ubi residentiam fecerunt omnes Principes familiæ Malatestæ, qui Cæsenæ dominium tenuerunt (37).

14 *Mortui funus magnificum*, inquit Pius PP. II. *duxere filii tres superstites, Carolus, Pandulphus, & Malatesta: Galeotus Novellus in vita patris obierat* (38). Alicubi legitur, cadaver ipsius Ariminum fuisse translatum; at verosimilius alii scribunt, Cæsenæ (ubi diem suum clausit extremum, & funeream accepit pompam) fuisse tumulatum sub crate ferrea, quæ cernitur extra minorem januam Ecclesiæ S. Francisci (39). Non assignavit filiis propriam cuique partem ditionis: qui proinde dominio paterno per aliquod tempus insimul præfuerunt, uti *Rectores* [40]. Deindè facta divisione, *Major natu Carolus, septimum, & decimum agens annum in Arimino successit. Pandulphus duobus annis minor, Fanum, & oppida Piceni sortitus est. Malatesta Cæsenam* (41).

15 Multa existimatione claruisse apud homines Galeotum, argumentum præbent literæ, quibus Respublica Florentina ejus filiis respondit: *Magnifici viri. Lugubres, & funestas literas vestras tristes accepimus, quibus*

[34] *Roynald. an.* 1380. *num.* 11.

(35) *Claram. fol.* 679. *Chronico fol.* 35.

[36] *Bernardin. Manzon. Chronol. Cæsen fol.* 86. *Cronic. Riminen ann.* 1385.

(37) *Claram. Histor. Cæsen. lib.* 15 *f.* 081.

[38] *Pius II. Commentar. l.* 10. *fol.* 256. 22

[39] *Chron. MS. Cæsen f.* 217 *Claram. l.* 15. *fol.* 082.

[40] *Scip. Claram Hist. Cæsen lib.* 15. *fol.* 032.

(41) *Pius PP.* 2. *Commentar. lib.* 10. *fol.* 256 24.

nobis obitum cariſſimi fratris noſtri D.Galeoti, noſtro maximo dolore ſcripſiſtis: nos orbati amico, & duce optimo, quantum in nos fuit, doluimus, qualem nec poſſe aliquando invenire ſperamus, & quod etiam ingenuè fatemur, qualem, & quantum adhuc invenire nequivimus. Dolemus igitur noſtris, & veſtris incommodis; dolemus ſacroſanctæ Eccleſiæ cladem, & diſpendium Italiæ, & totius reipublicę detrimentum. Cecidit igitur fortiſſimus Dux, Auſoniæ decus, Eccleſiæ propugnaculum, conſilii maturitas, rei militaris ſcientia, unicum noſtris temporibus fidei, & integritatis exemplum. Cecidit reipublicæ noſtræ verus frater, & ſecundæ, atque adverſę ſorc unæ noſtræ particeps: ut hunc caſum vix ſatis dignè pro magnitudine rei poſſit noſter populus lamentari. Conſolamur tamen in eo, quod ſcribitis, ipſum dilucida ratione mentis, rebus ſuis, ut decebat, benè diſpoſitis, in communicatione fideli ſacrorum Eccleſiæ deceſſiſſe: Spes ſalutis ipſam ſævitiam doloris aliquantispèr levat: & ut in iis item conſolari debeatis, vos etiam,atque etiam rogamus. Cogitate qualis, & quanti viri, quantæque gloriæ ſitis hæredes: voſque dignos tantis rebus, & fortunis, virtute animi, ac omni præſtantia exhibeatis. Maximum enim habetis ad amplitudinem, & gloriam exemplum, & ſtimulum, quem in tanto paterni luminis ſplendore debeatis, & in oculis, quaſi theatro Italię obſervare. Nos autem perpetuò amorem ergà vos noſtrum, ſtudium, opes, fortunas omnes vobis pollicemur. Eſtote unanimes, ne aliquando imperio excidatis, Valete (42).

(42) *Epiſtolæ Principum f.3*

DE ANDREA MALATESTA CÆSENÆ PRINCIPE II.

16 Poſt mortem Galeoti, Cæſenæ Principatum ſecundo loco ſuſcepit *Andreas* ejus filius, qui proprio nomine relicto, vocatus eſt communitèr *Malateſta de Malateſtis*, aut *Malateſta Cæſenas* (43). Nominum ſane mutatio in hujuſmodi familia perpluries contigit. Malateſtę vultū,ſi noſce deſideras,habet hic, deductum ex ſphragide, ſive antiquo ſigillo Gothicis literis circumſcripto,exiſtente apud P.Baldinu m Brixienſem Congregationis Somaſchæ, vi-

(43) *Chron. M S. Ceſen fol. 218*

virum eruditum, & in rè antiquaria summoperè peritum, nùnc Romę in Clementino Collegio commorantem.



17 Ipse Andreas residebat Cæsenæ: quo verò ad temporalem ditionem, dominabatur quoque Forosempronio, ac Cerviæ: addito deindè Britinorio, quod à Bonifacio Papa IX. pecuniæ tenuis pretio aquisivit (44). Tres recensentur ejus uxores ordine successivo ductæ. Prima *Rengarda*, mulier speciosa, filia Bertrandi Alidosii despotæ Imolensis: quam deindè adulterii ream cum Americo Cassino Cæsenate, patri remisit, & hic illam de medio sustulit propinatione veneni: adultero paritèr per Malatestam sepulto in profunda turri, acq. ibi fame necato (45). Secunda *Lucretia* filia Francisci, vulgò *Cecco* Ordelaphi, quæ in primo puerperio filiæ Parisinæ interijt, à patre lęthifera potione perempta, in odium quod concepisset ex familia Malatesta, inconciliabili æmulatrice Ordelaphæ (46). Tertia *Polisena* proxime conjuncta nexu agnatitio Ladislao Regi Neapolitano (47).

18 Filiam verò suam, nomine Antoniam, ipse Malatesta nuptui tradidit Ioanni Mariæ Vicecomiti Duci Mediolani. De qua ità scribit Bernardinus Corius: *Antonia Malatesti giunse a Milano, fu introdotta per la porta Romana insieme con l'Illustrissimo Malatesta suo Padre e alle hore 21. del proprio giorno, nella Chiesa maggiore fu sposata a Gio: Maria Prencipe di Milano* (48). Hæc deindè orbata viro, a conjuratis infeliciter interrempo (49), Cæse-

(44) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 15. f. 686. 689. 693. &* 707

[45] *Idem l. 15. fol. 686. 701. Clementin. l. 7*

(46) *Claram. ubi sup. l. 16. fol. 724. & seq. Clementin loc. cit.*

(47) *Idem Claram l. 16. fol. 723. & seq.*

(48) *Corio Histor. di Milan. fol. 301.*

[49] *Jovius Hom. Illustr. in Io. M Duce Mediol.*

nam redivit ad patriam domum, & subsequentèr vixit, ac mortem oppetiit, dicta communitèr *la Duchessa di Milano* (50). Nec parvi ponderis decus est Civitati nostræ dedisse Ducissam insigni Ducatui Mediolani. Alteram filiam *Elisabetham* ipse Malatesta matrimoniali lege coniunxit Opizoni Polentano domino Ravennatum (51). Aliam nomine Parisinam copulavit Marchioni Estensi Ferrariæ. Deniquè Polisenam filiam illegitimam concessit in uxorem Anastasio Tyberto civi ex precipuis Cesenati [52].

(50) *Chronic. M.S. Cæsene f. 225. & 228*
(51) *Ibidem fol. 229.*
[52] *Idem ibi. fol. 56. 223.*

19 Commendatur ipsemet Andreas, aliàs Malatesta Cæsenas militari virtute, ac prudentia civili: prævalens consilio, & manu, tàm belli, quàm pacis tempore: nec minus domi, quàm foris. Ac profectò non levia suæ strenuitatis monumenta reliquit pluribus in Italiæ provinciis, ubi militiæ operam dedit. De illo ità metricè habetur apud Antonium Cornazzanum.

Sotto il gran Malatesta da Cesena
El quale a Matolò fu Capitano
E tanta gente avea d'armi serena.
Sotto quel Duce, che accampò Milano,
Quando ruppe in nemici a Caravaggio
Ove vittorie il ciel gl'aprì con mano.
Apena huomini trè di Cathenaccio
Moriro: pure in queste due battaglie
Italia tutta avea porto il suo braccio [53].

(53) *Cornaza. de re militar. lib. 3. cap. 2.*

20 A' Bonifacio Papa IX. cum copiis Ecclesiasticis ipse Malatesta Romam fuit missus, ad comprimendam gravem seditionem popularem ibi excitatam (54). Subindèque ab eo decoratus dignitate Senatoris almæ Urbis, Romanos Pontifici obsistentes, in brachio forti repressit (55): Ac simul apud Pontificem pro Cæsenatibus intercessit, ut de bonis emphiteuticis possent pro suo arbitratu disponere (56). Opitulatus est quoquè Alexandro Papæ V. quem Cæsenam transeuntem anno 1409. hospitatus est magnificentissimè: ab eo viceversa insignitus honore Vexilliferi Ecclesiæ, ac aurea Rosa benedicta muneratus, à Papis donari solita magnis

[54] *Claram. histor. Cæsen. lib. 15. f. 694.*
(55) *Chron. M.S. Cæsen. par. 221*
[56] *Claram. lib. 16. f. 697.*

gnis

gnis Principibus: quam ipse Malatesta in Ecclesia Sancti Francisci Cæsenæ deposuit, super eleganti pede chrystallino perenniter asservandam (57). Adjutor denique fuit Balthassarri Card. Coscię Legato Apostolico pro recuperandis Ecclesiæ Bononia, Faventia, & aliis locis Ecclesiastici Status (58). Cui tamen ad Pontificatum evecto, propter jurgia inter eos exorta, se infestum exhibuit, junctus Ladislao Regi Neapolis [59]: taliter ut Papa coactus fuerit Roma recedere, atque in Thusciam properare (60).

21 Malatesta dominante, Astorgius Manfredus illius antagonista, & Faventiæ dynasta, manu valida militum associatus anno 1390. tentavit occupare Cæsenam, ingressu nocturno per portam Cæsaulæ, prospicientem versus Conventum Fratrum Observantium S. Francisci. Sed rè à vigilibus detecta, invasores partim fugati, partim capti, & laqueo ad muros appensi, partim ab ipsismet muris præcipitati, partim denique in captivitatem detenti sunt: at sic proditorius ille conatus porsus evanuit (61). Pari emulatione biennio post excitus Antonius Urbini Comes, cum 700. militibus prædatoribus, territorium Cæsenate percurrit. Idemque successivè peregit Pinus Ordelaphus Forolivii occupator, & Urbinati confæderatus. Quarè Malatesta injuriam ulturus, bellicis viribus Foroliviensem agrũ vastavit: pugnaque conserta, hostes profligavit, octingentis eorum captis, & Cæsenam ductis, sub custodia retinendis (62). Castra quoquè Riversani, Subrivoli, ac Theodorani Archiepiscopo Ravennati subtraxit [63].

22 Ex terræmotu interim ædificia Cæsenæ grave subierunt detrimentum anno 1393. Quod flagellum non diù post subsecuta est pestilentiæ lues anno 1400. Deindè addita est gravis inopia segetum. Reparandæ igitur, & exornandæ Civitati Malatesta Princeps incubuit. Et magnam plateam, anteà declivem, ad formam fecit planispherii coæquari anno 1401. occasione Torneamenti equestris sumptuosissimè celebrati die 26. Junii. Adhùc & pontem lapideum super flumine Sapi (cum anteà esset ligneus) an-

(57) Dict. Chronic. Cæsen. fol. 56. & 226.
[58] Claram. lib 19. fol. 724
(59) Chron. Cæsen. ubi sup. fol. 224. & seq
(60) Odor. Raynald. an. 1413. num. 22.
(61) Annal. Cæsen. ap. Claram f. 062.
(62) Scip. Claram hist Cæsen lib. 15. f. 089. & seq.
(63) Murator. Rer. italic. to. 2. fol. 215

anno 1404. propriis sumptibus inchoavit: cui successivè prosequendo, adjutorium contulit hæreditas Andreæ de Bagnarea, hunc ad effectum à suo testatore deputata. Postmodùm ad fertilitatem agri Cæsenatis procurandam, torrentes quosdam per territorium defluentes, profundius mandavit effodi anno 1412. Ac biennio post aliundè comparato tritico, Cæsenæ inopia laboranti, succurrit [64]. Magnam item Campanam super *Turri Populi* collocavit: quę sita erat in supercilio collis Garampei, ex parte prospiciente Apenninum (65). Egit & de minuendo cætu Decurionum, sed cives obstiterunt [66]. Diruit verò suburbium, Florentiolæ appellatum, quod versus Ecclesiam D. Petri protendebatur (67).

(64) *Claram. lib. 15 f. 704. & lib. 16. fol. 723. ad 724.*
(65) *Chron. M. S. Cæsen. f. 16. & 220.*
(66) *Claram. lib. 15. fol. 701*
(67) *Idem ubi supr. fol. 706.*

23 Deniquè pluriès fatus Malatesta de Malatestis in cachexiam lapsus est, idest in malam corporis habitudinem (68): paulatimque hidropè formata correptus; cum ad ulciscendam injuriam, qua Braccius de Montone Perusinus, celebris, & potens illorum temporum belligerator, numerosa caterva militum, territorium, Portumque Cæsenatem depredatus fuerat, & vastaverat, misisset Carolum fratrem suum: hicque in prælio victus, captusque succubuisset; Malatesta nuntio infandi eventus audito, aggravatus est mærore animi, & morbo, ac tandèm in castro Belaeris *vita excessit anno 1416. die 21. Septembris, ætatis autem anno 43. Quodque viri infortunium auxit; Galeotus ejus filius annorum 19. in eodem castro, triennio antè absque filiis perierat* (69). Utriusque corpus funus accepit apud Cæsenam, traductum ad Ecclesiam S. Francisci (70).

(68) *Du Mortier Etimolog. Sacr. V. Cachexia.*
(69) *Scip. Claram. Histor. Cæsenæ lib. 16 fol. 725. Clementin. lib. 7. Cron. Riminesi ann. 1414.*
(70) *Chron. M. Cæsen. fol. 57. & 230. Claram loc. cit lib. 15. fol. 682*

DE PANDULPHO MALATESTA CÆSENÆ PRINCIPE III.

24 Sublato è vivis *Andrea*, communitèr appellato *Malatesta* de Malatestis, Principatus urbis nostræ transivit ad Pandulphum ejus fratrem: tunc absentem in Insubria, ubi occupaverat Brixiam, & Bergomum. Simulacrum vultus hujus Principis habetur ex æreo numismate nobis exhibito Romæ à D. Francisco Valesio rerum antiquarum studioso, hujusmodi formæ.

25 Lo-



25 Loco Pandulphi absentis, regimen Cæsenæ administravit Carolus ejus fratrer; Dominus quidem Arimini, sed & ipse absens, tamquàm actu detentus in captivitatem Braccii Perusini. Vir adeò inflati animi, ut detentori suo *nunquam aut assurrexerit venienti, aut cervicem inflexerit salutanti: ut qui victore majorem se gereret, & in captivo corpore liberum gestaret animum* (71). Lytrum redemptionis ejusdem Caroli ad octoginta millia nummorum aureorum dicitur ascendisse. Quibus persolutis, domum reversus est, & rexit Cæsenam nomine fraterno usque ad hujus regressum ex Lombardia [72]. De his duobus fratribus, inquit Pius PP.II. *in Carolo præter superbiam, non facile invenisses, quod de moribus damnare queas. Pandulphi longè dissimilem vitam memorant: cui nec honestatis, nec religionis cura fuerit. Post mortem Galeatii* (Ducis Mediolani) *Brixiam, Bergamumque Joannis Mariæ nomine gubernans, rupta fide Dominum egit* [73].

(71) *Pius PP. 2. Comment. lib 10. fol. 257. 4.*

[72] *Claram. hist. Cæsen. lib. 16. fol. 725.*

[73] *Pius 2. ubi sup. f. 257. 25.*

26 Diù præfuit Pandulphus equestribus aciebus Ducum Mediolani. Ubi cum ex annulo, quem in digito deferebat, suspicio foveretur, quod se carnalitèr miscuisset amasiæ Galeatii principis; Barnabas Vicecomes hujus frater isto sub prætextu, sed verè motus invidia virtutis bellicæ, quæ in æmulo perfulgebat, studuit illum interimere, irrito tamen affectu (74). Illùc profecutus est deindè militiam usque ad obitum Joannis Mariæ Ducis. Quo à coniuratis trucidato, Facinus Canis Papiam, Otho Bonter-

[74] *Matth. Villan. histor. lib. 7. cap. 48.*

tius

tius Parmam , Cabrinus Fondulus Cremonam, Joannes Vignatus Laudam, Francinus Rusca Novocomum , & alii alias urbes Insubriæ, quas nomine Ducis Mediolanensis regebant,suo proprio dominio vindicarunt (75).Et eadem forma Pandulphus quoq; Brixiam , ac Bergomum , quibus præerat, occupavit : detinuitque sibi subiectas, donec devoluto Ducatu ad Philippum Mariam , occisi Ducis fratrem , ac successorem , omnis cura adhibita est pro tot invasoribus depellendis:& ità etiam Pandulpho quidquid sibi arrogaverat,subtractum fuit anno 1421. (76). Pepulit eum armis Carmaniola (77) celebris militum præfectus illorum temporum pro Duce Philippo Maria (ità dictus ab oppido nativo ejusdem nominis , posito in subalpinis (78) , cum ipse rè vera Franciscus Bussorius vocaretur:) quàm clarus virtute , ac fortuna militari , tàm infelix ob mortem super publico patibulo passam sententia Venetorum .

(75) *Paul Jovius in vit Jo. Mar. Duc. Mediol.*

(76) *Apud Murator. Rer Ital. tom. 14. fol. 775.*

(77) *Chron. M. S. Cæsen. fol. 57. & 66.*

(78) *Paulus Jovius in vita Carmagnol.*

27 Ex Insubriá ergò Pandulphus venit Cæsenam anno præfato [79]: & civitati nostræ præfuit usque ad obitum. Bis nupsit : primo *Nicolaę Antonię* , filiæ Rodulphi Varani despotæ Camerinensis: quam Cæsenates peculiari affectu , & honore prosecuti sunt : sed ex ea , quæ per triennium vixit,filios non suscepit. Secundò nupsit *Margaritæ Annę*,natæ ex Francisco Puppiensi comite,quę item nullum ei peperit filium. Cæsenæ imperavit usque ad annum 1427. quo agens ætatis annum 57. die 3. Octobris morte vitam commutavit in civitate Fani (80) . Sunt qui memorant , obiisse ibidem in manibus S.Jacobi de Marchia, die 4.Octobris 1426. (81). Et ibi sanè , in Ecclesia S. Francisci tumulatus fuit pompa solemnissima : cum præter Fanenses interfuerint ejus exequiis 100. nobiles Ariminenses, & 145. Cæsenates, omnes atrati . Placeat hic audire modulationem Benedicti Cæsenatis de Honore mulierum lib. 4. epist. 10. ità merita hujusmodi Principis commendantis .

Non posso in brevi carte dir suoi gesti.
Del buon Pandolfo sai , che ancor si conta
Che fù un splendor frà gl' altri Malatesti .

(79) *Claram. hist. Cæsen. lib. 16. fol. 725.*

(80) *Idem Claram. lib. 16. fol. 726.*

(81) *Chronic. Riminens. anno 1426.*

28 In

28 In planitie agri Cæsenatis, adprobante Carolo ejus fratre, anno 1422. fecit ædificari præclarum Castrum figuræ quadrangularis, D. Georgii nuncupatum, suis fossis, & mœniis forma militari circumdatum, ac quatuor propugnaculis in totidem illius angulis constipatum. Cujus in medio procerrima, & validissima Turris assurgit, adhùc subsistens(82). Adfuisse ibidem ferunt haud longè palatium quoque rurale ad æstivandum accommodatum: hocq. progressu temporis disiectum fuisse à quodam, vel valdè paupere, vel tantundem vecorde indigena, in cujus potestatem transiverat, nomen habente Francisci Ubaldini, ut cæmenta distraheret. Porrò in circuitu ejusdem Castri quotannis nundinæ celebrabantur magno confluentium concursu. Idem quoquè Pandulphus præfatæ Turri appendit ingentes illas catenas ferreas, quæ nunc quoque ibi spectantur affixæ: ab eo detractas ponti Mediolanensi, januæ Vercellinæ, occasione conflictus militaris habiti ad illam portam cum exercitu Philippi Mariæ Ducis Mediolani, quem vicit, & profligavit (83). Ipsasque catenas, & campanam super eadem Turri locatam, idem Pandulphus dicavit S. Georgio Martyri, cujus erat devotus.

[82] Chron. M S. Cæsen. fol. 230.

(83) Id. Chron. loc. cit.

29 Patet hoc ex eo, quod super ipsa Turri cernitur expressa opere anaglypho imago marmorea ejusmet S. Georgii: cui subappositum legitur epitaphium octostichon ità resonans Gothico charactere.

HAS MEDIOLANI RAPUIT MAVORTIUS HEROS
CUM TOTAM OBTINUIT DEPULSIS HOSTIBUS URBEM,
PERFIDIAMQUE DUCIS DOMUIT CUM VINDICE DEXTRA;
HAS IDEM MALATESTA TIBI MALATESTIA PROLES,
VIRCELLINA SUO TENUIT QUAS JANUA PONTE,
DEDICAT, ET SACRAT MILES SACRATISSIME REGIS,
BELLORUMQUE POTENS PENDENTES TURRE CATENAS,
CAMPANAMQUE SIMUL CELEBRIS MONUMENTA TRIUMPHI.

Quorum carminum sensus est iste: *Has Catenas pendentes à Turre, quas rapuit Mavortius heros Malatesta, Malatestia proles* (idest Pandulphus, ne dùm cognomine Malatesta, sed etiam virtute bellica Malatestia proles) *cum totam urbem Mediolani vindice dextra obtinuit, depulsis hostibus, & perfidiam Ducis* Philippi Mariȩ *domuit, ac quas janua Vercellina* Mediolanensis *tenuit suo ponte; His*, inquam, *campanamque simul, idem Malatesta dedicat, sacratque tibi* S. Georgi, *miles sacratissimi Regis Cœli, bellorumque potens* tutelaris; tamquam *celebris monumenta triumphi*. Per portam Vercellinam ingressus est Mediolanum Innocentius PP. IV. Lugduno veniens (ubi celebraverat Concilium generale) ut rediret ad suam Sedem Romanam, prout liquet ex ejus vita per Thomam Costum conscripta. Et de ipsamet janua legitur in Annalibus Mediolanensibus: Joannes Galeatius Dux *ȩdificari fecit, juxtà hospitale S. Ambrosii citadellam portȩ Vercellinæ Mediolani* (84). Sunt qui contenta in hoc Epigrammate attribuunt non Pandulpho, sed Andreæ illius fratri, qui, ut suprà innuimus, alio nomine vocabatur Malatesta dè Malatestis. Verum eventus prælii Mediolanensis ibidem connotati, non Andream auctorem habuit, sed Pandulphum circa annum 1620.

[84] *Annal. Mediolan. cap. 154. in tom. 16. Rer. Ital. fol.* 820.

30 Triennio post obiit quoquè in oppido Lonzani die 14. Septembris 1429. Carolus Pandulphi frater (85): & in eo finem habuit præclara soboles *legitima* de Malatestis ordinis magnatitii; Nàm alii, qui subsequentèr dominati sunt Cæsenæ, Arimino &c. prodierant ex linea infecta, ut mox videbimus. Interim aliquid est dicendum de Stemmate gentilicio ejusdem illustris prosapiæ. Antiqua Insignia familiæ Malatestæ olim componebat scutum, seu parma in duas partes divisa: quarum superior continebat caput hominis nudum. Inferior vero referebat tres zonas obliquas, vulgò *Sbarræ*, schacchis aureis tessellatas. Alii opinantur, fundum clypei non in duas partes, atque colores divisa extitisse, sed unicum planum retulisse: ac nihil aliud continuisse, quam tres zonas sic ut suprà schacchis inspersas.

(85) *Cronic. Riminesi ann.* 1409.

31 Post

31 Post obitum deindè Galeoti, qui suo tempore caput erat familiæ, ac totum principatum in se uno continebat, spatiosum equidem, ac peramplæ dilatationis, de qua suprà dictum est (86); illius ditio temporalis in tres ipsius filios divisa est, nempè in *Carolum*, qui factus est Dominus Arimini. *Andream* (qui & aliàs Malatesta de Malatestis vocabatur) adeptum principatum Cæsenæ. Ac *Pandulphum*, qui provectus est ad Fani dominium. Et horum unicuique pro sua portione adhùc aliæ adiectæ sunt civitates, oppida, & loca. Ne autem tanta dynastia, sic ut suprà divisa nutaret, ac viribus minueretur, iidem tres fratres inter se condixerunt, ut singuli quidem suæ propriæ partis liberum regimen obtinerent. Sed quantum ad civilem agendi modum, juraque Reipublicæ contuenda, & ad omne id, quod viri politici vocant; *Interesse di Stato*; unicum, & conforme omnium ipsorum trium esset intentum, una solicitudo, ut a cura pacis, & belli: unum propositum amnistiarum, fæderum, & ultionum. Ad quod studium symbolice significandum, stemmati gentilitio in quatuor partes diviso, addiderunt hinc inde tria capita hominum trigona configuratione conjuncta, & hieroglyphicè denotantia, in familia Malatesta, etiam divisa ditione, substiturum eundem Principatum, quo florebat tempore Galeoti [87].

(86) *Vid. supr. in hoc cap. 5. 7*

[87] *Bonuc. Vit. del B. Michelina da Pesaro c. 19 fol. 194.*

DE DOMINICO, sive MALATESTA NOVELLO CÆSENÆ PRINCIPE IV.

32 Quoniàm nec Andreæ, neque Pandulpho prædefunctis Principibus, filii legitimi superstites adfuerunt, & quoque Carolus eorum frater simili prole carebat; spes unica subsistentię familiæ de Malatestis erat sita in tribus masculis illegitimis, quos Pandulphus ex damnato coitu genuerat apud Brixiam: & indè recedens duxerat secum Cæsenam (88). Invenerat gratiam Carolus idem apud Martinum PP. V. occasione Summi Pontificatus ab ipso Carolo resignati, nomine Gregorii XII. in Concilio Constantiensi (89). Quamobrèm impetravit à Martino, ut

[88] *Claramont. hist. Cæsen. l. 16. fol. 726.*

[89] *Odor. Raynal. an. 1415. num. 27.*

 sana-

ſanata labe natalium dictorum trium filiorum illegitimorum Pandulphi, capaces illos redderet Dynaſtiæ Malateſtarum (90).

33 De his tribus filiis ità loquitur Pius PP. II. Pandulpho *nobiliſſima ſoboles nata, Sigiſmundus, Robertus, ac Dominicus Malateſta, qui Malateſtarum hodie principes habentur* (91). Robertus natus eſt anno 1411. Sigiſmundus anno 1417. Dominicus anno 1418. (92). Primus, in ejus vita dicitur filius Eliſabethæ (93). Alibi aſſeritur genitus ex Allegria de Moris: quod fortaſſe melius competit Sigiſmundo. Tertius matrem habuit Antoniam *del Caſtellano* [94]. Poſt obitum Pandulphi regimen civitatis Cæſenæ adminiſtravit Carolus prædictus: an ſuo proprio nomine, vel tutorio illius ex ſuis nepotibus, qui ſortiturus eſſet hanc ditionem in diviſione mox facienda, nobis non innoteſcit. Pandulphus obiit anno 1427., & Carolus anno 1430. prout ſupra notavimus. Robertus denique, titulum Beati apud Franciſcanos adeptus, obiit die 10. Octobris 1432. (95). Et tamen diviſio Dynaſtiæ Malateſtiæ facta fuit ipſo Roberto adhuc vivente. Scribit enim Pius PP. II. *Frater natu major Robertus Ariminum in hæreditatis partem ſuſcepit: Sigiſmundus Fanum: Dominicus Cæſenam* (96). Undè vel non, vel valde brevi tempore hi tres adoleſcentuli paternæ ditioni, præfuerunt unà ſimul; ſi verum eſt id, quod aliqui obtendunt, eos ante diviſionem conſortialitèr tamquàm condominos, nomen dediſſe temporali regimini ſtatus, quem illorum pater poſſederat.

34 Itàque DOMINICUS fuit *quartus* Princeps, & Dynaſta Cæſenæ: qui dimiſſo proprio nomine, communiter MALATESTA NOVELLUS voluit appellari. *Cæſenæ reſedit*: & in ejus præconium computatur, quod fuit *Princeps literis ornatus, beneficus, pius, nec ſine militaris virtutis laudibus: quibus præclaris qualitatibus Cæſenates ſibi obſequentes reddidit, & devinctos* (97). At alitèr de illius moribus effatur ſynchronus Pius II. cum poſt enunciatas peſſimas qualitates Sigiſmundi, ſubdit: *Dominicum fra-*

[90] *Claram. loc. cit.*

(91) *Pius II. Comment. c. 10 f. l. 257 28.*

[92] *Claram. ubi ſupr. f. 725*

[93] *Vit. del B. Robert. Mal. f. 27*

[94] *Chronic. M. S. Cæſen. fol. 232.*

(95) *Petr. Rodulph. hiſt. Seraph. l. 1. f. 146*

(96) *Pius II. comment.*

[97] *Claram. lib. fol. 731.*

fratrem ejus paulo minus odiosum necessitas fecit : quem doloribus arteticis laborantem, non licuit suæ nequitiæ desideria explere : fuit tamen sacrę religionis contemptor : & hunc Sigismundus sæpe ferro conatus est auferre (98). In rebus bellicis Novellus modò prosperàm, modò improsperam expertus est fortunam.

(98) *Pius II. Comment. l.* 10 *f.* 257.

35 Adjuvit quandoque Franciscum Sfortiam, arma Pontificia dirigentem pro recuperandis civitatibus Ecclesiæ. Deindè contra illum ob occupatam partem provinciæ Piceni, vires suas bellicas copulavit Nicolao Fortibraccio [Sfortiæ adversario] vulgò Picinino : quem & Cæsenæ magna sumptuositate hospitatus est. Militaris artis peritia præstans, dux fuit excellens bellatorum equestrium. Bello Insubriæ contra Mediolani Ducem anno 1450. improsperè interfuit. Nàm dum apud Brixiam actu prælium ageretur, impetu proprii equi repentino illapsu translatus inter alas hostium, ab his captus, & detentus est, donec permutatione cum Corolo Gonzaga, libertatem pristinam aquisivit (99). Bello quoquè Neapolitano se ingessit : & Articuli, seu capita conspirationis procerum regnicolarum contra Ferdinandum I. regem Neapolis, favore Joannis quondam Renati Andegavensis, digesti fuerunt Cæsenæ coram ipso Novello (100).

36 Cum Summis Pontificibus vario modo sè gessit. Obsequens etenim fuit Eugenio PP. IV. quem nobili comitiva Cæsenatum stipatus, adivit Florentiam, & omni reverentiæ obsequio profecutus est. Ejusdemque Papæ armorum ductor Capuam ab invasione Alphonsi primi regis Aragonii defendit (101). Verùm Pio II. se immorigerum exhibuit, & infestum. Quarè is contrà Novellum utrique gladio manum apposuit. Accersito namque Astorgio Manfredo Faventiæ Domino, intulit ipsi bellum. Qui Astorgius *primo congressu multa illius castella ad defectionem coegit &c. Cæsenates ea re perterriti, complures pretiosam supellectilem ad urbem Ravennam transtulerunt, veriti ne Civitas obsidione caperetur, si exercitus Ecclesiæ eo deduceretur* [102]. Sed & an-

[99] *Claram. lib.* 16. *f.* 732. *&c. Cronic. Riminens. ann.* 1439 1442. & 1444. *Cronic. manusc. Cæsen. fol.* 58. 59. 60.

[100] *Idē Claram. lib.* 16. *fol.* 733.

(101) *Cron. M. S. Cæsen. fol.* 59. & 232

[102] *Pius II Commentar. l.* 10. *f.* 165. 30.

110

no 1462. Papa, inquit Spondanus, in Cęna Domini anathemate plexit *Sigismundum Malatestam Ariminensem, unà cum fratre Malatesta, utrumque nothum, illum Arimini, hunc Cęsenę tyrannum: qui sępius requisiti, debitum Ecclesię Romanæ censum solvere contempserant* (103).

37 Post varias deniquè contentiones, & rerum eventus, Venetis intervenientibus pro Dominico, sive Malatesta Novello, *Pontifex in hunc modum pacis leges edixit. Dominicus si peccati veniam petierit, si Ravennati Ecclesię, & Sarsinensi, bona, quę abstulit, restituerit: si Oppida, quæ ab Ecclesia capta ad eum defecere, rursum in potestatem Ecclesię dederit: si censum Apostolicę Camerę debitum dissolverit: si caverit, ut se sine liberis masculis, legitimisque decedente, Cæsena, Bretenorum, Meldula, & alia, quę possidet oppida, ad imperium Ecclesię redeant: si deinceps fidelem vassallum se promiserit, pacem habeto &c. Placuere leges: in eo tamen difficultas orta, quo pacto caveri posset, post obitum Dominici, ne civitates ejus in alias manus, quam Ecclesiæ pervenirent. Digna res videbatur: de modo erat contentio. Pontifex in eam rem juramenta civium requirebat, quibus se obligarent, deficiente sine liberis Dominico, nullius imperium, pręterquam Romani Pontificis admissuros* [104].

38 Plures habuit Malatesta Novellus cum Sigismundo fratre simultates: quandoque suppressas pace inter illos inita Cæsenæ die 5. Januarii 1443. Sic tamen ut & subindè novas insidias infidi fratris non semel coactus fuerit præcavere [105]. Inter Venetam Rempublicam, & Mediolani Ducem, anno 1455. fœdera pacis tractavit (106). Pręvaluitque apud homines gratia, & existimatione, tam tempore pacis, quam belli: dexteritate quoque in rebus agendis, & prudentia civili. Quoad corporis habitudinem vero, fuit statura mediocri, facie macilentus, & hirsutus capillis. Eger quandoque per bimestre apud Ariminum, Cæsenam rediit (107). Et ob varicem in crure contractam, ac male à Medico Græco curatam, qui spoponderat cum sanare, claudus factus est anno 1448. *Et in posterum domi residens*

[103] *Spondanus an. 1462. num. 8.*

[104] *Idem Pius PP. II. Comment. lib. 11 fol. 298. 52*

[105] *Claramont. lib 16 fol. 735. Cronic. Riminens. ann. 1443.*

[106] *Cronic. M. S. Cæsen. fol. 61.*

[107] *Cronic. Riminens. ann. 1447.*

dens ornandę Civitati incubuit [108].

39 Uxorem habuit *Violantam Montefeltriam*, filiam Guidonis Urbini Dynastæ, optimam fæminam, à sè ductam anno 1440. ex qua liberos non suscepit. Imò *sunt qui scribant, sponsorum unionem à proposito, & fortè voto, perpetui cælibatus anticipatam fuisse* (109). Alibi legitur sponsalia inter eos contracta fuisse mense Novembris 1434. Diuque post Novellum perexisse Vrbinum ad matrimonium in facie Ecclesiæ cum Violanta ineundum die 4. Junii 1442. ubi splendore, ac ingenti sumptuositate à sponsę agnatis exceptus est (110). Hæc sanè laudatissima mulier se totam semper pietati addictam ostendit. Et quandoque Romam profecta devotionis titulo, illùc pervenit die 15. Aprilis feria sexta in Parasceve anni 1446. permansitque per annum, & ultra: regressa denique Cæsenam die 14. Junii 1447. avidè à Cæsenatibus expectata (111).

40 Nùnc de operibus publicis Malatestæ Novelli sit sermo. Pontem lateritium insidentem flumini Sapi, quem Andreas Malatesta patruus ejus (cum pridem esset ligneus) ex lapidibus ædificare incæpit, Novellus complevit anno 1456. Prolixum fodit incile, quod aquas ministrat magnis tribus molis frumentariis adjacentibus Cæsenæ ab Occasu. Præclaramque construxit Bibliothecam, de qua prolixior erit sermo in nostris Diatribis. Monialium quoque Sanctæ Catherinæ Ordinis Camaldulensis Ecclesiam construxit, sivè perfecit, & statuis, & sculpturis ornavit: namque idem Asceterium fundaverat Violanta Feltria ejus uxor anno 1461. Sed & ipse Malatesta Novellus *Cænobium S Francisci Fratribus, quos Observantes, vel ex Socis nominamus, extra portam S. Mariæ dictam exædificavit. Violanthis uxoris erant ibi horti, & delitiæ: at potior fuit in sancta muliere pietas* (112), quod fecit anno 1457. Monachos quoque S. Justinæ in Cænobio Montis Mauri anno 1462. introduci curavit: quibus & prædia nonnulla, Bagnarolæ dicta, concessit, quæ priùs erant ad venationes, & delitias Malatestæ familiæ deputata (113).

41 Sed

[108] *Claram Hist Cæsen. l. 16. fol. 730. & Cronic. Riminens. loc. cit.*

(109) *Idem Claram. l. 16. fol. 733.*

[110] *Cronic. Riminens. ann. 1434. et 1442*

[111] *Dict. Cronic. Riminens an. 1446. & 1447.*

[112] *Claramont lib. 16. fol. 737*

(113) *Chronol. M. S Cæsen. fol. 39. 61. 91. & 121.*

41 Sed & ad Infirmorum curationem, ad susceptionem infantulorum expositorum, & ad puerorum, ac puellarum spuriarum educationem, harumque dotationem, amplum *Nosocomium, quòd santissimi Crucifixi vulgò dicimus, vel Hospitale magnum, à fundamentis extruxit, magnificaque porticu, & columnis marmoreis exornavit. In quod Hospitale extrà Cerviensem Portam Gundulphini dictam, transtulit* (114). Ideſt obtinuit à Papa committi Præposito Cathedralis unionem utriusque Hospitalis, ac translationem antiqui, quod tunc diritum, fuit ad istud novum. Tuncque, ni fallimur, Novellus procudit ingens illud Numisma cupreum, adhùc superstes in manibus antiquariorum, continens in parte anteriori effigiem ejusmet Principis, in postica verò imaginem Crucifixi, ad cujus pedes ipse provolutus Crucem complectitur, ac seorsim adest equus ephippiatus, & ad stipitem arboris alligatus: fortè ut significaret, sè jam equestris militiæ ductu præclarum, equo resignato, animum convertisse ad pietatis opera percolenda, quæ in Hospitali sanctissimi Crucifixi, recentèr à se conditi, voluit exerceri. Numismatis pars anterior ità se habet.

[114] *Claram. lib. 16. f. 736.*



42 Ma-

42 Malatestæ Novello Joannes Marcanova Lector Patavinus dicavit librum, continentem selectas Inscriptiones à sè collectas (115). Et meritò: erat enim Princeps eruditus, cultorque studiorum: & uti talis ab Historicis Cesenatibus commendatur: testante idipsum magna illa Bibliotheca superius memorata, quam suis sumptibus excitavit (116). *Literis ornatus* extitit, *beneficus*, *pius*, *nec sine militaris virtutis laudibus*: *quibus præclaris qualitatibus Cæsenates sibi obsequentes reddidit*, *& devinctos* (117). Tandem annos natus 47. die 20. Novembris 1465. filiis destitutus, Cæsenæ diem suum clausit extremum (118): Et propius ad januam lateralem Ecclesiæ Sancti Francisci, sub crate ferrea (ubi quoque Malatesta de Malatestis ejus patruus humatus fuerat) sepulturam obtinuit: ut innotescit ex lapide ibidem superextante, ac utrumque Principem connotante his verbis:

PRINCIPUM MALATESTARUM
SENIORIS, NOVELLIQUE CINERES
CUJUS DOMI ET FORIS CLARISS.
VIRTUS CÆLO DICAVIT.

43 Moriens Malatesta Novellus testamento legavit multos agros, & fundos Venetis Procuratoribus D. Marci, ut quidquid ex eis venditis pecuniæ retraheretur, quæ immensa fuit, partim Sacerdotibus Missas celebraturis, partim egenis distribueretur: quod Procuratores fideliter præstiterunt (119). Violanta uxor ejus Ferrariam se recepit, & ibi Asceterium Corporis Christi religiosè ingressa, plena meritis demùm, & virtutum fragrans odore, decessit anno 1493. (120). Civitas verò nostra post obitum Novelli regressum fecit ad Apostolicam Sedem.

44 Dominante Cæsenæ Familia de Malatestis, ab anno 1378. usque ad 1465. viri *Doctrina conspicui Cesenates*, quorum superest memoria (præter mox nominatum Prin-

(115) *Ex Pignorio Reinesius Inscript. Antiq. in Præfat. circ. med.*

(116) *Bern. Manz. Chronol. Cæsen. fol. 146.*

(117) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 16. fol. 731*

(118) *Idē loc. cit. fol. 738.*

(119) *Egnatius lib. 6. cap. 6. Theatr. Vit. Hum. V. .u Beritos f 707. B.*

(120) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 95. & 127. Claram. fol. 733. & 739.*

cipem Malateſtam Novellum) hi ſunt. *Baltaſſar de Ceſena*, qui per quadriennium ab anno 1400. docuit Philoſophiam in publica Vniverſitate Bononienſi(121). Fuit hic Baldaſſar Padronius, Cæſenæ ſepultus in æde S. Franciſci, cum illuſtri epitaphio, quod refert in ſua Chronologia Manzonius (122). *Bonachinus Ambronius* hujus nominis ſecundus, claruit Philoſophia, & Medicina: propter quas Alexander PP. V illum ad ſui munus Archiatri, ſivè primarii Medici, aſſumpſit (123). *Ludovicus de Ceſena* Bononiæ anno 1428. publicè docebat Philoſophiam naturalem, & moralem (124). *Andreas de Ceſena* in eadem Academia Bononienſi ſedit in cathedra doctrinali Medicinæ ab anno 1433. uſque ad 1450. [125]. *Gregorius de Cæſena* eandem Facultatem in ipſomet Felſineo Lycęo, anno 1439. confluentibus diſcipulis explicabat (126). Denique *Asdrubal de Bettinis* anno 1456. Rotæ Januenſis erat Auditor [127].

45 Viri verò *Cęſenates bellica, & equeſtri virtute* præſtantes tempore Principatus Malateſtarum, enumerantur inter alios *Aſtusius Tybertus*, qui occaſione nobiliſſimi Torneamenti editi Cæſenæ die 26. Junii 1403. in platea majori civitatis, tunc primum coæquata, cum antea eſſet declivis; inter Carolum Malateſtam Principem Arimini, & Andream Malateſtam ejus fratrem dominantem Cæſenę, ac utriuſque ſeguaces equites hinc indè (128); actionibus equeſtribus, & conatibus gymnicis, ac militaribus, ità præclarè sè geſſit, ut Andreas illi filiam ſuam naturalem tradiderit in ſponſam, dotatam quatuor caſalibus ſitis in Ariminenſi diſtrictu (129). *Petrus Joannes Ceſenas*, virtute bellica pręſtans, die 29. Aprilis 1442. à Sigiſmundo Malateſta Principe Arimini (qui tùnc nuptias celebrabat cum Poliſena Sfortia) equeſtri dignitate fuit ſolemnitèr decoratus, & inſimul attalica veſte aurea, nobiliſſimiſque, ac pulcherrimis calcaribus muneratus (130).

46 Nec defuere per idem tempus *Cęſenates civili Toga* præclari apud exteros: præſertim *Riguccinus de Ceſena*, electus anno 1393. à Republica Florentina nobilem ad Magiſtra;

(121) *Gio. Nicolò Paſqual. Alidoſ. Dottori foraſt. che leſſer in Bologna pag. 13.*
[122] *Manzon. Chronol. Cæſen fol.* 126
[123] *Idem Bern. Manzonius f.* 131.
[124] *Gio. Nicolò Paſqual. Alidoſ loc. cit. fol.* 50.
(125) *Idem ubi ſupr pag.* 5
[126] *Idem loco cit pag.* 33.
(127) *Manzon. Chronol. Cæſen. f.* 212.
(128) *Chronol. M. S. Cæſen. fol.* 223.
(129) *Diſt. Chronic f* 56.
(130) *Chronica Riminenſ. ann.* 1442.

ſtratum, *qui magnæ tum erat Florentiæ poteſtatis*, proùt recenſet Scipio Claramontius (131). Item *Franciſcus Tybertus* à Mantuæ Principe anno 1398. aſſumptus eſt ad officium Pretoris illius civitatis, die quintadecima Octobris (132). Nèc prætereundi ſilentio *Franciſcus dè Abbatibus*, atque *Joſeph dè Almericis*, quos unà cum Antiſtite Diæceſano, moriens Pandulphus Malateſta tutores reliquit filii ſui Malateſtæ Novelli, adhùc pupillarem ętatem agentis (133). Alibi pro Joſepho legitur Gotifredus: & Deputatio tutelaris aſſeritur facta non à Pandulpho, ſed à Carolo Malateſta patruo Novelli.

(131) *Scipio. Claram Hiſt. Cæſen lib. 15. fol. 693.*
(132) *Idem Claram. l 15. fol. 694.*
(133) *Ipſemet Claram. l 10. fol. 727.*

47 Et quoad viros doctrina præſtantes, placet hìc ſuperaddere nomina quoquè illorum, qui ſubſequuntur: ad epocham pertinentium Dynaſtiæ Malateſtiæ; vel ad ætatem paulò indè diſtantem. *Hannibal Tuſcus* excelluit intèr eximios Juriſconſultos, & ingenioſos Poetas: in cujus funere poſitum fuit ſpecioſiſſimum epithaphium verbatim recenſitum à Bernardino Manzanio, & Cæſare Briſſio (134): quod ſuperfluum judicamus nova exprimere tranſcriptione. *Chriſtoforus Briſſius* Philoſophia, Medicina, & Aſtronomia perclaruit: mellifluo & ipſe cantu funereo conclamatus, quem legere eſt apud præfatos Hiſtoricos (135). *Vincentius Maſinus* Philoſophus, & Medicus inſignis, metrica inſcriptione octoſtica poſt obitum decoratus (136), de illo, ipſiuſque tumulo, binis hiſce carminibus concludente illius.

Vix capit oſſa locus, nomen vix orbis, honorem
Vix hominum linguę: ſpiritus aſtra tenet.

(134) *Manzon Chronolog. Cæſen. fol. 124. Briſſius Relat. Cæſen f l 29.*
(135) *Iidem Manzon. fol. 133. & Briſſ. fol. 27.*
(136) *Cæſar. Briſſius ubi ſupr. fol. 28*

CAPUT XXIV.

Ecclesiasticæ res Cæsenæ, ac Cæsenatum, dominante *Familia dè Malatestis*.

SUMMARIUM.

1 *Bini Cæsenates educandi Bononiæ in Collegio. Nova Cathedralis construenda Cæsenæ decernitur.*
2 *Beneplacitum Papæ ad hoc requisitum. Bini Episcopi Cæsenæ memorantur: & alia.*
3 *Tres Episcopi de Malesardis. Ex quibus Julius novæ Cathedrali ędificandę manum apposuit, & cur?*
4 *Quibus subsidiis fuerit constructa, & quisnam ejus extiterit Architectus?*
5 *Aliorum trium Episcoporum Cæsenæ nomina. Moniales de Petrioli suburbio intrà urbem translatæ.*
6 *Jacobus Saladinus Episcopus. Fit verbum de hospitali S. Bartholomęi.*
7 *Fr. Gregorius Episcopus prosecutus est Cathedralem, & Episcopiū. Juit ad excipiendam novam sponsam Principis*
8 *Varii Episcopi, qui simili legatione functi sunt, eundi ad excipiendas sponsas suorum Principum.*
9 *Duo Monasteria Monialium suppressit Gregorius. Carmelitæ venerunt Cæsenam ad commorandum.*
10 *Unus ex electoribus novi Papę in Concilio Constantiensi, fuit Pandulphus Cæsenas.*
11 *Cultus Imaginis Deiparę de Monte auctus. Nundinę generales Cæsenæ introductæ.*
12 *Fr. Victor, Sebastianus, & Paulus tres Episcopi Cæsenates. Ultimus fuit Tutor Novelli Principis.*
13 *Fr. Augustinus Favcronius Episcopus Cęsenę, titulo Beati præditus apud Augustinianos.*
14 *Laudes ejus ex Ughellio quoad probitatem, & doctrinam. Commendatarius est perindè ac titularis.*

15 B.

15 B. Bartholomæus Malerba Cęsenas Generalis Ordinis Eremitarum S. Hieronymi.

16 In vitis eorundem Eremitarum valdè commendatur probitas, & virtus ejusmet pręclari viri.

17 B. Robertus Malatesta num fuerit cum fratribus aliquanto tempore condominus Cæsenę?

18 Fuit uxoratus: insidias perpessus est fratris, qui & eum, & alium fratrem occidere curavit.

19 Tertii Ordinis S. Francisci habitum suscepit. Obiit adolescens in oppido S. Archang., sepultusq. Arimini fuit.

20 Petrus Vallius, & Antonius Malatesta Episcopi Cæsenę. Hic ultimus habuerat uxorem.

21 Fratres Franciscani de Observantia introducuntur in Conventu Annunciationis.

22 Antonius interfuit Concilio Florentino. Et varia ejus opera recensentur.

23 Interfuit quoque cum aliis tribus Episcopis dedicationi cujusdam Capellę: aliaque illius gesta.

24 Senio confectus lumen oculorum amisit. Innuuntur plures Episcopi cęcitate laborantes.

25 Corpus ejus defuncti conditum in cophino, indè translatum ad alium locum Cathedralis.

26 B. Leo de Cereto: & B. Augustinus de Pisis Can. Regul. Lateran. obierunt Cęsenę.

27 Ambrosius Pedronius Episcopus Foroliivii. Ventura de Abbatibus Episcopus Britinorien. Cęsenates.

28 Capitulum Generale Servitarum fit Cęsenę: decerniturque reformatio Montis Senarii.

29 Similia Capitula pluries ibidem celebrata. S. Philippus Benitius aliquando permansit Cęsenę.

30 Malatesta Novellus reliquit annua subsidia dotalia pro decem puellis nuptui tradendis.

31 Pręlium initum apud Cęsenam dominantibus Malatestis. & defensio ejusdem urbis ab hostilitatibus.

32 Factum & dictum egregii Cęsenatis circà ejus filium degenerem.

Quo-

QUo anno Urbanus Papa VI. Cæsenam, superstitem crudelissimæ lanienæ Britonum concessit in Vicariatum gentilitium Galeoto de Malatestis, illiusque legitimis descendentibus, eodem quoq; anno 1378. apud Tibur consistens idem Pontifex, quarto nonas Augusti, binis diplomatibus muneratus est urbem nostram. Quorum unum direxit Ancianis & Consilio Cæsenati, commendativum fidelitatis ipsorum in Sedem Apostolicam: & mandans Rectori Collegii Bononiensis, ut reciperet, aleret, ac educaret binos scholares Cæsenates, doctrina, & bonis moribus imbuendos (1). Aliud inscripsit Episcopo Britinoriensi: quo annuens precibus Præpositi, & Capituli necnon Civium, & Communitatis Cæsenæ, pro erectione novæ Cathedralis, in parochiali Ecclesia, dicta Crucis marmoris, præcepit ipsimet Præsuli, ut locum visitaret: ac quatenùs narrata veritati niterentur; postulatam licentiam indulgeret (2). Utriusque diplomatis partem enunciat Manzonius noster in sua Chronologia (3).

2 Vacabat fortasse tunc Ecclesia Cæsenas, cum Episcopus illius non memoretur in supplicatione directa Papæ; sine cujus auctoritate, quidquid sit speculativè, an possit Episcopus, cum Capituli sui consensu, mutare Cathedralem de uno ad alium locum, intrà eandem civitatem (4); practicè sanè hoc fieri non oportet (5). Sed beneplacitum habendum est illius, ad quem pertinet erigere Cathedrales (6). Profectò anno sequenti 1379. Cæsenati Ecclesiæ præsidebat *Fr. Jacobus II. Episcopus LXXI.* ex Ordine Servorum B. Virginis assumptus ad patrias Infulas obtinendas: quibus tamen brevi tempore incessit ornatus (7). Et successor ei datus est *Fr. Averardus Brixianus Episcopus LXXII.* Instituti Fratrum Prædicatorum professus (8): *vir discretus, & prudens, & doctus plurimum* à Scriptoribus Dominicani Ordinis appellatus (9): ac memoratus in monumentis Cæsenatibus sub anno 1383. (10); In quibus etiam innuitur, floruisse pene synchrono tempore apud Cæsenam, familiam Tibaldeam: ex qua prodivit

(1) *Ex Archivo Fratrum Sancti Francisci Cæsen. num. 38*

[2] *Ex Archivo Capitul. Cathedral. Cæsen.*

[3] *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 193. & 198*

[4] *Gambar. de Offic. Legat. l. 2 n. 168.*

(5) *Francesc. de Eccl. Cathedr. cap. 7. num. 3. 4. & 133.*

(6) *Idem loc. cit cap. 3. nu. 1. & 23.*

(7) *Manzon. ubi sup fol 192*

[8] *Razzi Histor. Vir illustr Ord. Prædic. fol. 90. n. 68.*

(9) *Plodio Progen. di S. Domen in Ital.*

[10] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 35.*

vit

vit *Julius Episcopus*, & Nuncius Apostolicæ Sedis apud Rempublicam Venetorum (11).

3 Post hæc Pastorale munus Ecclesiæ nostræ adeptus est *Julius Malesardus Episcopus LXXIII.* anno 1385. (12) ortus ex præclara familia Cæsenate, quæ dedit quoque Patriæ alium Episcopum, Gregorium nomine: ac Petrum Malesardum Ecclesiæ Faventinæ (13). Porrò Julius præfatus incæpit structuram novæ Cathedralis Cæsenatis. Nàm cum antiqua, quæ erat Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, parochialis adhuc subsistens in Murata, nimium propinqua esset novæ arci, propè illam excitatæ à Galeoto Malatesta Toparca Cæsenæ: adeòque cerneretur exposita turbulentiis militum, & militarium actionum: itidèmque jam evenisset incommoda Clero, & populo (cujus etiam illa pars, quæ præcedentèr commorabatur intrà Muratam, abierat ad inferiorem partem civitatis): denique antiquum Episcopium sub tyrannide Ordelaphi fuisset incendio devastatum (14): & Canonici migrare fuissent adacti à domo Canonicali (15); melior, & magis opportunus quærendus erat locus, ad quem transferretur novæ Cathedralis, erectio, tot, ac tantis adstipulantibus causis illius mutationem justificantibus (16).

4 Electus fuit situs Ecclesiæ parochialis, Crucis marmoris appellatæ: (ubi & adhuc super saxea columna erecta cernitur ingens Crux ex marmore fabrefacta. Hic ergo Julius Episcopus, diruta priori æde sacra, incæpit ædificare magnum templũ, quod Cathedralis nomen haberet (17): subsidium præbentibus constructioni pecuniis à Galeoto Malatesta legatis [18]: & artificii schema dirigente Andrea Valdo Teutonico, celebri eorum temporum architecto (19). Fertur cæmenta, & materiam inutilem Ecclesiæ dirutæ, simulque terram è fundamentis novi Templi deductam, providè fuisse applicatam desiccandæ valli, seu lacunæ parum distanti, ac aerem inficienti propter stagnantes aquas, quibus anseres jugitèr innatabant. Qui locus adhuc retinet nomen vallis ansarum; vulgo *Val d'oca* [20].

5 Su-

(11) *Stefan. Part. Collectan M.S pag. 4.*
(12) *Manzon. fol. 85. & 194.*
(13) *Stefan. Part. Collectan Cæsen. M. S. fol. 11.*
(14) *Chron. Cæsen. M. S. fol. 203*
(15) *Scip Claram. Hist. Cæsen. lib. 13. fol. 561.*
[16] *Francesc. de Eccl. Cathedr. cap. 7. n. 13. 18. 23. & 30.*
[17] *Chron. Cæsen. M. S f 93.*
(18) *Manzon. Chron. Cæsen. fol. 86.*
(19) *Chronic. M S. Cæsen. fol. 17. & 225*
(20) *Idē Chronic. fol. 225.*

5 Sublatò è vivis Julio Malefardo Epifcopo jam præerat anno 1391. Ecclefię Cęfenati *Fr. Jacobus II. Epifcopus LXXIV.* ex ordine Carmelitarum provectus, a ud quem officio Vicarii generalis fungebatur Sanctes Archipresbyter Plebis S. Mauri [21]. Brevitèrque fediffe oportet: quippè anno 1394. Antiftitum noftrorum albo repetitur adfcriptus *Joannes IV. Epifcopus LXXV.* (22). De quo tamèn, præter nomen aliud non habetur. Deindè fucceffor huic datus eft *Jacobus III. Bofchettus Epifcopus LXXVI.* patria Mutinenfis, vel Regienfis, aut fecundum alios, Cæfenas (23). De illo refertur, quod quandoque adhæferit Antipontifici Petro dè Luna: verum citò à fua prevaricatione refipuit (24). Moniales Ordinis S. Benedicti, commorantes in fuburbio Petrioli, pridem diruto per Francifcum Ordelaphum Cæfenæ tyrannum, Jacobus, annuente Bonifacio PP. IX. tranftulit, & commifcuit fimilibus aliis Monialibus incolentibus Afceterium Spiritus fancti, pofitum in via Talamelli, & dictis, *le Santine* (25).

6 Anno 1398. Cathedram Epifcopalem implebat alter Synonimus Antiftes, nempè *Jacobus IV. Saladinus Epifcopus LXXVII.* patria Afculanus (26). De quo Claramontius notat vixiffe ufque ad annum 1405.: ac circa domum à Bartholomæo Bononienfi legatam fabricæ Ecclefiæ Crucis marmoris, decreviffe, illam vendi Hofpitali S. Bartholomæi, cujus procurator in publica licitatione pinguius aliis obtulit pretium (27). Subditque idem Auctor, hoc Antiftite fedente, anno 1399. efferbuiffe quoque Cæfenæ piam illam commotionem hominum utriufque fexus, qui albis veftibus induti, pone imaginem Crucifixi, pedeftres, & fupplicabundi, dè una in aliam civitatem incedebant, laudes Domino decantantes, & ejus mifericordiam humiliter depofcentes (18). Qua de re plura S. Antoninus [19]. Condito denique teftamento Jacobus Epifcopus defunctus eft Afculi, & in S. Francifci Ecclefia tumulatus (30).

(21) *Ex Archiv. Fr. Sancti August. Cęsen. Manzon. fol. 195.*
(22) *Ughel. Ital. Sacr. to. 2 in Episc. Cæsen.*
(23) *Manzon. loc. cit. fol. 36. 81. & 195.*
[24] *Ex Ferd. Ughell. Manzonius fol. 36.*
[25] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 15 fol. 695*
(26) *Manzon. Chronol. Cęsen. fol. 81. & 195*
[27] *Claram. ubi supr. l. 15. fol. 700.*
[28] *Idem eod. loc cit. f. 704.*
(29) *S. Antonin. in Chronic. tit. 22. cap. 3. §. 3.*
(30) *Manzon. loc. cit. fol. 81.*

7 Sequitur in serie Antistitum nostrorum *Fr. Gregorius II. Episcopus LXXVIII.* cognomine Malesardus, patria Cæsenas, professione Dominicanus, Theologiæ Magister, ac Fidei sanctę Inquisitor [31]: electus ab Innocentio Papa VII. quarto Idus Decembris 1404. (32). Meminit illius Joannes Michael Pius in viris illustribus S. Dominici (33). Et *incępisse fabricam novæ Cathedralis, ac Episcopii, tradit Pedius* (34), cum re vera tamen Cathedralem non ipse inchoaverit, sed incæptam à Julio Malesardo gentili suo prosecutus fuerit novo subsidio pecuniæ ab Andrea, dicto Malatesta de Malatestis Cæsenæ Principe ministratæ (35). Cujus Dynastę profectò Gregorius intimus amicus fuit, in tantum, ut cum ille ducturus esset uxorem Polisenam agnatam Ladislai Regis Neapolitani, Præsul idem iverit ad excipiendam Sponsam viro perducendam usque ad Cæsenam (36).

(31) *Idem fol. 36. & 77.*
(32) *Claram. lib. 15 f. 700.*
(33) *Gio. Michel Pio par. 2 lib. 2. pag. 123.*
(34) *Manzon. ubi supr. f. 196*
(35) *Scip. Claram. lib. 16. fol. 723.*
(36) *Idem lib. 16. fol. 724. & 733*

8 Quam sanè speciem legationum prò suo Principe multoties exercuisse Antistites Ecclesiarum, certum est in historiis. Et ità Valterus Archiepiscopus Senonensis Margaritam filiam Raymundi Comitis Provinciæ sponsam postulavit, simulque perduxit, Sancto Ludovico Francorum Regi [37]. Paulinus item Episcopus comitatus est Edelburgem, filiam Edelberti Regis Cantiæ, nuptui traditam Eduino Regi Northumbriæ (38). Ingelburgem quoque, sororem Canuti Regis Daniæ, Philippo Augusto Regi Galliæ traduxit Stephanus Episcopus Noviomensis [39]. Constantinæ denique filiæ Regis Hispani ductor fuit in Galliam Hugo Archiepiscopus Senonensis, quùm tradita fuit in uxorem Ludovico VI. Regi: qui venientibus Sponsæ, atque Archipræsuli, obvius occurrit unà cùm multis Episcopis, & Magnatibus Regni sui (40). Alia exempla similia tàm antiquorum, quàm recentiorum temporum congeri possent: sed hæc sufficiant.

(37) *Guillelm. Nangius*
(38) *Beda Hist. Angl lib. 2 c. 9*
(39) *Rigord. Hist. an. 1193.*
(40) *Gesta Ludovic. 7. cap. 29*

9 Hoc eodem Episcopo Gregorio Malesardo sedente, suppressus fuit Conventus S. Marthæ, solis ex octo monialibus constitutus, anno 1405.. Et locus, ubi commora-

Qq ban-

bantur, datus eſt Fratribus Carmelitis, qui decorum ibidem ædificaverunt Cænobium. Paritèr idem Gregorius Conventum, ſivè conventiculam fæminarum Cæſenatum diſſoluit, quæ moniales D. Philippi appellabantur, & habitabant in platea S. Auguſtini (41). Cur id fecerit, ignoratur. Eas fortè ad paternas domos remiſit, quia non erant profeſsæ, vel clauſuram non ſervabant, aut à modeſtia debita deficiebant: ſive quia ſolo nomine moniales, rè verò ſæculares erant: nec præter tunicam exteriorem, quidquam aliud religioſi thematis obtinebant. Certè non ſine cauſa judicandum eſt Epiſcopum hoc mulierum qualecumque conſortium ſupreſſiſſe.

(41) Claram. Hiſtor. Cæſen. lib. 16. fol. 725

10 Conſpicuum honorem verò per hæc tempora conſequta eſt civitas noſtra. Nàm cum in Concilio Generali Conſtantienſi (42) ad ſchiſma triceps abolendum, totidem de ſummo Pontificatu contendentium (nempè Angeli Corrarii Veneti, ſub nomine Gregorii XII. Petri de Luna Hiſpani, ſub nomine Benedicti XIII., & Baltaſſaris Coſſa Neapolitani, ſub nomine Joannis XXIII.) decretum fuiſſet, hiſce tribus poſtpoſitis, eligendum eſſe novum Pontificem: atque Cardinalibus electoribus pro ea vice addendos triginta viros; *& quidem probatos* inquit Platina (43): ſex nimirùm de qualibet ex quinque præcipuis nationibus Chriſtianis: qui ſuffragium in electione novi Papæ præberent (44): Et fuerunt unus Patriarcha, quinque Archiepiſcopi, duodecim Epiſcopi, totidemque vel Abbates, vel alitèr in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti (45); unus ex iſtis appellabatur *Pandulphus Malateſta* Archidiaconus Bononienſis (46): quem Bernardinus Manzonius vocat *Pandulphum de Cæſena* (47): ideſt non ex familia Malateſta magnatitia, & dominante Cæſenæ: ſed, ut putamus, ex alia eiuſdem cognominis familia, equeſtri, & patricia ipſiuſmet civitatis, tunc florente, de qua Hiſtoricus noſter (48). Factoque ſcrutinio in Conclavi, ſors Pontificatus cecidit ſuper Martinum V. (49).

(42) Concil. Conſtant. ſeſ. 41.

[43] Platin. Vit. Pont. in Martin. 5.

[44] Vid. Ciacon. Platina & alios in vit. Martin. 5.

[45] Spondan. an. 1417. n. 7.

(46) Concil. Conſtant. ann. 1417. ſeſ. 41. Labbe tom. 12 Conc. f. 240. D.

(47) Bernard. Manzon Chronol. Cæſen. fol. 105

(48) Scrip. Claram. hiſt. Cæſen. l. 16. f. 755

[49] Raynald. ann. 1417. n. 2.

11 Decurrente hac ætate, augeri cæpit ſolito impenſius

fius hominum devotio versus Imaginem sacratiffimam Deiparæ, quæ colitur in Ecclesia Monachorum Casinensium, appellata de Monte: tanto utriusque sexus confluxu, & pietate, ut esset intuentibus admirationi. Ac propter adeò ingentem populi affluentiam, concurrentis illùc occasione festi Assumptionis ejusdem B. Virginis, usque ab anno 1418. initium susceperunt Nundinæ generales, quæ quotannis Cæsenæ celebrantur, prætèr alias peculiares, iniri consuetas aliis temporibus. Memorat utrasque Guasconius cantitans, quod Cæsenæ,

Ogni Sabato fassi un bel mercato,
Che certo all' occhio sembra una gran fiera.
A cui vien gente, e robba da ogni lato
Dà monte, e piano, e da ogn' altra riviera &c.
Nel giorno pur di San Giovan Battista
Fassi una bella fiera per trè giorni &c.
E ricorrendo il dì dell' Assunzione,
S'apre per tutti una più ampia fiera
Quindici dí con gran consolazione.
Vengon mercanti, e gente assai straniera
Con oro à proporzion delle persone,
Greci, Turchi, e Christian d'ogni maniera.

12 Sublato è vivis Gregorio Antistite Cæsenate anno 1419. subintravit in illius locum anno sequenti Fr. Victor dè Arimino Episcopus LXXX. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini (50). Quem sexennio post viam universæ carnis ingressum, excepit *Sebastianus Cesenas Episcopus LXXIX.* anteà Præpositus Cathedralis Ecclesiæ, ac Vicarius generalis Antistitis prædefuncti (51). Hunc prodiisse ferunt ex familia dè Vicedominis: eodemque anno 1425. quo provectus fuit; vitam quoque cum funere commutavit (52). Pastoralemque illius virgam de manu Papæ suscepit *Paulus Ferrantius Episcopus LXXX.* electus die 27. Februarii 1426. Quem extitisse ferunt Martini Papæ V. Datarium: & alii Meldulam, alii castrum de Caminate patriam eidem assignant (53). Illius intimam amictiiam cum

(50) *Claramon. loc. cit. fol. 733. Manz. Chronol fol. 77.*

(51) *Ughel. Ital sacr. to. 2. in Episc. Cæsen.*

(52) *Manzon. Chronol. Cesen fol. 37. & 92.*

[53] *Idem fol. 38. Claramon. fol. 727.*

 Prin-

Principe Cæsenate, itidemque morum probitatem, & prudentiam in rebus agendis, indicat ipsius assumptio unà cum binis aliis civibus Cæsenatibus ad munus Tutoris Dominici Dynastæ 4. Cæsenæ: *qui Malatestæ Novelli, priore rejecto, nomen sumpsit* (54).

13 Paulo Episcopo vita functo, administrandam sortitus est Ecclesiam Cæsenatem *Fr. Augustinus Favoronius Romanus*, (55): inter Pastores Diæcesis nostræ LXXXI. De quo plura penès Historicos (56). Electus fuerat minister generalis Eremitarum S. Augustini usque ab anno 1419 indeque provectus est ad Archiepiscopatum Nazarenum, vixit usque ad annum 1445. [57]. Cujus corpus Prati requiescit in Etruria, ac ejus imago hanc fert Inscriptionem. *Beatus Augustinus Romanus Episcopus Cæsenatensis quiescit Prati in ędibus S. Augustini.* Hunc propriè non Episcopũ, sed Commendatarium Episcopatus Cæsenatis fuisse perhibent: eiq; præfuisse ab anno 1421. usq; ad 1435. Et quod interim esset præditus unà simul honore Archiepisc. Nazareni [58].

14 De illo ità effatur Ughellius: *Fuit vir eximia scientia doctus, ingenio subtilis, moribus, & sanctimonia vitę celebris: cujus monumenta illustria recenset Anastasis Augustiniana. Post annos duodecim (totidem in sui Ordinis Magisterio Generali consumpserat) in magna humilitate, & zelo ecclesiasticæ disciplinæ, in Archiepiscopali honore vita traducta, bonorum fruge ditatus, in senectute bona virgo, & humilis ad ęternę salutis tramitem felicitèr Prati in Etruriæ properavit anno* 1443. *Ubi summa veneratiore in templo S. Augustini humatus colitur, titulum viri Beati à suis adeptus: pluraque memorantur gloriosę suę sanctitatis argumenta* (59). Sivè autem in titulum Episcopatum Cæsenatem obtinuerit, sivè in Commendam, parum refert. Nàm Commenda perpetua beneficii est titulus Canonicus: & Cõmendatarii perpetui perindè habentur ac titulares [60].

15 Meretur hic recenseri *Beatus Bartholomæus Malerba Cæsenas* Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Generalis Minister primus post B. Petrum Gambacurtam fundatorem

(54) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib. 10. fol. 727.*

[55] *Idem fol. 736. lib. 10.*

[56] *Morer. Diction. Histor. V. Augustin de Roma.*

[57] *Anton. Gandol. Differ. Histor. Scriptor. Augustin.*

[58] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 38. 65. & 190.*

[59] *Ughel. Ital. Sacr. to. 7. in Archiepisc. Nazaren.*

(60) *Barbos. Jur. Eccl. lib. 3 cap. 9. n. 26. & 37.*

torem (61). In monumentis ejusdem regularis Instituti sic affirmatur. *B. Bartholomæum à Cæsena fuisse inter Beatos adscriptum, habemus ex præteritorum testimonio, ac ex ejus antiquis Imaginibus multis in locis depictis, & præcipuè Romæ, Venetiis, & Ferrariæ*. Summoperè charus fuit B. Roberto Malatestæ Dynastæ Arimini (62): necnon Sigismundo Malatestæ illius fratri, & in Principatu successori. Qui Bartholomæum adhibuit; ut esset patrinus in Baptismo Roberti Novelli filii, quem genuit ex Iunipera Estensi: & Galeoti paritèr Novelli, ab eo geniti ex Polisena Sfortia, suis uxoribus successivis [63]. Obiit circà Christi annum 1450. (64).

(61) *Chronol. Manzon. fol.* 106.

(62) *Cesar. Clementin in Vit. Galeo. & Rober. Malat.*

16 In Vitis Eremitarum S. Hieronymi hæc leguntur: *B. Bartholomæus Malerba Cæsenas, cognomento zelator Dei, ut indicant publica instrumenta, quæ eo vivente ob varia Monasteriorum negotia confecta sunt, non multò post duodecim primos alumnos Ordini adscitus est ab Institutore B. Petro, cui etiam Generali Ordinis regimine proximè successit: undè summam in eo virtutem, & vitæ sanctitatem licet arguere: cum eo tempore omnibus in ea dignitate prelatus sit, quo plures in religione merito, & pietate insignes florerent*. Nec fratribus modò, aut civibus, sed externis etiam, & dignitate eminentibus viris apprimè charus, eorum favores promeruit. Fuit ex his Eugenius IV. Pont. Max. cujus ætate Generalatus officio fungebatur: ad quem & Pontificium diploma Ferrariam direxit kal. Martii ann. 1437. Maximo ibidem in honore habitus est à Roberto Malatesta Domino Arimini, qui Conventum S. Hieronymi appellatum in Scolca, aliàs Patrum tertii Ordinis S. Francisci illi possidendum concedi curavit (65). Ac denique post quintodecimum annum generalis regiminis sui Ordinis, B. Bartholomæus meritis plenus migravit ad Dominum (66).

(63) *Cronich. Riminesi. ann.* 1438. & 1443 *Clementin. in Sigismund.*

(64) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. fol.* 106

[65] *Petrus Bonaciol. Pisano Eremus Popa* 4.

[66] *Idem loc. cit. ex Spicileg fol.* 06.

17 Nec reticenda est memoria *B. Roberti Malatestæ* mox memorati, nati ex Pandulpho Cæsenæ Principe. Nam aliquali relatione ad nos pertinere sunt qui opinantur: non quia solus rexerit Civitatem, sed quia ipse quoque

què paulispèr visus est urbi nostræ præfuisse consortialitèr cum aliis duobus suis fratribus, inter quos paterna ditio erat dividenda. Remanserant minorennes: & cum essent nati ex damnato coitu, opus fuit, ut à Papa Martino V. sanata labe natalium, habiles redderentur ad successionem Principatus. Qua gratia obtenta, unà simul, & concomitantèr, veluti per speciem quamdam oligarchiæ triumviralis, & condominii tricipitis, commune nomen præstiterunt regimini Dynastiæ Malatestiæ (67) per illud breve temporis intervallum, quod excurrit, quousque ditio in tres partes divideretur: prout re vera citò *Robertus Ariminum in hæreditatis partem suscepit: Sigismundus Fanum: Dominicus Cæsenam* [68].

(67) Stip. Claramon Histor. Cæsen. lib 16. fol. 728. & seq.

(68) Pius II. Commenr l. 10 fol. 257.

18 Optimus hic adolescens, Beatus, inquam, Robertus, qui etiam dictus fuit Galeotus Robertus Malatesta, nupsit Margaritæ Estensi (69). Pietatique, ac religioni deditus, atque imperii contemptor, insidiatorem habuit Sigismundum fratrem, ut à Dominio Ariminensi deponeretur, quod tamen effectum non obtinuit. Ex tunc *triennio cum summa civium gratia regnavit. & tandem morbo correptus interiit, non sine Sigismundi infamia, quam veneno fratrem abstulisse crediderunt, cum armis deiicere non potuisset &c.* Sed & alium fratrem *Dominicum, Sigismundus sæpe ferro conatus est auferre* (70).

[69] Claram. loc. cit. fol. 728.

(70) Pius II. ubi supra fol. 257. 47.

19 Tertii Ordinis S. Francisci, proximus morti habitum suscepit idem B. Robertus: & de illo Scriptores Franciscani loquuntur (71). Lucasque Vuadingus ipsum considerat uni dominum non tantùm Arimini, quantùm etiam Cæsenæ (72) lato modo scilicèt, ac respectivè ad sociale dominium, quo ei præfuit aliquandò breviter, & conjunctim cum fratribus antè divisionem, ut dictum est. Memorat quoque illius merita Claramontius noster his verbis: *Galeotus Robertus, ut ad cælestia perpetuò aspirabat, meruit etiam cælestis coronam beatitudinis celeritèr consequi. Anno enim ætatis suæ 21. mense octavo exactis, & diebus 7. qui fuit ab ortu Christi 1432. die 10. Octobris, in ipso solis exortu*

[71] Rodulph. in Histor. Seraphic.

(72) Vuading. Annal. Minor to. 3. an. 1432. n. 13.

tu ad solem justitiæ Christum evolavit. Ita passim creditur: ipseque inter Beatos numeratur. Dicitur etiam ejus sanctitas miraculorum signis confirmata (73). Obiit in oppido S. Archangeli, & sepultus fuit Arimini antè portam Ecclesiæ S. Francisci (74).

20 In catalogo Antistitum Cæsenatum post Augustinum, conscriptus apparet *Petrus I. Vallius Romanus Episcopus LXXXII.* sub anno 1435. (75). Cujus admodum breve regimen fuit. Nàm eodem anno hac ipsamet dignitate decoratus invenitur *Antonius Malatesta Episcopus LXXXIII.* (76) electus ab Eugenio Papa IV. Nonis Decembris 1435. ut ejus literis Apostolicis enitescit (77). Sunt qui hunc Præsulem recensent inter Beatos (78). Antè Episcopatum erat Præpositus Ecclesiæ Forosemproniensis: & ante Clericatum habuerat uxorem (79). Ex quanam prodierit familia Malatesta; num ex magnaticia, & dominatrice plurium civitatum; an verò ex equestri similis cognominis; nobis est incompertum.

21 Huic Antistiti Pius PP. II. tertio idus Decembris anno 1458. instante Malatesta Novello Cæsenæ Principe commisit, ut auctoritate Apostolica licentiam daret ædificandi domum, seu Conventum, cum Ecclesia, pro Fratribus Franciscanis Observantibus, propè Cæsenam. Quæ Ecclesia S. Annunciationis denominatur. Et fuit postmodùm consecrata die 27. Septembris anno 1472. à Dominico Luthano Episcopo Reatino, ac Cæsenæ Gubernatore: ut ex memoriis liquet ejusdem Conventus. Agit de illo etiam Franciscus Gonzaga de Orig. Seraph. Relig. Conv. 11. pag. 311.

22 Dum Pastorali officio fungeretur apud Cæsenam Antonius Episcopus, celebratum fuit Concilium generale Florentinum anno 1439., cui & ipse interfuit, ac subscripsit (80). Edificavit paritèr Episcopium propè novam Cathedralem [sive melius inceptum præcedentèr à Gregorio Malesardo Episcopo prosecutus est] sedente in Apostolico folio Calixto PP. III. & dominante Cæsenæ Dominico, qui dice-

(73) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 731.*
[74] *Cronic. Riminesi ann. 1432. Vit. B. Robert. Malatesta.*
[75] *Idem fol. 730. Manzon. fol. 39.*
(76) *Ipsemet. Claram. f. 735.*
(77) *In Regolaria Communit. Cæsen. n. 95*
(78) *Cæsar. Briss. Relat. Cæsen. par. 2. fol. 23.*
[79] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 39.*
(80) *Labbe to. 13. Concil. fol. 519. & 1169.*

dicebatur Malatesta Novellus : proùt indicat carmen muro inscriptum ejusmet Episcopii.

Sceptra Novellus habet, Terno præsidente Calisto.

Magnam quoquè Turrim campanariam Cathedralis construxit, qua nulla procerior in tota Romandiola. Sed & suo tempore plura pia opera peracta sunt, de quibus factus est sermo capite præcedenti, cum calamus recenseret gesta mox fati Malatestæ Novelli, ejusque uxoris Violantæ Montefeltriæ, optimæ, atquè piissimæ principissę.

23 Dilexit Antonius Episcopus *Fr. Joannem de Arimino* Sac. Theologiæ Magistrum, Cæsenæ commorantem: qui cum ibidem obiisset die 20. Maii 1446. magna probitatis opinione de se relicta, honorificum accepit funus. Indè corpus ejus translatum ad patriam pari honore à Principe, ac populo Ariminensi accepto, tumulatum fuit in æde Sancti Francisci (81). Qua pariter in æde cum Sigismundus Malatesta Princeps Capellam S. Sigismundi ædificasset, Antonius Episcopus Cæsenæ unà cum Episcopis Arimini, Pisauri, & Britinorii eandem dedicarunt; singulique ipsorum Antistitum Indulgentiam 40. dierum contulerunt piè visitantibus illam. Quo & ipsomet die 1. Martii 1452. Sigismundus quatuor præfatos Præsules magnifico pro ecutus est convivio in Conventu S. Francisci (82). Vixit Antonius Episcopus ad annum usque 1475. quo viam universæ carnis ingressus est, lumine prius oculorum per plures antecedentes annos amisso (83).

24 Gravi cæcitatis infortunio Deus interdùm exercuit virtutem Antistitum, etiam sanctitate conspicuorum. Nàm & S. Aquilinus Episcopus Ebroicensis [84]: & S. Sabinus Canusinus [85], & S. Leodegarius Augustodunensis cęcitate laborarunt (86). Capiti oculis itidem fuerunt Robertus Armachanus [87], Herolphus Salisburgensis (88), Bruno Placentinus (89], Hincmarus Laudunensis (90), Bruno Metensis [91]. Ne plurimos alios recentiores enumeremus eadem affectos infirmitate. Adestque Sancti Bonifacii Moguntini epistola consolatoria Danieli Ventano super luminis amissione [92].

(81) Cronic. Riminesf. ann. 1436.
[82] Dict. Cronic. Riminesf. an. 1452.
[83] Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 736. Chron. Cæsen. fol. 17.
(84) Surius in ejus Vit. 19. Octob tom. 5.
(85) Gregor. Dialog lib. 3. cap. 5
[86] Surius 2. Octobr. in ejus Vit.
(87) Campanil Diversor. rubr 11. cap. 17. numer. 78.
(88) Vuigald. Hund. Histor. Salisburg to 1
[89] Card Baron. ann 1089. num 10.
(90) Concil. Attiniacens. anno 870.
(91) Baron. ann 927. n. 2.
(92) Idem ann. 720. num. 48.

Post

25 Post mortem deniquè corpus Antonii Episcopi nostri conditum fuit in Cathedrali Cæsenæ intra cophinum, locatum super janua laterali: quæ prius ibi erat, ubi nunc situm cernitur altare Præposituræ; mutataque fuit, quando Fr. Vincentius Maria Cardinalis Ursinus Episcopus Cæsenas (qui & posteà fuit Benedictus Papa XIII.) Cathedralem ipsam fecit elegantius ornari anno 1681. Traductū namque tunc fuit corpus præfatum ad latus dextrum Chori sub Organo, ubi præcedentèr habebatur paruum Altare, sanctissimæ Trinitati dicatum. Cui cophino fuit usque ab initio superscriptum elegans Tetrasticorum, typis impressum apud Ughellium in Episcopis Cæsenatibus (93).

26 Sub initio Episcopalis Regiminis Antonii Malatestæ prædicti, permanebat Cæsenæ, ibique anno 1438. ad superos evolavit *B. Leo de Cereto*, Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, unus ex primis auctoribus eorum reformationis, & *Prior S. Crucis Cæsenæ* (94). In quo Cænobio migravit ad Dominum etiam *B. Augustinus de Pisis*, ejusdem instituti professus (95) Et hi ambo, ut putamus, obierunt in veteri Canonica, tunc adjacente parvę illi Ecclesiæ, nunc dictæ S. Mariæ de Consolatione, ubi antiquitùs morabantur Canonici Lateranenses, antequàm erigeretur novum eorum Monasterium extrà civitatem, cum Ecclesia S. Crucis: de quo infrà erit sermo (96).

27 Eodem quoquè Antonio Episcopo sedente, Cæsena dedit civem præclarum infulis Episcopalibus Forolivii, *Ambrosium Pedronium*, vitæ sanctimonia commendatum: qui obiit Basileæ (97), dum ibi celebraretur Concilium, nondùm depravatum. Dederat & paulo antea sedi Britinoriensi Antistitem *Venturam de Abbatibus*, ex Canonico Cathedralis Cæsenaten, electum idibus Aprilis 1428. à Martino PP. V. & commendatum in Bullis Apostolicis, tamquàm præditum *scientia literarum, munditia vitę, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis* (98). Interfuit Concilio Ferrariensi anno 1438. (99). Fuit quo-

(93) *Ughel. Ital. Sac to. 2. in Episc. Cæsen. num. 65.*

(94) *Gabr. Penot Hist Tripart. lib. 3. cap. 51. fol. 172.*

(95) *Ser Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 204.*

[96] *Vide infra cap. 26. numer. 15.*

(97) *Manzon. loc. cit. fol. 66.*

[98] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 736.*

(99) *Labbè to. 13. Concil. fol. 896*

que *Commiſſarius Apoſtolicus in cauſa unionis Abbatię Sancti Laurentii menſæ Epiſcopali Ceſenę. Conſecravit Iacobum Palatium in Epiſcopum Forolivienſem anno* 1463. *die* 27. *Novembris. Decrepitę ętatis exceſſit è vivis anno* 1477. *cum Britinorienſem Eccleſiam rexiſſet annis* 49. [100].

(100) *Manzo. Chronol Ceſen fol.* 90.

28 Spectat ad hanc ætatem reminiſci, quod Cæſenæ anno 1434. celebratum fuit Capitulum generale Fratrum Servorum B.Virginis, in quo decreta eſt Reformatio Montis Senarii: ſtatuenda ibidem anno antecedenti, ſed propter quaſdam tunc exortas rerum perturbationes, ad ſequentem dilata. Legitur enim in hiſtoriis illius Ordinis religioſi ſub anno 1433. *Dum congregatio Reformationis Servorum in Conventu generali Cęſenę approbatur, plures quoque Magiſtri Theologi rurſus ad Concilium Baſileenſe deſtinantur.* Et infra. *Prępeditus Ordo noſter cogitur his diebus Comitia jam per Nicolaum Generalem indicta Cęſenę, in aliud tempus differre.*

29 Adhùcque inferiùs: *Hujuſmodi domeſticis ſuorum perturbationibus dum vexatur puſillus grex Senarii &c. unus Nicolaus Generalis, viri in quo prudentia ſimul, & pietas maximè vigebant, ut tot inundantibus malis occurreret, has diaboli verſutias ſequenti anno* 1434. *potuit ſua auctoritate in Comitiis Cęſenę conterere* (101). Pluriès in hujuſmodi Conventu Servitano convocatum fuiſſe reperitur Capitulum generale, prout in decurſu præſentis operis liquet. Ac decus illi adfert noviſſe, quod etiam Sanctus Philippus Benitius ibidem aliquando permanſit (102).

(101) *Garbius Annales Ord. Servor. tom.* 1. *centur.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. *fol.* 425.

30 Intèr memorias Eccleſiaſticas deniquè, ſivè pias hujus temporis, non omittimus computare legatum Malateſtæ Novelli, qui Senatui Cæſenatum reliquit fundum fructiferum, ut ex ejus proventibus quolibet anno exhiberet ſubſidia dotalia decem puellis, ingenue natis, paupertate laborantibus, ac viventibus honeſtè, ut poſſent nubere. Memorat iſtam diſpoſitionem Cornelius Guaſconius in ſuo poemate accinens: *Ceſena*.

(102) *Vide ſupra c.* 20. *n.* 14.

Solea

Solea ancor ogn'anno maritare
Dieci figlie di povere persone &c.
E quest'è un pio lasciato ch'hebbe a fare
Malatesta Signore &c. [103]

Verùm hujusmodi pium opus jam dudùm evanuit. Adsunt nihilominus Cæsenæ perplures aliæ consimiles charitativæ subventiones, pauperum puellarum usui deputatæ, quibus competentèr dote suffultæ, nubere valeant.

31 Supplenda nunc superest hic mentio duorum eventuum recordatione dignorum, & alioquin pertinentium ad materiam Capitis præcedentis; qui casu ibidem fuerunt intermissi. Dominante Civitati nostræ Familia de Malatestis, grave prælium consertum est propè Cæsenam, inter Braccium de Montone Perusinum, & Michelettum de Attendolis, celebres Ductores Exercituum illius temporis. Prævaluitque primus, de secundo profligato victoriam consecutus (104). Cum item anno 1422. Franciscus Sfortia Moderator acierum Philippi Mariæ Ducis Mediolani, statum temporalem Pandulphi Malatestæ magnis excursionibus infestaret; Pandulphus intrepidè, strenuèq; defendit Cæsenam ab hostilitatibus ejusdem Sfortiæ (105).

32 Superest, ut & enunciemus factum, atque dictum egregium cujusdam Anonymi Cæsenatis: de quo quandoquidem incertum est, qua vixerit ætate, ad libri commodum illum hic ducimus referendum verbis Scipionis Claramontii, de ipso ità scribentis: *Erat vir nobilis, qui ut filii scelerosi aspectum vitaret, Ravennam recesserat. Moritur interim filius: eamque mortem homini sibi renuncianti, respondit pater: jam diu mortuum esse sceleribus suis obrutum filium: proinde nuncium mortis nihil sibi novi attulisse: attulisset autem novi aliquid, si sepultum nunciasset* (106). Oh magnum, oh gravem, oh æquanimem, religiosumque virum, æterna commendatione dignum! Quem alium facilè invenies parentem, prudentia, magnaminitate, serietate huic similem: virtutis magis amantem, pravamque vitam improbi filii magis abominantem!

(103) *Guasconi diluvio S. folea.*

(104) *Ritratti & Elogii &c in Braccio fol. 92.*

(105) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 231.*

(106) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 14. fol. 639.*

CAPUT XXV.

Dè Cæsenæ Civitate à tempore *Pauli Papæ II.* usque ad finem Pontificatus Alexandri Papæ VI.

SUMMARIUM.

1 *Mortuo Malatesta Novello, Robertus ejus nepos, & vir vafer, curavit Cæsenæ principatum invadere.*

2 *Cæsenates ei restiterunt. Rationes, curidem Robertus, & Sigismundus ejus pater carebant jure succedendi.*

3 *Illaudabiles mores ipsiusmet Sigismundi summatim à Spondano recensiti.*

4 *Alii Scriptores de pessimis ejus actibus, moribus, & sceleribus eloquentes.*

5 *Cæsenates detrectarunt ei subesse, ac Sedi Apostolicæ se libenter subdiderunt.*

6 *Papa pollicitus est Cæsenam nulli amplius concedere in feudum. Indultum contulit* Hastiludii.

7 *Variæ gratiæ, ac favores, quos Paulus PP. II. tunc largitus est Cæsenatibus.*

8 *Archiepiscopus Spalatensis memoratur, & plura ejus opera, temporequo rexit Cæsenam.*

9 *Commotio hic facta, ut Civitas proderetur dicto Roberto: & Auctores illius laqueo suspensi fuerunt.*

10 *Fridericus III. Imperator pergens Romam, Cæsenam transivit: honorificè ibi exceptus, & muneratus.*

11 *Transiverat inde quoque Catharina Regina Bosnæ. Mox pertransivit quoque Borsius Dux Ferrariæ.*

12 *Sixtus PP. IV. denunciat provectionem suam Cæsenatibus: quibus & varias gratias impertit.*

13 *Alii favores iisdem collati. Præficit eis nepotem suum: deindè Joannem Venturellium.*

14 *Po-*

14 *Polydorus Tybertus exul Cæsena fit Præses Sulmonis patriæ Ovidii: ubi construit fontem.*
15 *Eiiditur conspiratio quorundam satagentium dare Cæsenam Florentinis.*
16 *Tumultus territorialium aliquot in Ecclesia S. Francisci: & cur fuerit excitatus?*
17 *Papa consulit indemnitati Cæsenatum, possidentium bona emphiteutica Ecclesię Cerviensis.*
18 *Plus potestatis Magistratui, quam Gubernatori, visus est contulisse. Alveus Rubiconis immutatus in fine.*
19 *Innocentius VIII. vocat Cæsenam Antemurale Romandiolę. Illius indultum circa bona emphitheutica. Res alię.*
20 *Mala multa emerserunt inter Guelphos, & Gibelinos, à fœminis utriusque factionis excitata.*
21 *Favores ab Alexandro VI. collati Cæsenę. Tunc primo impressa fuerunt Statuta.*
22 *Dux Calabriæ castra posuit penès Cæsenam, occursurus Carolo VIII. Regi venienti.*
23 *Conflictus Cæsenas inter adhęrentes eidem Regi Carolo, & faventes præfato Duci.*
24 *Cuius Ducis milites gravia damna Cęsenatibus intulerunt. Indèque alia facinora provenerunt.*
25 *Cędes multorum in Ecclesia. Artificia adhibita, ut Cęsenates peterent sibi in Principem Ducem Valentinum.*
26 *Is demùm factus est Princeps Cęsenę: Restrictaque collatio beneficiorum ad solos indigenas.*
27 *Valentinus constituit Cęsenam Civitatem Ducalem, & Metropolim suę ditionis.*
28 *Locumtenens Borgię capite plexùs Cęsenę. Lucretia Ducissa Ferrarię. Catharina Sfortia. Arx diruta.*
19 *Dux Urbini, ac Veneti tentant occupare Cęsenam. Julius PP. II. illam ad suum dominium revocat.*
30 *Plures Cęsenates memorantur doctrina pręclari, qui hac ętate floruerunt.*
31 *Agitur de Carolo Verardo Prelato Romanę Curię, illiusque operibus literariis.*

32 *Da-*

32 *Darius Tybertus vir doctus, illiusque opera, obitusque demùm infelix.*

33 *Antiochus Tybertus: Blasius Romaninus, & alii docti Cæsenates illius ætatis.*

34 *Tres Cives Cęsenę dignitate Senatoris almę Urbis claruerunt.*

35 *Armorum peritia hisce temporibus Jo. Franciscus de Balneo prçcelluit.*

36 *Illius ephitaphium. Et hic est primus talis nominis, à secundo distinctus.*

SUblato è vivis Dominico, aliàs Malatesta Novello sine filiis, ut supra dictum fuit (1), factus est locus devolutioni Civitatis Cæsenæ ad Sedem Apostolicam, à qua defunctus illam obtinebat in feudum jure proprio, à sè acquisito ex gratia Pontificia, sub titulo Vicariatus. Tunc Robertus Novellus item Malatesta, ejus nepos ex fratre Sigismundo Ariminensi Dynasta, nomine patris (in Peloponneso tùnc eo tempore Republica Veneta militantis) in arcem Cæsenę se insinuavit, ut urbem nostram suę subiiceret potestati [2]. Quam vafer autem esset iste Robertus in similibus eventibus, deduci potest ex fraude, qua deinde, (prout est testis (3) Jacobus Cardinalis Papiensis) Paulum PP.II. fefellit in occupando Arimino post mortem patris, ad aliam vitam transgressi, cum jam rediisset in patriam anno 1468. (4). Et equidèm plebis urbanę pars, atque perplures rustici territoriales Cæsenæ, ipsimet Roberto favebant, ut familiæ Malàtestæ principatum, cui se sé adsuefecerant, propagarent.

(1) *Vide supra cap.23.num.25*

(2) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib.16. fol.718.*

(3) *Card. Papiens. Comment lib.5. fol.404.*

(4) *Claram. loc cit. fol.738.*

2 At verò proceres, & nobilium ordo, cætusque civium perspicuorum, strenuè restiterunt: ac ad Sedis Apostolicæ dominium immediatum (quo nullum suavius est, & æquius) velle sè redire contestati sunt. Eo vel maximè, quod neque Malatesta Novellus, neque Sigismundus erant legitimo thoro nati, sed nothi: adeoque successionem in eorum respective ditionibus temporalibus non obtinue-

rant

rant ex jure Galeoti Malatestæ primi acquirentis, sed ex nova concessione gratuitò postmodum acquisita, jure proprio, ac ex mera gratia Martini PP. V. (5), qui eos habiles fecerat ad successionem in portione quosq; sua per lineam rectam, & descendentalem; non verò per transversalem, & obliquam. Adde quod Malatesta Novellus propter bella illata Pontifici cum cecidisset in commissum, non fuerat redintegratus à Pio PP.II.nisi sub expressa conditione, ut post ejus obitum sine filiis legitimis, Cæsena protinus reverteretur ad immediatum dominium sanctæ Sedis (6):

3 Adhuc & pessimæ qualitates, ac vitia Sigismundi, quemlibet justum rerum existimatorem prudentèr poterant deterrere, nè sè illius tyrannidi subjugaret. Nàm ut inquit Spondanus: *Erat hic extrà matrimonium natus, multa vi animi, & corporis præditus, & philosophiæ peritus: sed malis plane moribus, pauperum oppressor, & bonorum divitum direptor, nec viduis, nec pupillis parcens; nemine sub ejus imperio securo: cum reos nunc opes, nunc uxores, aut liberi forma præstantes facerent. Sacerdotes odio habuit; de venturo sæculo nihil credidit, & animas cum corpore perire existimavit. Cumque nihilominus nobile templum Arimini in honorem S.Francisci ædificasset: ità Gentilibus operibus implevit, ut non tam Christianorum, quàm infidelium dæmones adorantium, templum esse videretur. Rogatus aliquando a subditis, ut quieti tandem se traderet, parceretq; patriæ, quæ sua causa sæpè rapinis exposita fuisset; bono animo esse jussit, nunquam, sè vivo, pacem habituros*(7).

4 Alia multa de nequitia hujus tyranni legere est in commentaris Pii PP. II. (8). Et apud Mutium Justinopolitanum (9). Breviterque scias, quod idem Sigismundus *advenenata mens, sine religione, sine fide, sine Deo: qui nullius sceleris non reus erat; de hæresi convictus, condemnatusque est, ejusque simulacrum puplicè præ gradibus Basilicæ S. Petri combustum* (10). Cæterum Sigismundus Pandulphus à Pio II. non solum fuit ab excomunicatione absolutus verum etiam ab eodem comendatus Reip. Venetorum ad hoc ut supremus Imperator constitueretur in generali Christianorum

expe-

[5] *Vide supra cap.23. n. 19.*

[6] *Pius II. Comment. l. 11 fol. 98. 52.*

(7) *Spondanus anno 1459. n. 7*

[8] *Pius II. Comment. l. 2. fol. 51. lib. 5. fol. 129. lib. 10 fol. 268.*

(9) *Mutius Justinop. Vit. Frider. Duc. Urbin. lib. 4. fol. 217.*

(10) *Spondan. ann. 1462. n. 8.*

(11) *Clement. Hist. Arim. tomo 2. lib. 9. fol. 446. & seqq.*

expeditione adversus Turcas ab ipso Pōtifice promota (11), quæ sicuti evanuit immatura morte ejusdem Pii, ita ademit gloriam eidem Sigismundo qui pauci momenti tantum progressibus factis in Morea, Patriam rediit ob suspicionem conceptam quod Paulus II. eidem Dominium Civitatis Ariminensis eripere vellet, & paulo post piè obiit in gratia ejusdem Pontificiis Sacramento Eucaristico refectus tanquam verus Catholicus (12).

(12) *Idem ubi supra fol. 472.*

5 Et cum ob crimen hæresis in Deum, & læsæ majestatis in Papam, omni ditione temporali privatus fuisset (13): Ac solum post abjuratam hæresim, & veniam à Pontifice postulatam, interventione plurium Principum, impetrasset, ut unica Civitas Arimini, cæteris ditionibus amissis, illi ex benignitate Apostolica, sub nova concessione, novoque censu permitteretur (14); patet quod super principatu Cæsenæ nullum inerat ipsi jus, & sceleſtissima ejus vita indigna erat, cui ullus Christianus populus se subiiceret non invitus. Optimè igitur Cæsenates constantissimè detrectarunt in illius dominium consentire. Acceptisque literis Pauli PP.II. (15), quibus monebantur, ut memores sponsionis Pio II. præstitæ, ac juramento firmatæ, de regressu ad Sedem Apostolicam post obitum Malatestæ Novelli; promptissimè se Pontifici subdiderunt, die 9. Decembris 1465. (16).

(13) *Pius II. Comment. l. 7. fol. 184.*

[14] *Spondan. ann. 1462. n. 8. in fin.*

[15] *Binæ Literæ Paul. II. ad Cæsenat. anno 1495. in Regularia Communit.*

(16) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 738*

6 Tùnc Papa nedùm acceptavit mox fatam reversionem Cæsenæ ad immediatum dominium Sedis Apostolicæ; verùm etiam literis, a se, ac S. R. E. Cardinalibus subscriptis, pollicitus est eandem Civitatem nulli amplius in feudum, seu vicariatum temporalem concedere (17). At ut perpetua remaneret memoria lætitiæ hujusmodi eventus, non vi, non metu, sed *sponte* ad ultimum complementum redacti, decrevit, ut quotannis recurrente ipsa die celebraretur gymnicum illud spectaculum publicum, & populare, jam in tota Italia singulare (si spectes concertantium equitum lanceas, & armaturam, ac utriusque rei qualitatem): dictum communiter *Hastiludium* (& vulgari expressione *la Giostra al'incontro*) approbatum postmodum specificè, augmento etiam Bravii, à Paulo PP.III. ut ex

[17] *Extant in Regularia Commun. Cæsen.*

ex nostris statutis liquet [18]. De quo spectaculo alibi uberior erit sermo [19].

7 Alios quoquè favores, & gratias Paulus PP. II. Civitati nostræ concessit, ad civium animos impensiùs demerendos, & grata beneficentia prosequendos. Ac inter cætera sustulit vectigal tritici mola frumentaria terendi. Ordinem item Optimatum à numero 70. usque ad sextum, & nonagesimum ampliavit. Adhùc & facultatem dedit liberandi ab emphiteusi bona stabilia, persolutis cuique domino directo quinque aureis pro quolibet centenario veri valoris. Dimidias insuper mulctas, de malefactis exactas, applicavit restaurationi Palatii publici. Nec non taxas contributionum, quas Hæbrei, tunc Cæsenæ permanentes pendebant, addixit urbanis mæniis reparandis. Approbavit & Capitula, quæ *Conservatus* appellantur. Ac ratas habuit conventiones inter Cæsenates, & Archiepiscopum Spalatensem initas. Prout de his omnibus asservantur adhùc literæ Apostolicæ præfati Pauli in Regularia, sive Archivo Decurionali nostræ Communitatis (20).

8 Idem Archiepiscopus vocabatur Laurentius Zenus Venetus: fuitque primus Gubernator, qui post Malatestę Novelli obitum rexerit Cæsenam nomine Pontificio. Hic novam Arcem (supradditis aliis validioribus munimentis) robustiùs roboravit. Ingens illud Propugnaculum, vulgo *Torrione*, quod super majorem plateam assurgit, à fundamentis erexit. Nec non longum illud Ambulacrum, vulgò *Corritore*, quod ex Arce prædicta per idem Propugnaculum, ad magnum Palatium Prætoriale ducit, atque reducit, ædificavit: ut promptum Gubernatori semper esset, ac tutum, iter ad Arcem præfatam.

9 Cumque mortuo Sigismundo Malatesta domino Arimini, nonnulli plebei Cæsenates, & rustici districtuales anno 1469. promissis clandestinis allecti, seditionem exciassent, ut civitatem nostram Roberto ejusdem Sigismundi filio proderent, mota seditio citò compressa fuit suspendio quam plurium *ad propugnacula, sivè merlos Turris novę*

(18) *Vid. Statut. Cæsen. fol.* 37.

[19] *Brasch. Diatrib. Cæsenat.*

(20) *Breve Pauli II., sub annis* 1465. 1466. 1467. 1468. & 1469 *in Regular. Communitat.*

super platea civitatis, inquit monumentum Ariminense (21). Paulus deindè Papa iterùm communivit, ac validius roboravit Arcem novam Cęsenatem (22): ut similes motus facilius cohiberet, ac indigenas omnes in obedientia debita contineret. Legimus & apud Cardinalem Papiensem, quod *Pontifex Paulus copias suas, quę ad duo millia equitum erant, ad Cęsenam Flaminię civitatem continuit: monens Ducem earum Neapoleonem Ursinum, ut tantum fines à maleficiis potentium, latè commeatus custodiens, quid agendum amplius esset, paratis omnibus expectaret* [23]. Contigit & Ariminum fuisse Sigismundi mox fati obitu ad Sedem Apostolicam devolutum (24).

(21) Apud Claramon Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 738.
(22) Chronic. M. S. Cæsen. fol. 261.
(23) Card. Papiens. Commen. lib. 4. in princip.
(24) Raynold. ann. 1469. numer. 26.

10 Ipsiusmet Pauli Papæ II. tempore, videlicèt anno 1468. Cæsena pertransivit Fridericus III. Austriacus Imperator, properans Romam: tum ut ibi susciperet Augustale diadema de manu Christi Vicarii: tum ut voto satisfaceret, quod emiserat, illùc devotionis gratia petendi [25]. Huncque adeò conspicuum Romipetam Decuriones, Optimates, & Cives nostri omni honore sunt obsequiosissimè prosequuti. Nec defuere munera, publico Civitatis nomine ipsi reverentèr oblata. *Petivit Cęsenam die 15. Decembris ningente cęlo. Obtulere Conservatores publico nomine munus: fuit autem candidissimi Damasceni ulnę plurimę* (26).

(25) Idem Raynold. ann. 1468 n. 42
[26] Scip. Claram. histor. Cæsen. lib. 11. fol. 741

11 Sic & quando pridem hinc pertransierat Catharina vidua Thomæ Regis Bosnæ, publicis sumptibus hospitio suscepta fuerat (27). Pergebat hæc namque Romam, ubi & interiit anno 1468. hæredem regni statuens Apostolicam Sedem (28): Saluis juribus filii, si regressus Christianam fidem constantèr profiteretur [29]. Bosnenses namque *non tàm re, quàm nomine Christianum sibi nomen usurpavere* (30). Transivit quoque Cæsena mense Martii 1471. Borsius Dux Ferrariæ, Romam pergens cum locupleti sequela 750. equorum: de quo in Chronico Estensi habetur: Ferraria *ivit cum prefata comitiva Ravennam, indèque Cęsenam: ibique venit eidem obviam R. P. D. Archie-*

[27] Chronic. M. S. Cæsen. fol. 62.
[28] Raynold. ann. 1468. numera 42.
[29] Card. Papiens. epist. 679
(30) Pius Papa II. Commentar. lib. 11. fol. 311

chiepiscopus Spalatensis Legatus Apostolicus ad hoc deputatus, eumque associavit á Cesena Ariminum, & Pisaurum (31).

12 Successit Paulo II. in Pontificatu Sixtus IV. electus die 9. Augusti 1471. (32): Qui *Conservatoribus, Consilio, & Communi Civitatis Cęsenę*, significativas provectionis suæ literas dedit (33). Confirmatisque privilegiis, & statutis eorum; tertiam quoque partem onerum Cameralium condonavit, erogandam in restauratione murorum urbis, & palatii decurionalis [34]. Alia vice taxas biennales ab Hebræis pendi solitas, nostræ Civitatis usui applicavit (35) Successivè dimidiam partem mulctarum criminalium addixit reparationi circuitus illius, qui dicitur *la Murata*, quassati ab impetu terræmotus [36]. Mandavit paritèr officia, & munia civica indigenis dumtaxat distribui (37). Necnon porticus quasdam dirui assensus est, ut majori ornatui Civitatis consuleretur [38]. Concessit & in perpetuum Castrum, atque Turrim S. Georgii Communitati Cæsenæ (39).

13 Sed & Arcis Præfecto sub pœna indignationis suæ præcipit, ut magnum tintinabulum, sive Campanam ipsiusmet Communitatis, quam abstulerat, eidem protinùs restitueret (40). Adhùc & scripsit Regi Neapolis, ut ex Apulia ter mille mensuras tritici pro usu Cæsenatum extrahi pateretur (41). Ac literis Ducem Venetorum Vendraminum admonuit, ut restitui faceret frumentum, quod à Cæsenatibus apud Senogalliam emptum, quidam Nautę Veneti per marinum iter fuerant deprædati (42). Civitatis Gubernatorem constituit Bartholomæum Episcopum Ferrariensem nepotem suum. Cui deinde anno 1475. in Gubernatorem simul, & Episcopum subrogavit Joannem Venturellium, cum amplissima facultate per alias quoque Civitates, Oppida, & Castra usque ad flumen Foliæ [43]. Denique cum graves quædam rixæ, homicidia, direptiones, & hostilitates inter adversarum factionum asseclas essent ortæ Cæsenæ; Sixtus Civitati scripsit, quod si di-

(31) *Chron. Estens. sub ann.* 1471.

[32] *Ciacon. Vit. Pontif. in Sixt. IV.*

[33] *Vid. ap. Claram. Hist. Cæsen. fol.* 762

(34) *Sixt. IV.* 6. *Octob.* 1471. *ex Archiv. Commun.*

(35) *Idem* 11. *Januar* 1473. *Ibidem.*

[36] *Idem* 14. *Januar.* 1484. *in eod. Archiv.*

[37] *Idem Sixtus ann.* 1473. *Ibidem.*

(38) *Idem* 23. *Novemb.* 1481 *Ibidem.*

(39) *Idem* 20. *Januar.* 1484. *Ibidem.*

[40] *Idem Sixtus* 4 *an.* 1475. *Ibidem.*

(41) *Idem ann.* 1483. *Ibidem.*

[42] *Idem ann.* 1470. *Ibidem.*

(43) *Scip Claram. Histor. Cæsen. lib.* 16. *fol.* 704.

gnitatem Pontificiam decuisset, libentèr ipse Cæsenam advenisset, ut exulantem pacem reduceret; mittebat vero Patriarcham Antiochenum, qui dissidentes Apostolico suo nomine conciliaret (44).

[44] *Sixtus 4. 25. Junii 1475. ex Archiv. Communit.*

14 Unus hisce ex præcipuis factionariis reputabatur Polydorus Tybertus, vir præpotens, & familiæ numerosissimæ antesignanus. Cui erat facile mala gravia perpetrare: ideòque fuit actus in exilium (45). Et cum Neapolitanum regnum adiisset, à Rege Ferdinando I. constitutus est Præses urbis Sulmonensis, in Pelignis positæ, nonaginta mille passibus longè à Roma: & sua nedum antiquitate præclaræ (46); verum etiam præclarissimæ ob originem Ovidii Nasonis, de illa metricè perhibentis:

(45) *Claramont. loc. cit. fol. 742.*

(46) *Phœbonius Histor. Marsor. folgl. 251.*

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis:
Millia qui novies distat ab Urbe decem [47].

(47) *Ovidius 4 Tristib.*

Cernitur adhùc apud Sulmonam prope Portam, Salvatoris appellatam, Fons marmoreus, cui hoc inscriptum est epitaphium, aliquanto tamen exesum.

POLYDORUS TYBERTUS CÆSENAS PRÆTOR SULMONIS
CLARUS, ET INSIGNIS SUB INVICTISS. REGE FERDINANDO
. . . .
OPUS HOC NOBILE STRUXIT: ET VIAS URBIS
STERNENS MARMORE INCRUSTAVIT.

15 Regrediamur ad Sixtum PP. IV. Eo sedente detecta est secreta conspiratio duorum Cæsenatum, qui studebant subdere Civitatem Reipublicæ Florentinæ. De qua perduellione ipse Papa ex Braciano Sutrensis Diæcesis die 27. Augusti 1478. scripsit Joanni de Venturellis Episcopo & Gubernatori Cæsenæ, se intellexisse, quod duo cives Cæsenæ profecti Florentiam, Laurentio de Medicis polliciti erant alteram Arcium Cæsenæ, vel novam, vel veterem: mandans ut de illis inquireret: atque addens, sè jussisse B. Episcopo Ferrariensi nepoti suo, cui curam

ista-

istarum Arcium commiserat, ut ad eas quamprimum se conferret, ac quæ necessaria erant, sollicitè provideret (48). Nepos Papæ statim se contulit ad residendum in Arce nova: & machinatio proditorum tempestivè præventa evanuit.

[48] *Brev Sixti 4. ap. DD. de Venturellis Cæs.*

16 Præcesserat quidam tumultus excitatus à quamplurimis territorialibus rusticis in Ecclesia S.Francisci Cæsenæ super populo civitatis. Contra quos rusticos Sixtus IV. die 1.Martii 1477. mandavit Joanni præfato, ut districtè procederet (49). Causamque tumultus ex eo profluisse censemus, quod legitur in aliis literis ejusdem Papæ, ad ipsummet Joannem directis, & editis die 28. præfati mensis, atque anni, continentibus, ut curaret partes ad concordiam reducere: *ac in primis* (inquit) *volumus, ut datium damnorum datorum, quod venditum esse accepimus, in pristinum statum reponas: & advocatis Conservatoribus, & Antianis dictę civitatis nostrę, alicui probo viro exercendum committas, qui pro nostra ipsa civitate id exigat more solito, amoto ab inde quolibet detentore, ne in exigendo, fraudes, & indebitę fiant extorsiones* (50).

[49] *Aliud Brev. Sixti 4. ap. dict DD de Venturellis.*

(50) *Aliud Breve simile ap. eosdem.*

17 Indemnitati quoque Cæsenatum circa bona emphitheutica consuluisse Sixtum ex eo detegitur, quod præmemorato Ioanni scripsit die 23.Novembris 1476.his verbis: *Intelleximus nuper ex querela dilectorum filiorum Conservatorum populi civitatis Cęsenę, quod nonnulli eorum concives, & incolę agri Cerviensis, pluribus possessionibus, & prędiis de facto sunt spoliati, sub prętextu, quod prędia, & possessiones ipsę ad Ecclesiam Cerviensem dicantur spectare. Quocirca nos attendentes, quod spoliatis de remedio restitutionis est succurrendum; justis, & honestis nobis super hoc exhibitis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ committimus, & mandamus, quatenus, si ita est, spoliatos ante omnia pristinæ possessioni restituas, & deinde iis, qui nomine dictę Ecclesię, vel aliàs jus in prędiis, possessionibusque hujusmodi forte prętendunt, si coram te de illos experiori volent, justitiam administres* (51).

[51] *Brev. Sixti 4. ap. DD. de Venturell. Cęsen.*

18 Deni-

18 Deniquè Sixtus Papa IV. adeò se benevolum, & munificum exhibuit Cæsenatibus, eorumque Magistratui Conservatorum: & huic *tantum permisit auctoritatis, ut Gubernator civitatis*, ipsiusmet *Sixti IV. viventis nepos interdùm dixerit, plus à Pontifice Conservatoribus, quam sibi, in civitatem tributum* (52). Circa initia hujus Pontificatus, Cæsenates intuentes, quod eorum fluvius Rubico, sive Rico, aliàs Pisatellus, versus finem sui cursus, campos innundabat, & receptacula salinaria devastabat, non sine gravi salis jactura, & civium detrimento, alveum illius immutarunt, & ipsius iter traduxerunt versus alium fluvium, qui vulgo dicitur *Fiumicino*; cum quo nunc mixtis aquis intrat in mare. Antiquitùs verò idem Rubico, *incipiendo à Vinciliis, & decurrendo per S. Pelegrinum ad mare prope Tagliatam defluebat*. Prout probatum fuisse in judicio contradictorio anno 1591. patet ex duabus decisionibus Romanæ Rotæ coram Mantica (53). Et quia cursum fluminum sine beneplacito Principis nulli est fas innovare [54]; flexionem præfatam Rubiconis absque assensu Sixti IV. minimè judicandum est contigisse.

19 Obeuntis Sixti successor in Pontificatu fuit Innocentius VIII. electus anno 1484.(55): beneficus profectò in urbem nostram, quam quandoque suis literis prosecutus est præclaro epitheto *Antemuralis Romandiolę* (56). Gratissimum illi pariter contulit privilegium, bona emphiteutica concernens [57]. Ordinem quoque dedit classibus civium, ut inter optimates graduatos, qui prior cooptatus fuerit in cætum consularem posteriori præcedat: idemque fiat de patritiis minime graduatis, nulla ratione habita potioritatis aliundè petitæ [58]. Cavit & nè literæ Magistratus nomine alicui dirigantur, nisi fuerint inter Conservatores discussæ. Neque Papæ scribatur sine Consilii generalis assensu (59). Quod si contrà Gubernatorem reclamandum sit, recursus equidem ad Sedem Apostolicam habeatur; sed interim ipsimet Gubernatori debita obedientia minime denegetur (60). Officium idem Gubernatoris Cæ-

[52] *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 739.*

[53] *Rota Coram Cardinal. Mantic. decis. 143. & 109.*

[54] *Bald. in leg. 1. num. 1. Cod de Alluvion.*

(55) *Ciacon. Vit. Pontif. in Innoc. 8.*

(59) *Brev. Innoc 8. an. 1487 in Archiv. Communit.*

[57] *Rota par. 4. tom. 3 decis. 741. num. 1.*

[58] *Brev. Innoc. 8. an. 1458 in Archiv. Communit.*

[59] *Idem Innoc. 8 13 Octob 1489. Ibidem.*

(60) *Ipsimet Innocent. 8. 13. Mar. 1490. Ibidem.*

Cæſenæ commiſit Joanni Roſa Coadjutori Epiſcopi Fulginatenſis die 9. Octobris 1484., ut ex ejus literis, quæ aſſervantur (61).

[61] Brev. Innoc. 8. ap. DD. de Venturellis Cæſen.

20 Hoc ſedente Pontifice anno 1490 inter duas familias Cæſenates, factioſas, & numeroſas, Tybertam videlicèt fautricem partis Guelphæ, ac Martinellam tutricem partis Ghibelinæ, graviſſimum diſſidium exortum eſt [62], cui cauſam præbuerunt, ſive addiderunt fæminæ utriuſque gentis, dum in Eccleſia S. Franciſci ad intereſſendum divinis officiis profectæ, altercationem ſuſceperunt de præeminentia ſeſſionis in ſcamnis: ac eouſque in muliebrem furorem efferbuerunt, ut ſibi manus viciſſim intulerint, evulſione mutua capillorum (63). Undè inter viros utriuſque familiæ, ac multarum aliarum hinc inde ſequacium, & adhærentium alterutræ factioni; cædes innumeræ, incendia, domorum everſiones, direptiones bonorum, & alia mala provenerunt, quæ longum eſſet, ac doloroſum exactius recenſere. Non tantum etenim Civitatem civili ſanguine polluerunt; ſed & incolarum penè omnium vitam, & facultates in graviſſimo diſcrimine poſuerunt.

(62) Claram. Hiſtor. Cæſen. lib. 16. f. 742.

[63] Chron. M. S. Cæſen. fol. 62. & 226. & 235.

21 Provectus poſtmodùm fuit ad Summum Pontificatum Alexander VI. PP. anno 1492. [64]: qui aſſumptionem ſuam Civitati noſtræ literis Apoſtolicis denunciavit (65): ac privilegia quoque peculiaritèr confirmavit. Eo ſedente, cum nuper prodiiſſet ars typographica, miro modo cunctorum uſui profutura, fuerunt prima vice impreſſa Venetiis per Joannem, & Gregorium de Gregoriis, anno 1494. antiqua Statuta Civitatis noſtræ: quibus legitur ſuper appoſita honorifica hæc inſcriptio: *Incipiunt laudabilia Statuta floridæ, & almæ Civitatis Cæſenæ.* Ac in fine continent quaſdam additiones, uſque ab anno 1434. approbatas per Malateſtam Novellum tunc Principem ejuſdem urbis. Dudùm autem antecedentèr per plura ſæcula, municipales hæ leges fuerant compilatæ ad bonum regimen Civitatis, nec earum certa nobis conſtat origo.

(64) Ciacon. Vit. Pontif. in Alex. 6.

[65] Alex. 6. 5. Novemb. 1492 in Archiv. Cõmunis

Pro-

Progressu postmodum temporis, postquam exemplaria impressionis Venetæ incæperant esse rariora, iterum eadem Statuta typis edita fuerunt Cæsenæ anno 1589. per Bartolomæum Raverium Bibliopolam.

22 Eodem Papa insidente Cathedræ D.Petri, contigit, quod Carolus VIII. Gallorum Rex arma movit adversus Alphonsum II. Regem Neapolis, ex sè veniens in Italiam, ut & hostem, & ejus ditionem suæ potentiæ subjugaret (66). Nec profuit Alexandro prius precibus, deinde monitis, postremo & minis, Carolum ab ejusmodi expeditione dehortari: quippè Gallus ea omnia parvipendit (67). Igitur Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux, & Alphonsi Regis præfati filius, militaribus cohortibus constipatus anno 1494. se contulit in Romandiolam phalangibus Gallicis occursurus, castraque posuit apud mænia civitatis nostræ Cæsenæ (68): ad quam scripserat Alexander, ut ipsum Principem receptaret, ac talibus prosequeretur officiis, qualia ipsimet Pontifici libentius exhiberet (69).

[66] *Paul.Jovius de Vir. illustr. in Carol. 8.*

[67] *Raynald. ann. 1494. n. 15 & 18.*

(68) *Chron. M.S. Cæsen. fol. 64.*

[69] *Brev. Alex. 6. anno 1494. in Archiv. Communit.*

23 Porrò Ferdinandus misit Nicolaum Ursinum Comitem Pitiliani, strenuum ejus temporis bellatorem, ad Magistratum Cæsenæ, ut suppetias, & victualia pro sui usu exercitus obtineret (70). Quod advertens Guidoguerra, Joannis Francisci de Balneo filius, civisque præpotens Cæsenas, unà cum Tybertis, & sequacibus eorum, ut rem gratam facerent Carolo regi, Pitilianum captivitati submiserunt eo ipsomet in actu, quo Magistratum alloquebatur (71). Famaque talis attentati cito diffusa, intrarunt civitatem hinc plurimi armati Galli, ut adjuvarent captores, inde totidem Aragonii; ducibus Alphonso d'Avalos, & Bartholomęo Liviano, ut liberarent captiuum: factusque atrox est conflictus inter utrosque in plateola, quę dicitur *il Trebbo di S.Paolo*: viriliter à pugnantibus prolatatus, donec fugatis hostibus, victoria stetit pro foventibus partes Ducis Calabriæ [72].

(70) *Claram. Histor. Cæsen lib. 16. f. 743.*

[71] *Paul. Jovius de Vir. il. lust. in Nicol. Pitilian.*

(72) *Chron. M.S. Cæsen. fol. 239.*

24 Tunc iisdèm Dux, & exercitus ejus, à Nicolao Cy-

Cybo Episcopo Arelatensi, & Gubernatore civitatis, in eam introducti, furentes contra Tybertos, & Guidoguerram, illorumque asseclas, & adhærentes, multos intereremerunt, ipsorumque domos diripuerunt. At licentia militari aliorum quoque civium ædes deprædati sunt: adeo gravi, & universali dispendio, ut direptio, per mensem ferè continuata, aureorum octoginta millia transcenderit (73): depopulata etiam officina cujusdam Hebrææ feminæ, quæ in foro Cæsenate artem numulariam exercebat (74). Rè audita, Pontifex ab officio Arelatensem amovit. Qui nihilominus artibus, & officiis obtinuit, ut quam citò ad munus perditum remearet. Guido guerra verò, ac Tyberti rescientes, quod Œconomus ejusdem Arelatensis Cæsenam cum literis redintegratoriis hæri sui adveniebat, *eum cæperunt, atque ante portam civitatis, vel ad Butrium, appensis ad collum literis suspendio impiè uecarunt* (75).

(73) *Claram. loc. citat. f. 743*

(74) *Chron. M. S. Cæsen. fol. 341.*

(75) *Claram. ubi supr. f. 744*

25 Sed & huic facinori aliud addiderunt. Nàm die Dominico, 14. Julii anni sequentis, in Ecclesia S. Francisci, ubi Vesperæ de S. Bonaventura celebrabantur, armis evaginatis, & repentino impetu barbarè trucidarunt 27. homines imparatos factionis adversæ, ac domos eorum direptas iniquissimè subverterunt (76). Hisce nihilominus excessibus non obstantibus, Polydorus Tybertus Romam petens, veniam à Pontifice obtinuit, & clandestinè accepta lege, ut Cæsenates induceret ad sibi postulandum in Principem Cæsarem Borgiam, Alexandri nothum (77): qui communitèr dictus fuit *Dux Valentinus*, vel ab Archiepiscopatu Valentiæ in Hispania, quod obtinuerat, cum esset Cardinalis (78): vel quia post Cardinalatum depositum, adeptus est à Ludovico XII. Rege Francorum Ducatum Valentiæ in Delphinatu: ducta etiam in uxorem Carlotta Albrettana ex regia stirpe Navarrensi [79]. En prospectus faciei ejusdem Cæsaris Borgiæ.

(76) *Idem Claram. loc. cit.*

[77] *Chronic. M S. Cæsen. fol. 67.*

[78] *Raynald. ann. 1492. n. 29*

[79] *Spondan. an. 1498. n. 6.*



26 Sanè Cæſenates conſcii pravitatis hujus hominis; quo deterior non erat ea ætate tyrannus (80); illum ſibi poſtulare in Principem detrectarunt. Verùm inſiſtente Tyberto cum ſuis aſſeclis, urgenteque Pontifice, ac irruentibus armis Valentini; eundem, vel inviti, ac fatali quadam neceſſitate (quatuor miſſis ad Alexandrum Papam Oratoribus) ſibi dari in Principem popoſcerunt (81). Pontifex igitur Cæſarem præfatum conſtituit Dominum, Ducemque Cæſenæ ſub titulo Vicarii perpetui Apoſtolicæ Sedis: qui & alias plures Civitates Romandiolæ ſibi militari manu ſubiecerat (82). Ac Pontifex (ut Magiſtratus urbis noſtræ affectionem captaret; Duxque ipſe Valentinus facilius poſſet Cæſenatum animum ſibi devincire ſpè lucri) amplo ſuo diplomate definivit, ut omnia beneficia eccleſiaſtica Civitatis, & Diæceſis noſtræ conferenda eſſent dumtaxat perſonis de *Civitate, vel Diæceſi prædictis ad id idoneis, per nobilem virum Cæſarem Borgiam de Francia, Ducem Valentinum, &c. ſive ejus in dicta Civitate Locumte-*

(80) *Jovius Vir illuſt. in Cæſar. Valentin.*

[81] *Scip. Claramon. Hiſtor. Cæſen. lib. 16. fol. 745.*

[82] *Raynald. ann. 1502. a num. 10. ad 14.*

tenentem, ac Antianos dictæ Civitatis nominandis (83).

27 Cæsar itàque Valentinus possessionem accepit dominii Cæsenæ die 2. Augusti 1500. [84]. Adhùcque asservantur decreta ejusdem Principis, tamquàm Ducis Romandiolæ, condita Romæ die 10. Julii 1501. contra offendentes Officiales Excellentiæ suæ, præsertim in *sua Ducali Civitate Cæsenæ* (85). Undè liquet, illum constituisse urbem nostram, caput, metropolim, sedem, & civitatem Ducalem totius dominii sui, quod complectebatur Imolam, Faventiam, Forolivium, Britinorium, Cæsenam, Ariminum, Pisaurum, & Fanum, addito etiam Urbino (86). Ac pro numero harum urbium totidem Jurisperitos egregios deputavit, qui cum Præside suo ducali Antonio Politianense conflarent Decuriam Auditorum Rotalium, Rotamque Judicialem pro causis contentiosis judicialitèr ventilandis, qua de re noster Historicus (87): & nos fusius agemus in Diatribis Cæsenatibus.

28 Locumtenens Valentini erat Ramirus de Orcha Hispanus, Cæsenæ residens: ubi nonnulla innovavit, quę Civibus displicuerunt: & cum plura etiam fecisset odiosa populo Romandiolæ, Cæsar ad illos placandos, ac sibi conciliandos, ipsi Ramiro pridem sibi admodum charo, publice fecit super platea Cæsenæ caput abscindi (88). Fuit in eadem civitate anno 1501. honorifice hospitio suscepta Lucretia Borgia, filia naturalis Papę Alexandri (89), quæ Ferrariam ducebatur, nupta Alphonso I. Duci ejusmet civitatis (90). In arce quoque Cæsenæ Valentinus captivam detinuit per aliquot dies Catharinam Sfortiam (viduam Hieronymi Riarii Domini Forolivii) post hanc urbem sibi subactam (91). Quam fęminam indè Romam duxit itidem captivam (92). Non secus ac si alter Aurelianus Cæsar de nova Zenobia triumpharet (93). Cæterùm Borgia veterem, fortissimamque arcem Cæsenæ, quæ usque à temporibus Romanorum steterat imperterrita contra innumeras obsidiones, & pro tutamine civitatis; anno 1502. dirui fecit, & solo prorsus æquari, vel ne illi

(83) *Brev. Alexandr. 9. die 3. Septemb. 1500*

[84] *Claramont. loc. cit. fol. 746.*

[85] *In Regnlatio, sive Archiv. Communit. Cæsen.*

[86] *Raynald. ann 1502. d n. 10. ad 14.*

(87) *Scip. Claramon. Histor. Cæsen lib. 18. fol. 743. &c.*

[88] *Chronic. M. S. Cęsen. fol. 68.*

[89] *Idem Chronic. eodem folio*

(90) *Raynald. an. 1501. n. 21.*

(91) *Chronic. M. S. Cæsen. fol. 266.*

(92) *Guicciardin. libr. 4*

[93] *Vopisc. in Aurelian Trebel. de 30. Tyran. in Zenobia.*

illi esset oneri, vel ne adversus ejus tyrannidem hostilia pericula consoveret. In reliquis ipse Cæsenatum *Civium bona sua reputans*; *militibus, ac exercitui suo pro castris domos, pro commeatu annonam assignabat &c. Turcicoque imperio in subiectos grassabatur* (94).

29 Mortuo mox Alexandro VI. ex veneno casu hausto (95) electus fuit Pius PP.III. anno 1503. qui scripsit civitati nostrę, ut in obedientia Ualentini persisteret (96); prout fecit, resistens tum Guidobaldo I. Urbini Duci, tum Venetis, qui Cæsenam sibi subdere satagebant (97). Et quidem Urbinas, non valens invadere civitatem, per sex dies occupavit Cænobium Cassinensium, demùmq; discessit (98). Absumptus item ad Summum Pontificatum eodem anno Iulius II. primo suis literis Cæsenates admonuit, ut in obsequio Borgiæ perseverarent [99]. Deindè nova jussione Cæsenam ad Sedis Apostolicæ immediatum dominium revocavit, detruso in arcem Romanam S.Angeli Valentino (100). Qui proindè ditionem civitatis nostræ, acquisitam die 2. Augusti 1500., perdidit die 2. Decembris 1504. (101).

30 Per intervallum temporis, quod à Paulo PP.II. usque ad initium Pontificatus Iulii pariter II. pervenit, conspicua extitit patria nostra civibus doctrina præclaris. Quos inter *Antonius de Cęsena* in Universitate Bononiensi Lector fuit Græcarum literarum ab anno 1476. usque ad annum 1480. (102). Huic addendus *Ægidius Matthęi de Cęsena*, quem eximium Iuris Doctorem vocat Alexander Tartagnus [103]. Necnon *Franciscus Ubertus* Orator, & Poeta conspicuus: cujus vitam scripsit Nicolaus Masinius II. & de illo alii quoque nostrates (104). Potest pariter enunciari *Benedictus Cęsenas* in eadem facultate poetica laureatus: qui metro lucubravit opus de honore mulierum (105), in quatuor libros divisum, continentes Epistolas 46.

31 Honorificavit & patriam doctrina sua *Carolus Verardus*, primus Archidiaconus Cathedralis Cæsenatensis

[94] *Claramon Histor. Cæsen. lib. 16. f. 745.*
(95) *Paul. Iovius l. tr. illust. in Cæsar. Borgia.*
[96] *Pius 3. die 26. Septembr. 1503. in Archiv. Commun.*
[97] *Claram. loc. cit. f. 749.*
(98) *Chronic. M S. Cæsen. fol. 69.*
(99) *Brev. Iul. 2. an. 1563. in Archiv. Communit.*
(100) *Raynald. ann. 1503. nu. 20.*
[101] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16 f. 746.*
[102] *Gio. Nicolò Pasqual. Alidosi Dott forest. che lesser in Bologn. pag. 7.*
(103) *Alex. Tartagn lib. 1. Consil. 18. f. 27.*
(104) *Manzon. Chronolog. Cæsen fol. 137*
(105) *Idem loc. cit. fol. 4. 130.*

sis (106): ubi apud Altare Præpositurae adest ejus effigies marmore insculpta: Officio Cubicularii apud quatuor summos Pontifices functus est, munus itidem exercens dictandi literas Apostolicas: obiitq; sexagenarius anno 1500. ut ex ejus epitaphio in Ecclesia S. Augustini Romæ propè sacristiam (107). Et cum sua ætate Ferdinandus V. Catholicus Rex Aragoniæ expugnasset Granatam, totaliterque pepulisset Mauros ex Hispania (108); Carolus composuit Actionem tragicam ejusdem eventus titulo *Historię Betice*: inscriptam, sive dicatam Raphaeli Cardinali Riario (109). Scripsit & epistolam gratulatoriam Jacobo Cardinali Papiensi [110]. Et è converso legitur inter opuscula metrica Lidii Catti Ravennatis Endecasyllabè latinum, atque Cantitatio Italica in ipsius Caroli laudem (111).

32 Insupèr & *Darii Tyberti Comitis* Cæsenatis magnum fuit nomen in doctrina: undè à Guidobaldo I. Duce Urbini meruit laurea decorari. Scripsit Epitomen Vitarum Plutarchi (112): quam ex suo castro montis Guidonis anno 1492. dicavit Julio Cæsari Cantelmo, tunc Cæsenæ Gubernatori. Scripsit & Glossam interlinearem in Psalmos David. Nec non Poesim de legitimo Amore (113). Istam cum ab eo dono recepisset Antonius Codrus Urceus, donatori rescripsit, innuens nonnulla in eadem notata (114). Verum excitato gravi tumultu apud Cæsenam inter factionarios hinc inde Tybertos, & Martinellios; hi *Darium octogenarium, virum natalibus, rebus gestis, libris scriptis, & editis, illustrem, ex domo figuli, in quam confugerat; ibique sè absconderat, extractum, feri ultores paulatim conciderunt: interim monentes, ut se diabolo commendaret* (115).

33 Nec meliorem sortitus est exitum Consanguineus ejus *Antiochus Tybertus*, eximius & ille synchroni hujus temporis Philosophus, & Astrologus, ac omnigenæ literaturæ peritus: de quo plura Paulus Jovius [116], & alii (117). Composuit libros tres de Chiromantia, quos inscripsit Octaviano Ubaldino Comiti Mercatellę (118).

[106] *Bernard Manzon Chronol. Cęsen fol.* 104. & 146.

(107) *Epitaph Card. Verard. in Eccl. S. Augustin. Romæ.*

[108] *Raynald ann.* 1492. n. 1.

(109) *Baltas. Vuerlinus in addition.* 2. *ad Trithem.*

(110) *Card. Papiens epistol.* 670

[111] *Lidius Cattus Opuscul. C.* 11. & O. 1.

(112) *Gerard. Io. Vassius de Latin Historic lib.* 5. *cap.* 11.

(113) *Manzon Chronol. Cęsen. fol.* 135.

[114] *Codrus Sylvar. lib.* 2. *fol.* 272.

(115) *Scip. Claram. Hist. Cæsen. lib.* 16. *fol.* 751.

[116] *Iovius Vir. illust. in Antioc. Tybert*

[117] *Marc. Guazz. Chron. fol.* 343.

[118] *Baltassar. Vuerlinus in Addit.* 2. *ad Tritem.*

At eorum lectio interdicta est (119). Fuit amicus Hieronymi Cardani, celebris Philosophi, ac Medici, qui eum in suis operibus memorat. Vide plura de illo in nostris Diatribis (120). Inter Cæsenates quoque hujus ætatis doctrina præclaros recensendi sunt, qui sequuntur. *Blasius Romaninus* eximius Philosophus, ac Medicus Innocentii Papæ VII., *Galvanius Romaninus*, qui pariter eximius Physicus, & Medicus extitit Regis Neapolis (121). Nec non *Hieronymus Gratianus*, qui magna doctrinæ fama medicinam exercens Venetiis; requisitus à Bajazetto II. magno Turcarum Sultano, Constantinopolim petiit, ut apud eundem Principem officio Medici fungeretur (122).

34 Quod si Cæsenates quoque requiris per hoc tempus conspicuis dignitatibus civilibus insignitos, habes *Polydorum Tybertum* auctum honore Senatoris almæ Urbis opera Ducis Valentini (123). Quam verò splendida sit hæc dignitas, & quanta ejusdem sit potestas neminem latet (124). Scire satis est, quod sæculis ante actis, etiam Reges, & magni Principes illam libenter possidendam aggrediebantur (125). Et tamen Cæsena vidit suos cives eadem ornatos, non semel, sed bis, & ter, & quater. Nàm etiam *Carolus de Lapis* vir doctissimus, Romæ fuit Senator anno 1411. (126). Ac itidem *Bartholomeus Pixolinius* Juris consultus, & Orator politissimus, eodem gradu potitus est (127). Novissimèque, ut innuimus, idem Polydorus Tibertus; & aliquantò antecedenter Malatesta de Malatestis.

35 Armis quoquè strenuos athletas Cæsena hoc eodem tempore produxit. Inter quos excelluit peculiariter *Joannes Franciscus de Balneo*, generalis moderator exercitus Pontificii. Sixtus PP. IV. die 12. Maii 1476. de illo ità scripsit Ioanni Episcopo, & Gubernatori Cæsenæ: *Locutus est nobiscum dil. fil. Ioannes Franciscus de Balneo noster armorum ductor, de certa munitione murorum, quę sibi in civitate nostra Cęsenę opportuna videtur. Quare volumus ut una cum eo rem diligenter examines, & intelligas, operique faciendo, si ita videbitur, principium capias* [128].

36 In

(119) *Index. Lib. prohibit. Verb. Antiochus Tybertus.*
(120) *Brasch. Diatrib. Cæsen. 1. Diatr. 30.*
[121] *Manzon Chronol. Cæsen fol. 138.*
[122] *Idem Manzon. fol. 216*
[123] *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16 fol 748.*
(124) *Vid. Card. de Luca Relat. Roman. Cur. cap. 37.*
[125] *Fenzon. in proœm. ad Statut. Urbis.*
(126) *Manzon loc. cit. f. 145.*
[127] *Idem Manzon. f. 130*
[128] *Brev. Sixt. 4 ap DD ac I cuturellis Cæsen.*

36 In Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum apud Cæsenam, est sepulchrum inclytæ hujusmodi familiæ: ubi & omnibus legenda patet antiqua memoria strenuissimi hujus Ducis, ita loquens:

Joanni Francisco de Balneo Mutiliani Comiti ex Ottonis Imperatoris serenissima stirpe nato, Armelina Malatesta ejus conjux, Filiique pientissimi posuere. Anno salutis MCCCC. L. XXXX. Vixit annis LXVIII. Obiit XII. die Julii. Virtus socia vitę fuit, Gloria mortis comes.

Ex ipsamet Armelina uxore (quæ detulit in ejus domum Comitatum Glageolanum) Ioannes Franciscus tres filios suscepit Guidoguerram, Nicolaum, Rogerium, ut inquit Scipio Claramontis (129): paulò post subdens: Nicolai filius Ioannes Franciscus, nepos Fabricius, pronepotes Ioannes Franciscus, & Nicolaus: qui ambo fuerunt Cardinales.

(129) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 724. & 755.*

CA-

CAPUT XXVI.

Res Ecclesiasticæ Cæsenates illius temporis, quod à Paulo II. fluxit usque ad finem Pontificatus Alexandri PP. VI.

SUMMARIUM.

1 *Cardinalis Bessarion ex Gallica legatione rediens Romam, obiit Ravennæ.*
2 *Reliquit suam Bibliothecam Venetis: & aliquot ingentes libros chorales Minoritis Observantibus Cæsenę.*
3 *Similes alios libros chorales magnificentissimos habet Cathedralis ejusdem Civitatis.*
4 *Cęnobium S. Marię de Monte unitum fuit Congregationi Cassinensi, & alia de illo.*
5 *Joannes Venturellius fit Episcopus Cesenę. Ejus patria, educatio, & alia plura de ipso.*
6 *In quo Sixtus IV. cum pastorali officio copulavit quoque regimen temporale.*
7 *Plures jussiones Pontificię illi commissę, huc illuc, & cum diversis obeundę.*
8 *Papa jubet, ut reficiat Bursam Official. Collectar Succedit ei in officio Gubernatoris Episcopus Reatinus.*
9 *Joannes idem fit Commissarius Apostolicus: & quędam graves operationes eidem iniunctę.*
10 *Fecit porticum, quę ducit ex Episcopio ad Cathedralem. Denique Romę mortuus est anno 1486.*
11 *Fuit usque ad obitum Castellanus arcis Cęsenę. Illius ex fratre propagata est familia de Venturellis.*
12 *Petrus Mentius fit Episcopus Cęsenę: erat Auditor Camerę Apostolicę.*

13 *Le-*

13 *Legatione functus est ad Ferdinandum I. Regem Neapolis, qui Censum feudalem persolvere detrectabat.*
14 *Sub hoc Episcopo Mons pietatis fuit institutus Cęsenę, approbante Innocentio PP. VIII.*
15 *Quanta solemnitate inchoarentur hi Montes? In domo familiæ de Verardis exercetur Cæsenæ.*
16 *Origo Montium pietatis. Mons iste Cæsenę unus est ex antiquioribus, qui fuerint instituti.*
17 *Leo PP. X. mulctam indictam transgressoribus pragmaticę vestium applicavit dicto Monti &c.*
18 *Hoc Episcopo sedente subsistentiam accepit Archidiaconatus. Item Sodalitas sanctissimi Sacramenti Cathedralis.*
19 *Agitur de Ecclesia, & Cęnobio S. Crucis Abbatiali Canonicorum Regularium Lateranensium.*
20 *Abbatialis Ecclesia S. Laurentii propè flumen, irreparabilis facta, diruitur. Ac plura de illa.*
21 *Verba Lubini de ipsamet Abbatia: quę unita fuerat Mensę Episcopali ejusdem urbis.*
22 *Jubileum concessum Cæsenatibus ab Alexandro PP. VI. Qui & illis indulsit, ut beneficia conferrentur indigenis*
23 *Petrus Episcopus obstitit principatui Cæsaris Valentini, multa idcircò mala perpessus.*
24 *Jacobus Episcopus Ariminensis, & Jo. Baptista Bertucciolus Episcopus Fani, ambo Cæsenates.*
25 *Erectio Abbatiæ sæcularis S. Leonardi in Cathedrali Cæsenæ.*

EO anno, quo Civitas Cæsenæ regressa est ad immediatum dominium Sedis Apostolicæ, nempè 1465. sedente Paulo PP. II. præerat adhùc Episcopatui Cæsenati Antonius Malatesta: cujus regimen pervenit usque ad annum 1475. (1). Tempore autem hujus Antistitis contigit Ravennæ infaustus obitus Cardinalis Bessarionis Nicæni, ex Gallia redeuntis, quò missus fuerat, ut ibidem fungeretur Apostolica Legatione (2). Vir erat inclytus: *utraque lingua Græca, & Latina peritissimus &c. & sicut erat à* mul-

(1) *Vide supr. c. 24. n. 22*
(2) *Phrancès. l. 3. c. 30.*

multis annis senatus Cardinalium antiquitate prin'eps: ità & procul dubio sapientissimus omnium (3). Pluribus aliis præconiis extollit laudes illius Cardinalis Papiensis (4). Et sanè interiit gravis quidem diarrheæ profluvio, sed non sine ingenti animi consternatione, propter improsperum successum ejusdemmet Legationis (5).

2 Permultis ergò titulis eximius, idem Cardinalis Bessarion, qui moriens locupletissimam suam Bibliothecam triginta millibus aureorum comparatam, reliquit Reipublicæ Venetæ (6), liberali quoque dono, ut fertur, contulit Conventui Fratrum Minorum Observantium Cæsenæ integram classem ingentium librorum Choralium, adhùc extantium. Amplissimi, & nobilissimi sunt, ex hedina pelle compacti, elegantissimè scripti, & notis, atque cantilenis Gregoriani cantus methodo rectissima concinnati: quos venustate intus, & foris plenos, gratum est oculis intueri: tantundemque jucundum, audire dulcissimum concentum Ecclesiasticæ melodiæ, qua & mulcent aures, & animum rapiunt. Nec sanè in hac rerum specie quidquam valet magnificentius, pulchrius, atque suavius reperiri.

3 Alios hisce similes libros, Chori usui deputatos continet itidem Cathedralis Cæsenæ, magnificos, & decoros, ex charta hieratica, sive pergamena pelle compositos: exterius auricalcho; interius minio, picturis foliatis, lineis, figuris, & aliis emblematibus venustatis exornatos: qui cum præ magnitudine non valeant usualitèr adhiberi, exponuntur quolibet anno, recurrente festo S. Joannis Baptistæ, in hierophylacio, vulgò *sagrestia* ejusdem Ecclesiæ intuitioni cunctorum: & quot habent inspectores, tot sibi captivant admiratores. Uni & uni ex dictis libris inserta legitur sequens memoria: *Hoc Graduale speciosum R.P. Joannes de Ameria Episcopus Cesenæ, Canonici, & Capitulum ejusdem suis sumptibus ediderunt octo voluminibus, per mè Benedictum Amsterdam de Hollandia. diœc. Trajecten. Innocentio Octavo Pont. Maximo Anno Domini MC*

(3) *Spondan. ann. 1472. n. 7.*
(4) *Iacob Papiens epl 127. 488 &c.*
(5) *Raynald. an 1472. nu. 8. Spondan. loco cit.*
[6] *Iidem Raynald. num 9. & Spondan. n. 3.*

MCCCCLXXXVI. De spectabilibus hisce libris utriusque Chori, sic tenui sua musa modulatus est vetustus Guasconius.

Un altra cosa antica di beltade
Trovo d' imparegiabile ornamento
A questa ricca, e nobile Cittade:
Che ognun' potrà veder con suo contento;
Sì nel gran Duomo pien di santitade,
Come de' Zoccolanti nel Convento.
Et è quell' ineffabile tesoro,
Dei Libri, da cantar di, e notte in Choro (7).

4 Intrà diuturnum quoque periodum pastoralis ministerii, quo functus est apud nos Antonius de Malatestis, monasteriale Cænobium S. Mariæ de Monte prope Cæsenam (quod olim fuisse fertur membrum Congregationis Cluniacensis; deindè induisse naturam Commendæ sæcularis: & de quo nos alibi (8) menitionem fecimus, ubi opportunitas id poposcit); Monasterium, inquam, illud Cæsenæ proximum, à Nicolao PP. V. unitum fuit Congregationi Cassinensi, prout ex libris Taxæ Expeditionum Datariæ liquet (9). Ubi quoque recensetur successivè Leonem PP.X. anno septimo sui Pontificatus eidemmet Monasterio unione canonica coniunxisse parochiales Ecclesias S.Mariæ de Ronta, & S.Martini in flumine.

[7] *Guascon. Diluvio di Cesena* § *Un altra cosa.*

(8) *Vide sup. c. 15. n. 6. 24. & 25.*

[9] *Libr. M.S. Tax Exped. to. 1. tit. Cæsena, &c.*

5 Postquàm autem idem Antonius Malatesta Cæsenæ Antistes ad cęlites evolavit, datus est ei successor *Joannes Venturellius Episcopus LXXXIV.* Qui patriam habuit Ameriam in Umbria: & ibi educatus a teneris annis sub Philippo item Venturellio Episcopo Amerino gentili suo; adolescens posteà Romam adivit, ut in scientiis proficeret. Fuit ibi Auditor Cardinalis Reatini, qui erat Angelus Capranica. Deindè adhæsit Raphaeli Cardinali Riario Sixti PP.IV. ex forore nepoti: cum quo & Pisas adjuvit, ac deinde Florentiam: ubi cum ipso Raphaele aderat tempore conclamatissimæ coniurationis familiæ de Pazzis contra Mediceam. Successivè Joannes ab eodem Pontifice mune-

neratus est Abbatia S.Petri de Lodericio Imolensis Diæcesis: atque Castellania Oppidi Cassiæ (10).

6 Denique Sixtus illum præfecit nostro Episcopatui præfato anno 1475. [11]. Et quia doctrina pollebat: ac nedùm in rebus ecclesiasticis apprimè versatus erat; verùm etiam ad sæcularia peragenda plurimum idoneus: (dicitur enim à Pontifice vir *maturitate consilii*, *morum elegantia*, *ac fidelitate præstans*); ideò Sixtus cum episcopali munere cumulavit in eo quoque officium *Gubernatoris generalis civitatis Cæsenæ*, *& aliarum Civitatum*, *Terrarum*, *Castrorum*, *& locorum provinciæ Romandiolę*, *usque ad flumen Foliæ*, prout exprimunt literæ Pontificiæ (12). Itaque sub titulo Gubernatoris Cæsenæ, nomine S. Sedis, magnam partem nostræ provinciæ rexit in temporalibus.

7 Quantum de illius industria confideret idem Pontifex, liquet ex variis muniis, & operationibus ipsiusmet Joannis curæ, atque solertiæ commissis. Die 28. Septembris 1476. mandat, ut Papæ nomine causam cognoscat discordiæ, vertentis inter Fridericum ducem Vrbini, & Pinum Ordelaphum dominum Forolivii, proptèr castrum Vallis Nucis, spectans ad Hectorem Manfredum affinem dicti Vrbinatis, & invasum ab ipsomet Pino. Die 11. Aprilis 1477. scribit ei, ut studeat componere controversiam, natam inter Robertum Malatestam dominantem Arimino, & Antonellum de Forolivio, occasione villæ Donigalliæ. Item die 24. Novembris 1477. iniungit illi, ut se Faventiam conferat, & ibi componere satagat quædam gravia dissidia, quæ pacem Italiæ poterant perturbare. Ac si renuentes inveniat, imploret auxilium Friderici Ducis Urbini S. R. E. Confalonerii, qui provideat, prout fuerit opus (13).

8 Et quoad res Cæsenates hanc eis dedit jussionem: *Intelleximus Bursam officialium Custodiæ, & Bullectarum istius civitatis nostrę Cæsenę absolutum, & denuo refici oportere. Quare volentes providere, ut id officium per personas idoneas administretur; tenore præsentium fraternitati tuę pre-*

[10] *Brevia Pont. & aliæ Scriptur apud DD de Ventu rellis Cæsenæ.*

(11) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. f. 40 & 190.*

(12) *Apud Claram histor. Cæsen. lib. 16. f. 736. & 764.*

(13) *Brevia Sixti 4. apud DD. de Ventu-rellis Cæsenæ.*

precipimus, ut supradictorum officialium Bursam per te ipsum reficias, & in ea eos cives de principalioribus ponas, qui tibi idonei videbuntur (14). Perseveravit Joannes in officio Gubernatoris usque ad annum 1480 quo ei suffectus fuit Dominicus Luthanus Episcopus Reatinus, antea Canonicus Basilicæ Liberianæ in alma Vrbe, Abbas S. Euty chii apud Nursiam, Præpositus S. Cæciliæ de Reate, Gubernatorque Vmbriæ, atque Perusii (15). Verum ipse Luthanus Cæsenæ suum diem clausit extremum eodem anno 1480. Et ejus corpus ab hac urbe translatum fuit Reatem, atque sepultum in sua Cathedrali Ecclesia: ubi cernitur ejus imago cum subapposito epitaphio expresse commemorante regimen civitatis Cæsenæ.

(14) *Brev. Six. 4. diei 10. Junii 1477. ap. DD. de Venturell. Cæsen.*

(15) *Vghel. & Lucen. Ital sac. in Episc. Reatin. n. 52.*

9 Ex tunc idem Joannes adeptus est munus Commissarii Apostolici pro aliis gravibus executionibus obeundis. Et ei tamquam tali, Sixtus IV. die 30. Decembris 1400. literas dedit injunctivas, ut celeritèr exigeret unum ducatum pro quolibet foculari erogandum in expeditione termille peditum contrà Turcas, qui occupaverant Hydruntum. Et hanc subventionem exigeret etiam ab incolis Bononiæ, atque illius districtus (16). Velut quoque Commissarius Apostolicus die 17. Decembris 1482. habuit in mandatis ab eodem Pontifice, ut compelleret Episcopum Foroliviensem, ejusque Archidiaconum, Canonicos, & Capitulum, ad solvendum id, quod opus erat pro restauratione Cathedralis Forolivii reparatione indigentis (17).

(16) *Brev. Sixti 4. ap. DD. de Venturel. Cæsen.*

(17) *Brev. Six. 4. ap. eosd. de Venturellis.*

10 Tamquàm verò Episcopus Cæsenæ, Joannes pluribus beneficiis Ecclesiam suam prosecutus est. Ac inter alia, Porticum illam amplam ędificavit, innixam columnis marmoreis, & ejus insignibus gentiliciis perornatam, quæ ducit ab Episcopio ad Cathedralem. Præfuit Episcopatui Cæsenati usque ad annum 1486. quo Romæ decessit (18). Asservaturq; Breve Innocentii PP. VIII. diei 14. Junii 1485. eidem directum, & continens ista: *Cum tua fraternitas, sicut nobis exponi fecit, desideret ad Urbem negotiorum suorum*

(18) *Manzon Chronol. Cęsen fol. 40.*

rum causa accedere; nos ejus desideriis annuentes, contentamur, tibique concedimus, ut relicto in arce ista nostra Archangelo fratre tuo, qui interim custodiæ illius præsit, ad Urbem ipsam venire liberè possis. Volentes tamen, ut fidejussores per tè dati in eadem remaneant obligatione (19).

(19) *Brev. Innocent. 8. apud DD. de Venturel. Cæsen.*

11 Discernimus hinc, quod Joannes Episcopus, etiam postquam cessaverat esse Gubernator Cæsenæ, ac circumpositę provinciæ; fungebatur officio Castellani, seu custodis Arcis nostræ civitatis: & quidem sub gravi præstita fidejussione: quo in munere antecessorem habuerat B. Episcopum Ferrariæ, ac Sixti IV. nepotem. Discernimus item, quod apud se retinebat Archangelum fratrem suum: & hic propagavit apud Cæsenam nobilem familiam de Venturellis, conspicuam, ac senatoriam, quæ ibidem floret meritis, & divitiis. Prodierunt ex ea viri literis, & armis præclari. Petrusque Venturellius Historiam Cæsenæ scripsit, quam sè præ manibus habuisse testatur Bernardinus Manzonius in sua Chronologia (20).

[20] *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 85. & 219*

12 Joanni Romæ defuncto, substitutus fuit in serie nostrorum Antistitum *Petrus II. Episcopus LXXXV.* Cognomine Mentius, patria Vicentinus, in Romana Curia Prælatus, & Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, electus quinto Idus Maii 1486. (21). Non citò ad residentiam venisse detegitur ex literis Innocentii PP. VIII. in forma Brevis prædicto Arcangelo Venturellio scriptis die 28. Maii 1487. ut iret Romam ad terminum ponendum negotio spoliorum Joannis Episcopi ejus fratris, pertinentium ad Petrum de Vicentia, cui Episcopatum contulerat: cum eum inquit, *simus pro nonnullis nostris, & Apostolicæ Sedis negotiis in legationem celeritèr missuri: nec queat prius hoc iter arripere, quam de spoliis plane discussum fuerit* (22).

(21) *Claramon. histor. Cæsen. lib. 16. fol. 730.*

(22) *Brev. Innocent. 8. apud DD. de Venturellis Cæsen.*

13 Quænam fuerit hæc legatio, tradit Panuinius, vocans Petrum, virum audacissimum, & addens, quod missus à Pontifice unà cum Jacobo Volaterrano ad Ferdinandum I. Regem Neapolis pro repetendis juribus Apostolicæ Se-

Sedis, rebus infectis Romam redivit [23]. Nec mirum est ita rem contigisse. Nàm ille Rex pluribus modis infestum sesè reddidit Summo Pontifici, ac inter cætera censum annuum Ecclesiæ debitum persolvere detrectabat; quibus de rebus ab Innocentio PP. VIII. seriò per literas monitus fuit, atque per nuntios (24). Verùm præter cavillationes, & ludicras illusiones, nihil reddidit (25). Rebusque ita se habentibus, non potuit Petrus aliter, quam improsperè legatione sibi commissa perfungi. Undè opus fuit, ut Innocentius procederet contrà ipsum Regem apertis viribus (26).

14 Petro Mentio fungente munere Antistitis apud Cęsenam, institutus fuit *Mons Pietatis*, ad subsidium pauperibus in eorum necessitatibus exhibendum. Nàm anno 1487. die 22. Octobris proponente, ac insistente Bernardino Sabello Protonotario Apostolico, & Gubernatore Cæsenæ, data fuit expeditio huic laudabili operi: quod quidèm jam fuerat pridem deliberatum, sed nondùm firmata forma, pro illius oportuno regimine observanda. Itaque in generali consilio civitatis propositis mediis comparandæ pecuniæ, ad hoc pium opus utilitèr exercendum: nec non capitulis, legibus, & norma directiva ipsius Montis, hæc omnia plenis votis approbata fuerunt (27). Addente his omnibus robur Innocentio PP. VIII. suis literis Apostolicis, datis die 10. Maii 1488. (28).

15 Quanta solemnitate ab initio inchoarentur hi Montes, habes ex Annalibus Mutinensibus, ubi legitur: *Anno* 1494. *Frater Bartholomęus Ordinis Minorum inchoavit Montem Pietatis Mutinæ die* 23. *Februarii: celebrata fuit Missa ab Episcopo, & illa die facta fuit prima offerta, & die* 19. *Maii dictus Mons cæpit præstare in domo D. Cæsaris de Valentinis* (29): Locum, in quo Mons Pietatis exercetur Cæsenæ, ferunt fuisse domum familiæ de Verardis consularis, & patriciæ: cujus postremus ipsam domum, & bona quædam ad commodum, & profectum hujus pii operis munificè delegaverit. Quamvis autem idem

[23] *Panvin post Platin. in vit. Innocen. 8. fol. 267.*

(24) *Bzovius ann. 1489*

[25] *Spondan. an. 1485. n. 4.*

(26) *Raynold. an. 1485. à numero 38.*

[27] *Ex Libris Refor. Concil. gener. Cæsen.*

(28) *Sunt in Regularia Communitatis Cæsenæ.*

(29) *Annal. veter. Mutinens. ann. 1494. ap. Murator. Rer. Italic. to. 11*

idem Pietatis Mons fuerit constitutus anno 1487. attamèn susceptio pignorum, & pecuniæ mutuatio, initium non habuit, nisi die 4. Februarii 1491.

16 Montes Pietatis originem suam repetunt à sacris præconibus divini verbi: qui compatientes inopiæ pauperum, suis concionibus exhortabantur divites, ut pecunias generosè conferrent ad hujusmodi christianæ compassionis exercitium misericorditèr excitandum, & perpetuò propagandum (30). Cumque de materia ista scribens Cardinalis Cajetanus anno 1498. innuat, quod sua ætate jam invaluerant per Italiam pluribus in locis Montes Pietatis (31), ritè infertur, Montem istum Cęsenatem, esse unum ex antiquioribus, nedùm provinciæ Romandiolæ, verùm etiam totius Italię.

[30] *Cherubin. Schol. 2. ad Const. 11. Leon. PP. X.*

[31] *Cajet. Opusc. tom. 2. tr. 6. cap. 1. n. 1.*

17 Charitas, & justitia Montium eorundem commendata fuit, & approbata in Concilio generali Lateranensi V. (32) promulgante ibidem Leone PP. X. Constitutionem, quę incipit, *Inter multiplices* confirmativam ipsorum Montium (33). Isque idem Pontifex suis literis ad Cæsenates datis [quibus mandavit observari Pragmaticam reformatricem luxus in muliebribus indumentis] indixit quoque transgressoribus mulctam nostro Pietatis Monti applicandam [34]. Et deindè Hadrianus Papa VI. aliis literis Apostolicis Indulgentiam concessit visitantibus, & aliquo pecuniario subsidio adjuvantibus pluriès memoratum Pietatis Montem Cæsenatem (35).

(32) *Concil. Later. 5 sess. 10*

[33] *Leo PP. X. Const. 11.*

(34) *Idem Leo ann. 1514. est in Arch. Communit.*

[35] *Hadrian. ann 6. die 25. Jun. ann. 1524. est in Archiv. Communit.*

18 Quo paritèr tempore Petrus Mentius Episcopatui nostro præsidebat, forma, & subsistentia data fuit Archidiaconatui secundæ dignitati Cathedralis: quæ collata fuit Carolo Verardo superius nominato (36). Isque fortè, vel proprio patrimonio ipsam dignitatem ex integro fundavit: vel præexistentem illius titulum, sed obsoletum propter deficientiam redituum, dote superaddita reparavit. Nàm in ejusdem Caroli epitaphio sepulchrali dicitur, quod fuit Archidiaconalis in patria dignitatis auctor (37). Idem præterea Petrus Episcopus anno 1493. in Ca-

(36) *Vid. supra cap. 25. nu. 30.*

[37] *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 104.*

Cathedrali erexit Archiconfraternitatem sanctissimi Sacramenti (quæ prima est, & antiquior omnibus aliis Confraternitatibus, quibus Cæsenæ civitas, & diæcesis abundat). Porrigentibusque illi manus adjutrices Hadrianus PP. VI. concessit sacras Indulgentias, usque ab anno 1523. (38).

19 Imposuit & Petrus Episcopus primum lapidem in eleganti Ecclesia Abbatiali S. Crucis, propè Cæsenam sita, & adhærente nobili Cænobio Canonicorum Regularium Lateranensium, ibi ab eisdem erecto: cum anteà degerent in civitate apud sacram ędem Prioralem, dictam S. Mariæ de Consolatione, prout supra notatum fuit (39). In qua nova Ecclesia inceperunt missæ celebrari die 25. Februarii 1495. (40). Hęc postmodùm fuit erecta in Abbatiã à S. Pio PP. V. anno 1566. (41). De illa ità scribit Augustinus Lubin: Cæsenæ *Abbatia, sive Collegium Abbatiale tituli Sanctę Crucis, à fundatione sub Canonica, & Regula S. Augustini institutum. Erat membrum antiquæ Congregationis Portuensis: & in ejus favorem reperitur privilegium Innocentii II. Papę, de anno 1139. Nunc unita est Congregationi Canonicorum Regularium, Lateranensium nuncupatorum, ut asserit Gabriel Penottus Histor. Tripartitæ lib.2. cap.21. Nunc extra portam est civitatis, olim Prioratus in civitate, sub eodem S. Crucis titulo, qui adhuc perseverat: & cujus aliqua bona fuerunt huic novo constructo Monasterio attributa* (42).

20 Cum itidèm anno 1490. Sapis flumen ingenti aquarum redundantia diruisset partem vetustissimæ Abbatialis Ecclesiæ S. Laurentii, amplæ structuræ, ac egregię symmetriæ; Petrus Episcopus reliquam partem superstitem jam irreparabilem, fecit solo prorsus æquari (43). Ad cujus memoriam qualitercumque servandam; ferunt parum inde fuisse tunc erectam cellulam quamdam, sitam in hortis Episcopalis mensæ, contiguis eidem flumini, & S. Laurentii nuncupatam. Ipsam Abbatialem Ecclesiam olim pertinuisse ad Monachos Camaldulenses, innuit Manzonius

(38) *Brev. Hadrian. 67. in Archiv. Communit.*

(39) *Vide sup. cap. 24. n. 25.*

[40] *Chron. M. S. Cæsen. fol. 64.*

[41] *Gabr. Pennot. Histor. Tripart. lib. 3. cap. 34. f. 703.*

(42) *Iubin. Abbatiarum Ital. lit. C. fol. 69. num. 11.*

(43) *Chron. M. S. Cæsen. fol. 236.*

nius noster, & alii (44). Quos inter Scipio Claramontius memorat, Christophorum de Cesena Abbatem S. Laurentii, tantæ virum existimationi fuisse, ut in eo Canonici Cæsenates anno 1313. compromiserint electionem novi Episcopi (45). Nos hujusmodi Ecclesiæ, illiusque cœnobii non semel suprà meminimus (46).

21 Audiamus nunc de illa mox memoratum Lubinum: Cæsenæ *Abbatia tituli S. Laurentii, & S. Zenonis, de qua loquitur S. Gregorius lib. 2. epistol. Cui circa annum 590. Natalis Cæsenæ Episcopus præfecit Abbatem quemdam Fortunatum. Sita erat in fundo Calaneo, & annis 1042. & 1175. unita fuit Ecclesiæ Cathedrali Cæsenatensi, ut refert Ughellius tom. 3. pag. 458. & 461.: Hanc unionem ad annum 1455. assignat, & Ordinis esse S. Benedicti, asserit Codex taxarum Cameræ Apostolicæ. De hac unione loquitur Ughellius tom. 3. pag. 658.* (47). Nostra ætate antequam Cardinalis Vincentius Maria Ursinus Episcopus Cæsenæ (posteà Benedictus PP. XIII.) ornatu moderno redigeret ad statum præsentem Ecclesiam Cathedralem; apud illius altare majus aderant duæ magnæ statuæ ligneæ hinc, & inde: scilicet à dextris una S. Joannis Baptistæ, cui Ecclesia dicata est: & à sinistris alia S. Laurentii. Hancque ferebatur ibi fuisse constitutam ratione unionis mox fatæ Abbatiæ Episcopatui Cæsenati.

22 Regente ipsum Episcopatum Petro Mentio, Alexander PP. VI. qui concesserat Cæsenam notho suo Cesari Borgiæ Duci Valentino; largitus est quoque Cæsenatibus, ac universis districtualibus, & pertinentibus ad ipsius civitatis dependentiam territorialem, diæcesanam, atque gubernium, Indulgentiam Plenariam ad formam Jubilæi anno 1500. (48). Contulit & indultum, ut cuncta beneficia Ecclesiastica nostræ diæcesis non nisi Clericis ex ipsa civitate, illiusve diæcesi oriundis, conferri possent: nominandis tamen ab ipsomet Cæsare, illiusve Locumtenente apud Cæsenam, & ab Antianis ipsiusmet Civitatis (49). Gratum equidem, speciosum, ac utile privilegium; sed quod

[44] *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. f. 96 & 112. Claram. l. 12. fol. 418*

(45) *Claram. Histor. Cæsen. l. b. 10 f. 477.*

[46] *Vide supr. c. 15. n. 19. & 20.*

(47) *Lubin. Abbatiar. Ital lit. C. f. 63. n. 1.*

(48) *Breve Alex. 6 in Archiv. Commun.*

(49) *Breve Alex. 6. sub die 3. Septembr. 1500. in Archiv. Commun:nis.*

quod tam brevi tempore constitit, quam coarctato idem Princeps in dominio urbis nostræ permansit (50).

(50) *Vid. cap. præcedent. numer.* 28.

23 Quod Petrus præfatus Episcopus, conscius naturæ tyrannicæ, pessimorumque morum ipsius Cesaris, pro posse obstiterit, ne is principatum Cæsenæ consequeretur; valdè verisimile est, & hanc fortassis ob causam *fuit parum gratus Alexandro Pontifici: multas est perturbationes passus: peste demum obiit Romæ, ubi sepulchrum eius in D. Mariæ Aracæli magnificum visitur* (51). In antiquo manuscripto legitur, Petrum fuisse carceri mancipatum à Borgia, tandemque veneno sublatum anno 1504. ac ejus funeri adstitisse perplures Cardinales, atque universos ferè Prælatos Romanæ Curiæ. Utcumque sit de causa, & forma illius obitus; unum est, quod Romæ vitam cum morte commutavit, humatus in Ara-Cæli [52], ubi adhùc apud januam lateralem versus Capitolium, extat marmoreum ejus monumentum, præseferens hanc magnificam Inscriptionem.

(51) *Clarem. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 750.*

[52] *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 41.*

D O M
Petro de Vincentia Pont. Cesen. Cameræ Apo st. Auditori
Iudicum Doctiss. & Integerr. Cujus divina at q eximia
Virtus, quae nullas sibi Inimicitias pro publica Salute
Vitavit, diu obpressa, cum tandem emersisset, bonis
Omnibus: atq. universae Civitati indigniss. eripitur.
VIX. AN. L. M. VII. D. II.
Margarita Soror Infelicifs. Pos. M D IIII

24 Quo tempore hic Præsul præfuit Ecclesiæ nostræ, duo Cives Cæsenates Episcopali dignitate fulserunt: videlicet *Jacobus de Cesena* Episcopus Ariminensis (53): qui cujusnam familiæ fuerit, ignoratur: obiit vero anno 1495. (54). *Et Joannes Baptista Bartucciolus*: qui, teste Ughellio, cum esset *Monachus, ac Prior S. Mariæ de Monte* (apud Cæsenam) *Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, ab Alexandro VI. Papa Episcopus Fani creatus est, die* 11. *Septembris anno* 1499. *Sub Leone deinde X. Latera-*

[53] *Idem loc. cit. f. 206.*

(54) *Chron. M. S. Cæsen. fol. 151.*

nensi Concilio interfuit. In sua Cathedrali tumulatus est anno 1518. (55). Alibi legitur obiisse anno 1521. Et quod quandoque Cæsenæ permanens Pontificalia exercebat loco Fatii Santorii Cardinalis, & Episcopi Cæsenatis [56].

(55) *Vghel. Ital sacr to. 1. in Episc. Favens.*

(56) *Manzon. ubi supr. f. 83.*

25 Ad hæc tempora pertinet fundatio pinguis Abbatiæ sæcularis, sive Beneficii simplicis Sancti Leonardi, erecti ad altare ipsiusmet nominis, in Cathedrali Cæsenæ situm. Camillus Verardus propria bona patrimonialia in ejus dotem assignavit anno 1504. Et præter onus quotidiani Missæ sacrificii, statuit possessorem debere quotannis ministrare stipendium Advocato, qui gratis causas pauperum tueatur: nec non bina subsidia dotalia totidem honestis puellis inopia laborantibus: quarum, & ipsiusmet Advocati electio pertineat ad generale Consilium civitatis Cæsenæ. Vult item, quod ipsum beneficium conferatur ad præsentationem patroni ecclesiastici, à se designati: & quod consecuturus illud sit Presbyter Cæsenas (57).

(57) *Statut. Cæsen. f. 378.*



CAPUT XXVII.

De concernentibus Civitatem Cæsenæ, à tempore *Julii* Papæ II. usque ad *Clementem* Papam VIII.

SUMMARIUM.

1 *CÆsenam Borgia restituit Julio PP. II. Qui civibus instantibus cavit, ne amplius ulli detur in feudum.*
2 *PP. laudibus afficit civitatem. Consilium Optimatum redintegrat, & plura Cęsenatibus impertit indulta.*
3 *Lues Cæsenam inficit. Hostilitates inter Guelphos, & Ghibelinos. Quas Julius compescere curat.*
4 *Roma tendens Bononiam Papa, per octo dies moratus est Cæsenę, ubi exercitum lustravit. Qua pompa exceptus?*
5 *Cardinalis Cornetanus refellitur, blaterans, culices apud Cęsenam fuisse infestos Julii sequacibus.*
6 *Melius hoc attribuisset vino Cæsenati, à sè intemperantèr potato. Vel fortè id contigit in Portu Cæsenatico.*
7 *Ubi æstate solent culices aliquando vagari; Scelera Cornetani eum reddunt suspectum.*
8 *Antequàm Papa discederet Cæsena, pepercit Factiosis utriusque partis, modò ad pacem redirent.*
9 *Ex prælio Ravennate Cæsenam se recepit Antonius de Leva. Nec non Commendator de Medicis.*
10 *Sanseverinus Pseudo legatus Conciliabuli Pisani. Cæsena illi paret invita, mox jugum excutit.*
11 *Cæsenates integrari curant suam Universitatem. Massinius invitat Codrum ad publicè docendum in ea.*
12 *Varii Lectores docentes ibidem scientias, & quas. Tria Collegia Doctoralia. Academia Offuscatorum.*

13 *Fa-*

13 *Favores facti Cęsenatibus à Leone PP. X. Mandat aboleri dissensiones factiosas: alioquin utetur vi.*
14 *Similes favores facti ab Hadriano PP. VI. circa bona emphiteutica, beneficia, sal, & alias res.*
15 *Fit recordatio Merlini Cocaii, non nihil de rebus Cęsenatibus cantitantis.*
16 *Paulus PP. III. indulsit Cęsenatibus, ut possent eorum urbis circuitum dilatare.*
17 *Verùm talis dilatatio ultimum non habuit effectum. Quamnam ob causam incertum est.*
18 *Erat Cęsenę cœtus, dictus* Octoginta Pacificorum, *institutus ad homicidia compescenda.*
19 *Aderant & Hebræi permanentes ibidem, cum facultate adhuc augendi eorum numerum.*
20 *An Judæi semper prosint publicę utilitati ad fovendum commercium, & mercimonia?*
21 *Nunc Cęsenæ amplius non existunt. Nec ibi quidquam possident. Ferè ubique sunt profugi.*
22 *Bonum est nihilominus illos benignè complecti, ut vel ipsi, vel qui ex eis natalia duxerint, convertantur.*
23 *Erectio decori Fontis, qui aquas effudit in platea magna civitatis.*
24 *Quomodo, quando, quibus suasoribus, & cooperatoribus idem Fons fuerit excitatus.*
25 *Cęsenates, qui per hęc tempora scripserunt de rebus* Theologicis, *&* Asceticis.
26 *Alii florentes doctrina* Legali, *nec non* Oratoria, Poesi; Grammatica &c.
27 Philosophia *quoque, ac* Medicina *nonnulli conspicui enumerantur.*
28 *Eximiè claruit doctrina* P. Hieronymus Dandinus *Societatis Jesu, cujus opera innuuntur.*
29 Blasius de Cæsena *primarius Cæremonista Pontificius, & varia illius opera.*
30 *Controversia illius cum Michaele Angelo Bonarota propter quasdam picturas: & injuria ob id recepta.*

31 *Agi-*

31 *Agitur de familia Malatesta equestri, quæ aliquanto tempore Cęsenę viguit.*

32 Leonidus Malatesta *strenuus Dux militarium copiarum: ejusque funereum epitaphium.*

23 Joannes Franciscus II. de Balneo *excelluit in rebus bellicis. Horatio Cocliti dignus assimilari.*

34 Jacobus *quoque* Masinus *bellator insignis extitit.* Julius Camillus Tuscus *eques Hierosolymitanus.*

35 *Recensentur alii ęquites Hierosolymitani Cęsenates, quorum habetur memoria.*

REvocata Cæsena per Julium Papam II. ad immediatam ditionem Sedis Apostolicæ, Cæsar Borgia illius possessionem volens nolens, tandem dimisit die 2. Decembris 1504. (1) populo præ lætitia ingenti exultante. Verùm Præfectus arcis hanc retinuit pertinacitèr pro ipso Borgia usque ad diem 13. sequentis Aprilis: affligens interim civitatem bombardis. Quarum & ictibus quassavit magnum palatium plateæ supereminens, à Cardinali Ægidio Carilla dudùm anteà ædificatum (2). Cessa itaque demum fuit ipsamet quoque arx Papæ ministris. Pepigerat enim Julius, ex castro S. Angeli Romę sè non dimissurum Borgiam, nisi Cæsena Sedi Apostolicæ redderetur (3). Tunc Cæsenates Papam rogarunt, ut perpetua sanctione caveret retentionem Civitatis sub suo dominio immediato: ita ut nulli amplius feudali, aut vicariali titulo traderetur. Quod & ob eorum *inconcussę fidei constantiam, & sincerę devotionis affectum* ergà Romanam Ecclesiam Julius constituit literis Apostolicis, à se, atque à Cardinalibus, propria manu subscriptis (4).

2 Pluribus item aliis literis diverso tempore scriptis, consuluit honori, profectui, & commoditati ejusmet civitatis: quibus illam vocavit nunc *fidelissimam civitatem*: nunc *civitatem de Ecclesia benemeritam* (5). Paritèr Consilium Optimatum à Borgia sublatum, redintegravit: sic tamen, ut unus tantum ex qualibet familia Decurionali huic

[1] *Vide supra cap. 25. n. 28.*

(2) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 749. & 740.*

(3) *Raynald. an. 1504. n. 9.*

(4) *Claramont loc. cit. f. 750. & 768.*

(5) *Brevia Julii 2. an. 1503. & 1511. in Archiv. Communit.*

(6) Idem 8. Junii 1506. in dicto Archiv. Communit.
(7) Idem ann. 1505. in eod. Archiv.
[8] Brev. Jul. PP. 2. in Archiv. Communit.
(9) Claramon. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 750.
(10) Breve Jul. 2. in Archiv. Communit.
[11] Eiusdem plura Brevia in eod. Archiv.
(12) Jul. 2. ann. 1511. in Archiv. Communit.
[13] Scip. Claramon. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 572.

huic Ordini adsisceretur [6]. Portas quoque Cæsenæ, quæ sunt sex, à civibus custodiendas esse sancivit (7). Communitati electionem Iudicis civilis, quem vocamus Potestatem, indulsit (8). Adhuc & Portum Cæsenaticum, à Venetis pridem occupatum, jàm verò dimissum (9) civitati nostræ restituit [10]. Cujus itidem Portus restaurationi, nec non murorum castrensium Cæsenæ, ac Palatii Prætorialis, illiusque circuitus, qui dicitur *la Murata*, varios proventus addixit (11). Demùm privilegia Civitatis amplissimè auctoritate Apostolica confirmavit (12).

3 Julio ipso Papa II. sedente, dira lues civitatem nostram infecit [13]. Cui etiam grave præjudicium intulerunt plurimæ familiæ in oppositas factiones divisę. *Guelpham* regentes Tyberti, & Masinii sęvierunt in Martinellios, & Ugolinos, foventes *Ghibelinum*. Et hi viceversa mox atrociter invaluerunt adversus illos: unde innumerę cædes, deprædationes, & scelera. Quæ ut compesceret Pontifex, ac puniret, *misit Episcopum Tiburtinum, qui rigide tam sęva flagitia puniret: Prohibuit quominus ex eadem agnatione plures Senatores essent. Publicis reditibus Cæsenatem Rempublicam in pænam perpetratorum à Factionibus scelerum occisionum, populationum privavit. Tiburtinus Episcopus Factiosorum multos carcere condidit, severæ inquisitioni subiecit demum multos punivit, omnes terruit* (14) Præsul ille Tiburtinus vocabatur Angelus Leoninus (15). Et cum adhuc non satis esset consultum publicæ securitati; *Pontificis jussu multos Civitas suis stipendiis conduxit ad prohibendos factionum insultus, milites* (16).

[14] Idem loc. citat. f. 751.
(15) Ughel & Lucent. Ital. sacr. in Episc. Tiburt. n. 48.
(16) Claram. ubi supr. f. 751

4 Anno 1506. Julius Papa Roma digressus, ut Perusiam, & indè Bononiam proficisceretur, utramque recuperaturus de manibus Tyrannorum (17); Cæsenam venit, ibique per dies octo permansit [18]. Venit, inquam, die 1. Octobris, unà cum 22. Cardinalibus, quem sui exercitus magna quoque pars sequebatur. Obviam eidem iverunt ultrà Rubiconem 40. adolescentes ex ordine Patriciorum Cæsenatum, nobilibus induti vestibus, Pontificem hinc inde

(17) Raynald. an. 1506 n. 19.
(18) Manzon. Chronol. Cæsen. f. 83.

indè ſtipantes, ut confluentiam populi coercerent. Prima nocte quievit in ſuburbano Cænobio S. Crucis Canonicorum Regularium Lateranenſium. Deindè ſequenti mane, per portam, dictam Sanctorum, perque vias civitatis ornatas aulęis, ad forum, adque arcem profectus eſt: ubi & conſtitit uſque ad diem 10. ejuſdem menſis: Exercitumque luſtravit, ac Pontificia benedictione munivit (19).

5 Hadrianus Caſtellanenſis Cardinalis de Corneto, qui deſcripſit Papæ iter 164 verſibus (20) de sè blaterat, ac dè Julio Papa, totaque de ſerie aſſeclarum ejus, hoc modo. Ab Oppido S. Marini ad aliud Sabiniani

Progreſſi meliore via, cælo graviore,
Cęſenam intramus. Culices avertere ſomnos
Omnibus, & variis uultus maculare figuris,
Pompilii, Liviique forum diverter e cogunt (21)

Profectò Papa non fuiſſet commoratus Cæſenæ per octo dies, ſi culices illi ſe reddidiſſent infeſtos. Hæc animalia, vulgò *Zenzale*, quæ vocat Plinius inſecta *ſanguinis avida, & potiſſimum humani*, eidemque *fodiendo acuminata, ſorbendoque fiſtuloſa* [22]; noſtra ætatæ Cæſenæ non adſunt, nec unquam legitur adfuiſſet. Undè neq; Papæ, neque ſequacibus ejus eſt veriſimile, quod ſomnum eripuerint, facieſve morſibus maculaverint.

6 Vinum equidem Cæſenæ, generoſum ęquè, ac ſuave rubeſcere facit vultus potantium, & cerebrum vacillare. Quamobrem hic Poeta melius tribuiſſet mero, a sè, vel à ſuis coitinerantibus intemperantèr hauſto, quàm culicibus nocturnam interverſionem phantaſmatum, cum deviatione ſomni, ac maculoſas facies, quas effutit perpeſſos eſſe Cęſenæ. Niſi fortaſſe confuſis terminis, velit contigiſſe Cæſenæ, quod potuit accidiſſe in oppido Portus Cæſenatici. Nàm Julius anno ſequenti Bononia rediens, iterum acceſſit Cæſenam die 27. Februarii, ac ibi per biduum conſtitit in Palatio decurionali (nec autem hic hæſiſſet, ſi quinto præcedenti menſe fuiſſet ibi adeò dire à culicibus lancinatus). Deindè ad Portum Cæſenaticum profectus

(19) Scip. Claramon. Hiſtor. Cæſen. lib. 10. fol. 752

(20) Spondan. ann. 1506. n. 3.

[21] Ciacon. Vit. Pontif. in Iul. 2.

(22) Plinius Hiſtor. natur. lib. 11. c. 2.

est, ubi sequenti nocte permansit (23).

7 Hoc in Portu æstivo tempore quandoque culices vagantur, ac detecta membra perfodiunt hominum, eorumque vultibus insidiantur. Quare Petrus Cardinalis Bembus Friderico Fregosio Archiepiscopo Salernitano ex eodem Portu scribens, ait: *meo in lectulo has ipsas noctes confecissem: quas ut insomnes ducerem, & importuni culices, & assidui calonum, & lixarum clamores effecerunt* (24). Et sane nil mirum esset, si apud istum Portum, se culices reddidissent infestos Papæ: Nam etiam Fridericus I. Imperator apud Clogiam consistens iturus Venetias, uti refert Romualdus Salernitanus, *ibi muscarum, & culicum plures molestias sustinuit* (25). Cæterùm ecque fides habenda Cardinali Hadriano de culicibus Cæsenatibus? tum ex generali ratione, quod

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audiendi semper fuit æqua potestas (26).

Tum etiam ex eo peculiari motivo; quod cum capax fuerit se miscendi conjurationi Petruccianæ contra vitam Leonis PP. X. à quo proinde fugax dignitate fuit Cardinalitia privatus (27); nil eum quoque puduerit mentiri, vel fabulari de culicum jaculis perpessis apud Cæsenam.

8 Antequàm Iulius prima vice de civitate nostra recederet, Cæsenatibus utriusque factionis Guelphæ, ac Ghibellinæ exulibus, & pro scriptis, benignè indulsit, veniamque proposuit, dummodò *in patriam redirent, mutuisque pacibus, & amplexibus conciliarentur: quę paces etiam opulentis fidejussionibus firmarentur. Post ejus ergo discessum, Cæsenæ remansere Cardinalis S. Georgii, & Cardinalis Fatius civitatis Episcopus, una cum Cameræ Apostolicę primoribus ministris, ut factionum paces curarent &c. facer autem Cardinalium Senatus utriq. parti spopondit, sè prò ea futurum, si contraria pacem violaverit, adversum quam operam, & opem omnem positurum. Eadem die (fuit autem undecima Octobris) qua pax coaluit, publicę lętitię ignibus, & sonitu, bombardarum strepitu exhibita signa.* Deinde à Papa

(23) *Claramont. ubi supr. f. 153.*

(24) *Card. Bembus epist. vol. latin lib. 6. fol. 169*

(25) *Romuald. Salernitan. in Chro an 1177 §. Interea.*

(26) *Horat. de de Arte Poetic. in princip.*

(27) *Ciacon. Vit Pont. to. 3. f. 1083. Pier. Valerian. de calib. illust. viror.*

Papa *civitati redditi reditus, ac vectigalia publica*, quæ fisco Pontificio applicaverat (28).

9 Evenit posteà luctuosum illud prælium apud Ravennam, in quo Exercitus Iulii, phalangibus Hispanicis roboratus, cruenta clade profligatus fuit à Gallis [29]: Duce tamen istorum Gastone de Fois, Ludovici XII. Francorum Regis ex sorore nepote, ibidem infelicissimè interempto (30). Tunc Antonius de Leva, bellator magni nominis, & ductor turmæ militaris Pontificiæ, cum ea sè recepit Cæsenam, ut cohortem ipsam pugnæ superstitem servaret incolumen (31). Ex eodem quoque infausto prælio victus recedens Iulius de Medicis, tunc Eques Hierosolymitanus, & appellatus *il Commendatore de Medici* (qui deindè fuit Cardinalis, & Papa Clemens VII.) saluum sè fecit apud Cæsenam, donec Ioanne de Medicis patruele suo Legato Pontificio (postmodùm assumpto ad summum Pontificatum, sub nomine Leonis X) intercedente apud Pseudolegatum Conciliabuli Pisani, omnia potentem in castris Gallicis, datus est ei saluus conductus, vi cujus tuto posset per Gallorum exercitum ambulare (32).

10 Erat is Pseudolegatus Fridericus Sanseverinus Diaconus Cardinalis (33): *qui magis ad arma profana, quam ad res sacras natus, ingenti corpore, vastoque animo, a capite ad pedes splendidissimus armis tectus, in medio agmine multo magis Ducis, quam Cardinalis, aut Legati munus obibat* (34). Sub hac ille figura intererat exercitui hostili Papę, nomine Conciliabuli Pisani contra Pontificem insanientis, ut illum, si posset, de Solio Apostolico eliminaret (35). Prævalente autem adversitate fortunæ super justitiam causæ propter idem infelix prælium, sicut Ravenna se dedidit Cardinali Sanseverino; sic & Cæsena communi cedere infortunio adacta est, rectorem, arcisque præfectum Bernardinum Caracciolum recipiendo ab eodem Cardinali Pseudolegato. *Sed brevi tempore: primaque fuit, quę Iulium* Papam, *& Ecclesiam sumptis armis inclamavit* (36).

11 Per idem tempus Cæsenatum Patriciorum Ordo

 anti-

[28] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen lib. 16. f. 752. &c.*

(29) *Raynald. ann. 1512. numer. 21.*

(30) *Iovius Hom illustr in Gaston de Fois*

[31] *Idem in Anton. de Leva.*

(32) *Varillas hist. secret. l 5. f. 141.*

(33) *Spond. an. 1510. n. 10.*

[34] *Idem. anno 1512. n. 5.*

[35] *Raynald. an. 1512. n. 21.*

[36] *Claram. histor. Cæsen. l. 16. f. 756.*

antiquam, & publicam Scientiarum docendarum *Universitatem* integrari curavit: ut & cives, & exteri possent in doctrina proficere, ac ibidem scientificis imbui disciplinis: persolutoque præsertim Jurisprudentiæ cursu, doctorali laurea decorari (37). Hujus profectò Academiæ tanta est vetustas, ut ipsius initium non sit facile reperire. Florebat autem proculdubio; nam Nicolaus Masinius I. Cæsenæ residens anno 1503. (38) inuitavit Antonium Codrum Urceum, ut Bononia Cæsenam veniret, ad scientias in publica nostra Vniversitate docendas. Cui Codrus ipse longam rescripsit Elegiam, hisce carminibus inchoatam [39].

Cur me Felsinea diducere quæris ab urbe
Nolentem, in patriam docte Masine tuam?
Num Cæsena ferax hinc me rapiebat, & illinc
Livia pollicitis, utraque larga suis, &c.

12 Ex tunc ipsamet Universitas, quæ singularis est in tota Provincia Romandiolæ, semper viguit. In eaque multi Cathedrantes publicè docent Logicam, Phisicam, Metaphisicam, Theologiam, Medicinam, Institutiones legales, Jus Canonicum, Jus civile, Ordinariam Matutinam, & Vespertinam &c. ab Optimatum cætu delecti, & congruis stipendiis, ex civitatis ærario munerati: ac pro ratione meritorum, à minoris, ad majoris honorarii Cathedram soliti augeri. Adsunt quoquè Cæsenæ Canonicus Theologus in Cathedrali, & in Conventibus Regularium plurimi Regentes, ac Lectores scientiis imbuentes quotquot ad illos accedunt, ut ediscunt. Adsunt & tria diversa *Collegia*, scilicet *Iuristarum, Theologorum, & Medicorum*, de quibus alibi magis ex proposito agetur (40). Deniquè adest bonarum Artium Academia, ubi Oratores, & Poetæ proficiunt, dicta *Academia Offuscatorum*. Vt ex his intelligas, Cæsenæ abundè ali Scientas, omnibusque patere.

13 Iulio II. ad cælites transgresso, provectus fuit ad Summum Pontificatum Leo X anno 1513. [41]: qui significativas exaltationis suæ literas Civitati nostræ direxit [42]; &

(37) *Idem. eodem loco, & pagina.*

(38) *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 148*

[39] *Ant. Codr Vrceus Scolvar lib... f 328.*

(40) *Brosch. Diatrib. Cæsenat Diatrib.*

(41) *Ciacon. Vit. Pont. in Leon. X.*

(42) *Breve Leon. X. ann. 1513. in Archiv. Communit.*

& per diversas vices illi se beneficum exhibuit. Nàm ut Mænia castrensia opportunè repararentur, munificè relaxavit medietatem annui census pendi soliti Cameræ Pontificię. Simulque indulsit, ut pro eodem opere fragmenta possent arcis veteris adhiberi (43). Adhuc & inhibuit, nè Iudæis Cæsenæ commorantibus fas esset bona stabilia possidere: mandans & possessa justo distrahi pretio (44). Quoniàm verò jam rursus erumpebant dissidia, diversarum factionum, prius orta inter Masinios, & Tybertos ex una parte: inde inter alios Tybertos, & Venturellios ex altera, quibus involvebantur plurimæ familiæ, harum hinc inde sequaces [45]; Leo Cęsenates admonuit, ut à talibus dissensionibus conticescerent, alioquin Duci Urbinati mandasset, ut altercantes in brachio forti compesceret (46).

14 Hadrianus quoque VI. Leonis in dignitate successor anno 1522. (47), beneficentiam suam exercuit cum civitate nostra. Nàm illius privilegia specificè confirmavit (48). Necnon peculiari diplomate concessit Communitati, ut sub Palatio Prætoriali Gubernatoris ædificare posset amplam porticum, ibidemque quot mallet officinas, & apothecas construere, pro suo arbitratu locandas. Dedit & ei facultatem, ut sal, à Camera Apostolica in consueta summa exhibendum, posset vendere minutatim. Insupèr præscripsit, ut beneficia Ecclesiastica solis deberent Diæcesanis conferri. Deniquè remisit omnes caducitates eo usque incursas a possessoribus bonorum emphiteuticorum ob canones tempore debito non solutos Ecclesiis dominis directis eorum, dummodò in posterum solverentur (49). Postremò alios favores impertitus est, de quibus capite sequenti erit sermo.

15 Gratum sit nùnc audire, quod circa hæc tempora permanebat Cesenæ in monasterio suburbano S Mariæ de Monte *Theophilus Folengus* Mantuanus, Monachus Casinensis, Auctor libri præseferentis titulum *Merlini Cocaii*, partim hic, partim alibi elaborati. Scripsit macheroni

(43) *Eiusd. Breve anno 1517. in dicto Archiv.*

[4] *Breve ejusd an. 1314. in ipsomet Archiv.*

(45) *Scip Claramon. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 755.*

(46) *Leo X. ann. 1554. in Archiv. Communit.*

(47) *Ciacon. Vit. Pont. f in Distrib.*

[48] *Brev. Hadria. 6. 4. Martii 1523. in Archiv. Communit.*

(49] *Idem 16 Iunii 1523. in eod. Archiv.*

tronicè in idiomate Italico, sicut fecit Antonius Arenas in Gallico (50). Carmina sunt quandoque ridicula, & generaliter festiva, necnon rudi equidem, ut videtur, sed ingeniosa minerva conserta. Quoniamque continent utilem vivacitatem, documenta moralia, sensus philosophicos, & considerationes proficuas; ideo hæ poeticæ cantilenæ sunt in suo genere commendabiles (51). Proindè ipse Theophilus post mortem, quæ illi contigit in Cænebio Campeschi Marchiæ Tarvisinæ, anno 1544. honoratus fuit solemnibus epitaphiis [52]. De Cæsena quandoque cecinit (53),

Sulphure non pocum facis, o Cæsena guadagnum.

Alibi describens convivium Caroli Magni, dicit nil ei defuisse de melioribus vinis: additque:

Hic mancum Cæsena tuę vindemia vallis
Absuit: & dulces, quas Corsia pissat, orinę [54].

Ac de Roversani Castro parum a civitate nostra distante, cantitat:

Rocca Roversani villanis plena cativis.

16 Post Clementem VII. digresso Pontificatu ad Paulum III. cum populus Cæsenæ talitèr excrevisset, ut circuitus civitatis non illum commodè contineret; Papa ipsam dilatari posse concessit (55). Ac equidem a parte aquilonari pro eadem ampliatione mænia Castrensia incæpta fuerunt, quorum adhuc fundamenta cernuntur, ducta de Porta Ravenniana versus hortum Conventus Fratrum Ordinis Prædicatorum. Schemaque talis dilatationis habetur etiam impressum post nonnullas ex Relationibus Cæsenæ promulgatis à Cæsare Brissio: prout est in illo exemplari, quod asservatur in Bibliotheca Collegii Romani almæ Urbis.

17 Alibi legitur, quod ipsiusmet ampliationis opus inchoatum fuit à Bernardo de Rubeis Præside Romandiolæ tempore Leonis Papę X. & quod eodem Præside abeunte ad regimen Bononiæ, destitum est ab ædificio Cæsenate [56]. Verùm hæc assertio non videtur esse conciliabilis cum subsequentibus literis Pauli PP. III. indultivis facul-

ta-

[50] Morer. Dictionar. hist. V. Antonius Arenas.

(51) Vide Præfat. in Merlin. Cocaii.

[52] Lud. Morer. Diction. histor. V. Folengo

[53] Merlin. Cocai in Bald. lib 2. in princip.

(54) Idem l. 1. fol. 8.

(55) Breve Paul. 3. anno 1537. in Archiv. Communis.

(56) Franc. Scotto Itiner. d'Italia par. 1. fol. 212.

tatis aggrediendi præfatam dilatationem. Utcumque sit, res non habuit ex tunc usque ad præsens ulteriorem effectum: vel quia vires defuerint ad illam perficiendam, vel quia pestilentiæ lues populi diminuerit excrescentiam, vel quia denique alia gravis causa obstiterit, ne istud opus perfici posset.

18 Paulus itèm III. confirmavit Cætum illum Cæsenatum, cui titulus inerat *octoginta Pacificorum* (ab Archiepiscopo Ragusino Cæsenæ Præsidente institutum, ad homicidia compescenda) cum potestate retinendi 20. milites publicis stipendiis muneratos (57). Quem Cætum posteà etiam Julius PP. III. [58], ac Pius PP. IV. rursus amplissimè confirmarunt (59). Sed & Pius etiam pro restauratione duorum arcuum pontis fluminis Sapis, ob aquarum impetum delapsorum, mille aureos applicavit (60).

19 Haud erit abs re hic quoque notare, tam quatenùs præcedenti, quàm præsenti hoc sæculo decurrentibus, Cæsenæ commorabantur *Judæi*: hùc fortè introducti dominante familia de Malatestis. Certè inter Civitatem, & ipsos Iudæos compactatæ inerant conventiones, quas Julius PP. III. confirmavit, insertas suis literis Apostolicis (61). Imò successivè novis literis indulsit, ut eorum numerus augeri posset, accersitis aliundè novis familiis Hebræorum ad commodum civitatis (62): quæ foverent commercium, & suis mercimoniis, atque negotiis publicæ utilitati prodessent.

20 Revera hic effectus speratur ex consortio recutitæ illius gentis. Ast non semper obtineri censuit is, qui metrice declamavit.

Oh utinam nunquam Iudæa exacta fuisset
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Præfato sane tempore Iudæi permanentèr Cæsenæ commorabantur, soliti taxas publicas persolvere: quas restaurationi murorum castrensium pluriès vidimus applicatas.

(57) *Brev. Pauli 3. 16. Maii 1545. in Archiv. Communit.*
[58] *Brev. Iul. 3. 8. Decembr. 1551 Ibidem.*
[59] *Breve Pii 4. in cod. Arch.*
(60) *Breve Pii 4. 28. Januar. 1564.*
[61] *Breve Julii 3. 8. Decem. 1551. in Arch. Communit.*
(62) *Breve Julii 3. 3. Martii 1552. in eodem Archiv.*

Ibi-

Ibidem quoque bona stabilia pro more illorum temporum possidebant, ac mensam nummulariam exercebant. Deniquè aderant etiam ætate Pii IV. (63).

(63) Breve Pii 4. 8. Decembr. 1564 in Arch. Communit.

21 Verùm jam dudùm à nostris finibus recesserunt: nec fas est Hebræis stabilitèr permanere apud Cæsenam, qui ubique profugi sunt (extra loca sibi ad commorandum peculiari modo concessa) ubique miseri, ubique contempti: quales etiam extitisse apud Ethnicos novimus ex Iuvenali (64): & de regionibus Christianis pangit musa Prudentii,

(64) Iuvenal. Satyr. 6.

Extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas, sua membra feruntur
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit: Christique negati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit
Ex quo priscorum virtus defluxit avarum (65).

(65) Prudentius in Apotheos.

22 Nihilominùs provida, & laudabilis est res cum illis mitius pro humano posse procedere: ipsosque benignè complecti: ut lenitate Christianæ fidei, & suavitate morum, quibus Catholici vivunt: comitate demùm, justitia, & pietate, qua Deo apud nos deservitur, illecti, libentèr auditum accommodent evangelicæ veritati. Et intus operante divino Spiritu, disponant animum ad suscipiendum sacrum Baptismum. Ad quem, si fortè ipsi minù fideliter veniunt; *hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fideles baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur* (66).

(66) S. Gregor. lib. 4. epl. 6.

23 Convertamus nùnc sermonem ad speciosissimum fontem marmoreum assurgentem super platea majori Cæsenæ: ibidèmque nedùm elegantissimis artis ingeniosæ lusibus latices emittentem, verum etiam per subterraneos tubos ministrantem lymphas aliis fontibus minoribus, qui diversis in locis civitatis ad commodum populi subalternatas aquas effundunt. Verùm id vix poterit melius expleri, quàm utendo verbis Nicolai Masinii, sic de ipsiusmet fontis prima erectione loquentis, *Cesenæ, pręter insignem illam tam celebris vini copiam, nemini ignotam, cęteris bo-*

bonis omnibus, una dempta probatę aquę copia, affluenti, ne quid deesset singulari Dei benignitate, Fons nuper extructus est. Aqua usque adeo abundans, ut in quacumque, vel diu perdurante, siccissimi aeris constitutione, optimum, integrumque, qui ex uberrimi fonte capi potest fructum, tota ex illo civitas capiat.

24 Prosequitur idem Scriptor egregius, Philosophiæ, ac Medicinæ peritus, inquiens. *Aqua hęc, sedulò hortatore existente Guido Ferrerio Vercellensi Cardinali Flaminię Legato, viro sanè admirabili studio provincię totius, & commodum, & decus spectante: in cujus administrandis rebus jus cum esset, jussu istius in primis explorata fuit: & paulo post inventa ex pluribus scatebris exiliens, in pago Valeriano nuncupato, bis circiter mille passuum spacio ab urbe distante, & protinus collecta: tantaque in rè suam industriam exercentibus, operamque ponentibus, tribus à Senatu destinatis civibus, Ludovico Leonardello equite, Ugolino Ugolinio, & in primis Francisco Masinio (permultis in egregiis operibus, quæ ingenii pręstantia, unaque & manibus perficiuntur) spectatissimo. Recta per fictiles aquæductus à meridie in septentrionem usque ad urbis murum perveсta est: qua perforato, illique substructo in proximo horto itinere propè sacram ædem D. Joannis Evangelistæ, in forum tandem deducta est, pridie nonas Julii anni MDLXXXIII. in qua die Civitas D. Severi Episcopi, & Patroni sui festivitatem celebrat* (67). Effigies Architecti, & primarii directoris hujus elegantissimi, tantundemque difficilis opificii (in actu Deiparam depræcantis pro felici sui moliminis complemento) picta cernitur super frontispicio domus platearis, quondam Blasii de Buschis, e regione ipsiusmet fontis, à parte aquilonari.

[67] *Nicol. Masin. de gelid. potiabus lib. 1. cap. 13.*

25 Nunc de Cæsenatibus aloquamur, qui per tempus in præsenti capite connotatum, doctrina, & bonis artibus claruerunt. Inter *Theologos* resplenduerunt *Iulius Iseppus* Ordinis Prædicatorum, Lector Patavinus, & promulgator locupletissimi Repertorii Operum Ioannis Du-

cis Scoti [68]. *Fabricius Manzonius* auctor Tractatus typis impressi de Sacramentis (69). Ac *Sebastianus Avezzanus* Carmelita Theologus egregius, atque bis Provincialis Romandiolæ: cujus extant prælo impressi fætus hi suæ mentis: De Sacramentis. Digressiones prædicabiles variis de rebus. Brevis institutio in Aristotelis Logicam. Conciones de Incarnatione, de Nativitate, ac de Resurrectione Domini: quæ typis extant impressa. Incæpit & Opusculum de modo studendi Theologiæ, quod non complevit, morte præventus Arimini anno 1580. [70]. Inter *Asceticos* emicavit *Annibal Fantagutius*, qui scripsit de cognitione Dei, & sui ipsius. Nec non *Bartholomeus Raverius* compilator libri de contemplatione Missæ (71)

26 Intèr *Iurisconsultos* floruerunt *Polydamans Tybertus* à Ioanne Baptista Ziletο memoratus, uti clarus Legista (72). Scripsit Praxim artis Notariatus, cui commentaria Thomas Melachinus Ferrariensis adjecit (73). Extat & impressum ejus Opus de Contractibus (74). Item *Petrus Benintendus* excellentissimus Iurisconsultus, & Rotæ Bononiensis Auditor anno 1540. cujus habentur Decisiones Typographi arte vulgatæ [75]. Nec non *Tobias Fantagutius* Vicarius Generalis Episcopi Veronensis, & Conditor Tractatus de Officio Vicarii Ordinarii [76]. Inter *Oratores, & Poetas* claruit *Constantius Caugetius*: cujus est Panegyris Gregorio PP. XIII. (77) Poetices quoque cultor fuit Cornelius de Guasconiis Augustinianus, auctor modulationis hoc modo typis impressæ Venetiis anno 1526. *Diluvio successo in Cesena del 1525. in ottava rima*. Inter *Grammaticos* excelluit *Petrus Ferrettus*, item Augustinianus, auctor Opusculi Grammaticalium Institutionum (78). *Musica* egregius fuit *Camillus Inottus* Capellæ Imperialis Phonascus: cujus opera musicalia typis adstant impressa [79]. *Pictura* fulsit *Scipio Succus*, Raphaelis Urbinatis Alumnus (80). *Pictura* denique simul, & *Architectura* se clarum reddidit *Bartholomeus Genga* (81)

27 Inter *Philosophos* fulsit *Evangelista Vola*, sive Bola in Gymnasio Patavino publicus Philosophiæ moralis profes-

[68] *Manzon. Chronol Cesen. f.* 145.
(69) *Idem fol.* 135 & 214.
(70) *Petr. Lucius in Bibliothec. Carmelit. f.* 75. *Hieron. Gilich. Homin. literat. par.* 2. *f.* 225.
(71) *Manzon. loc. cit fo.* 130. & 212.
[72] *Zilet. in Indice Jurisconsultor.*
(73) *Joann. Vuolfang. in Elench. Auctor Iuris. f* 107.
(74) *Manzon. ubi supr. f* 152. *Vuolfang Iudic* 2. *Iurist. f.* 79.
[75] *Dictus Manzon. ubi supr. f.* 152.
[76] *Manzon. fol.* 158.
(77) *Ludov. Iacob. a S. Carol. Bibliot Pontif f.* 294. *Manz.* 214
[78] *Impressa Cesena anno* 1590. *Manz. fol.* 152.
[79] *Manzon. Cronol. Cesen. fol.* 131.
(80) *Idem loc. cit. fol* 156
(81) *Georg Vasar. it. Pictor vol.* 2. *par.* 3. *fol.* 304.

fessor anno 1554. qui & eruditè scripsit super Physicam Aristotelis (82). *Medicina* conspicui claruerunt *Nicolaus Masinius I.* de quo supra quædam dicta sunt (83). Medicinæ Cathedram primariam Bononię moderatus est anno 1505. ubi & obiit annos natus 49. & eidem librum dicavit Georgius Valla (84). Insametque ex familia nobili prodivit hoc eodem sęculo *Nicolaus Masinius II.* itidem Physicus, & Medicus eximius: qui tres libros elucubravit, de gelidi potus abusu, prælo impressos. Cujus laudes prosequitur Iacobus Mazzonius in præfatione ad idem opus. Agitque de illo etiam Ianus Nicius Erythræus (85). Composuit & alia Opuscula ad Historiam spectantia. Et suis sumptibus erexit spectabilem illum Ambonem, sive Pulpitum tabulis marmoreis cricumamictum, qui Cæsenæ cernitur in Ecclesia S. Francisci (86).

28 Doctrina quoque claruit eximie, vergente ad finem sæculi, quod calamo nunc percurrimus, *Hieronymus Dandinus* Cæsenas, Presbyter societatis Iesu: in qua Provincialis munere functus est. Docuit Philosophiam Perusii, ac Parisiis: itidemq. Theologiam Patavii [87]. Summi Pontificis mandato missus est ad Maronitas Montis Libani anno 1596. Et octogenarius obiit Forolivii anno 1634. (88). Scripsit librum, cui titulus, Ethica sacra, seu de virtutibus, & vitiis, typis impressum. Scripsit & (ut audivimus) commentaria super libros Aristotelis de Anima. Elucubravit denique Relationem sui itineris ad Maronitas præfatos (89).

29 Nec omittendus *Blasius Baronius Martinellius* Archicæremoniarius Apostolicus, passim dictus Blasius de Cæsena, scriptor *Diarii Pontificii* sub Hadriano VI. Clemente VII. & Paulo III. Papis [90]. Ejus etiam est Descriptio Coronationis Caroli V. Imperatoris factæ Bononię à dicto Clemente PP. VII. (91). Cujus & Blasii effigies erecta, & lacertosa, cernitur picta in Capella Sixtina palatii Vaticani Romæ, super janua parva, quæ ducit ad sacrarium, in imo magnæ iconis elaboratæ à Michaele Angelo Bonarota, & referentis Judicium universale. Quod opus equidem, ju-

[82] *Manzon. Chronol Cæsen f. 135 & 214.*

(83) *Vide supr. in hoc cap nu mero 11.*

(84 *Manzon. loc. cit. f. 149.*

(85) *In Pinacothec. 1 elog. 150. fol. 272.*

(86) *Manzon. Chronol. Cæsen f. 149.*

[87] *Allegamb in Scr ipt. Italic.*

[88] *Morer. Diction Histor v. Dandini.*

[89] *Idem, & Manzon. fol. 139*

(90) *Ludov. Iacob a S. Carolo Bibliot. Pontif. f. 283. & 333*

[91] *Carol. Chartar. Syllabus Advoc. Consistor. fol. 714*

juxtà regulas artis pictoriæ præclarum est. Sed quia Blasius, uti primarius Cæremonista Papę, dum pingeretur, illud imorobabat, propter quasdam corporum nuditates quæ satisfactioni suæ non arridebant; Bonarota ulturus redargutionem, ipsum Blasium penicillo suo expressit in imo ejusdem iconis, ità efformatum, ut nudus, & afflictus, diroque angue circumdatus, atque ad genitalia morsu appetitus, a, pareret velut in inferno inter dęmones constitutus (92).

30 Res lepidè accepta fuit, & benigno interpretat sensu, velut iocus pictoricus, & ludicrum scomma dexteræ, quæ talem delineaverat imaginem: pariter item dissimulata fuit propter excellentiam sui Auctoris in arte pictas tabulas elaborandi: soliti quandoque colorum adhibitione nugari, & iocosis tractibus penicilli suo genio indulgere. Neglecta demùm quoque fuit gratioso lusu verborum, quem exprimit Ludovicus de Dominicis (93). Et Paulus PP. III. qualecumque illud reale convicium, esse censuit parvifaciendum, Blasiusque modestissimè acquievit: ratus, honorem esse sibi, non dedecus, talem injuriam pertulisse pro zelo suo, ut putabat rationabili, & solito piis hominibus, ac Deum timentibus cordi esse. Memoria nunquàm interitura ipsiusmet Blasii Romæ asservatur in Collegiali Ecclesia SS. Celsi, & Juliani, cujus erat Archipresbyter: & ejus nomini plaudens, & perhibet fidem, quod ipse fuit erector proximæ adiacentis Cappellæ.

31 Post Cæsenates claros doctrina, & bonis artibus per hæc tempora; dicamus & aliqua de illis, quos arma, & militaria opera decorarunt. Ac equidem inter hos eximiè præ cæteris excelluit Comes *Leonidus Malatesta*: de cujus genealogia ita scribit noster historicus. *Carolus Malatestius Soliani Dominus duos genuit filios, Lambertum, & Malatestam. Ille Soliani mansit, bic Cæsenam venit: ductaque in uxorem Francisci Ubaldini civis Cæsenatis filia, sedem ibi locavit &c. Posteri Malatestæ fuere Leonida filius, Iacobus nepos, Carolus pronepos, Leonida abnepos, qui absque filiis masculis mortuus, propagini huic Cæsenatii*

(92) *Vita Michael Ang Bonarot. Academ Florent.*

(93) *Lud. Domenei Facetie l. 5. f. 332.*

ii

ti finem nupèr imposuit (94). An, qualem, & quantam agnationem haberet hæc familia Malatesta equestris Cæsenas cum alia similis cognominis magnatitia, quæ quandoque Principatum Cæsenæ tenuit; nobis adhuc certò non constat.

[94] Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 755

32 Ergò *Leonidas Malatesta* Cæsenas bellicis actibus fulsit usque ad gradum sublimitatis: prout constat ex marmorea inscriptione, quæ continetur in claustro Conventus Fratrum S. Francisci strictioris Observantiæ Cæsenæ, atque ità se habet:

> Leonido Malatestæ Cæsenati Comiti, Turmarum Venetæ, ac Florentinæ Reipublicarum Ductori. Senensi bello sub Cosmo Florentię Principe munitissimi aggeris expugnatori. Populini, ac Ilvæ Gubernatori. Aretii Cortonę, in Monte Politiano, & in Glana Produci, militumque Tribuno. In oppugnatione Radicofani peditibus Italicis Præfecto, a Paulo IIII. Pont. maximo, & ab Antonio Carafa M. Ecclesię defensore acerrimo, amplissimis honoribus decorato. Jacobus Malatesta, cæterique filii mæstissimi Patri optimo posuerunt. Vixit annos LII. Obiit mortem MDLVII. Idibus Novembris.

33 *Ioannes Franciscus* quoque junior *ex Comitibus Guidiis de Balneo*, Nicolai filius, & alterius Jo. Francisci senioris nepos, hic meretur inter strenuos duces (qui per præsentia tempora nomen dederunt militię) recenseri. De hujus pręclara sobole agit Scipio Amiratus, & ex nostratibus, Historicus Cæsenas (95). Ipsiusmet vero junioris Joannis Francisci opera militaria strenuè, multipliciterque peracta,

[95] Idem l. 10 f. 380. & l. 16. f. 742. & 755.

cta; legere est summatim restricta in libro, cui titulus est: *Ritratti, & elogii di Capitani* (96): quæ quoniam longum esset hic singulariter enarrare, sat erit unum seligere, quo visus est æquiparasse fortitudinem Horatii Coclitis pugnantis contrà Etruscos super ponte sublicio: & equidem facinore in Romanis historiis usque ad sidera conclamato (97). Ducens Balneus in exercitu Caroli V. Imperatoris turmam mille peditum, quo tempore oppugnabatur Argirium; ipse super ligneo ponte illi civitati proximo, solius hastæ ferratæ fretus ope, tandiu irruentium hostium impetum retardavit, quoque Italica militia se in tuto posuit: mirantibus castris Cæsareis: & Africanis quoque obstupescentibus, qui adversus eundem iaculos ad instar grandinis emittebant. Obiit Matriti anno 1569. Ejus aspectus est is, qui sequitur, ex eodem libro desumptus.

(96) *Ritratti, & elogii di Capitani f. 331.*

(97) *Plutarc. in Poplic. & in Paralel. Dio et Halicarn. lib. 5.*



34 Sed & *Iacobus Masinius* claruit hac ætate virtute militari: cujus actus peculiares alibi explicabimus, postquam ad nos pervenerit diu conquisita illorum notitia:

tia:

tia: non omissa in hoc loco juxtà ordinem chronologiæ memoria, quod fama glorificat illius nomen, & in rebus bellicis illud eximiè commendat. Ne itidèm quidquam honorificentiæ deesset civitati nostræ per sæculum hoc decimum sextum decurrens [præter dignitates Ecclesiasticas, de quibus capite sequenti erit sermo], adfuit & *Eques Hierosolymitanus*: cujus asservatur epitaphium in Ecclesia Metropolitana Neapolis, hoc modo perorans:

Julio Camillo Tusco Cæsenati adolescenti, genere, & ingenio præstanti: qui cum ad insulam Melitam esset profectus, ut Fratr. Hierosolymitan. adscriberetur: indè Neapolim cum aliquot Fratribus, ipse navi longe vectus, cum ex ea in scyphum descenderet, in ipso portu miserabiliter obrutus est. Robertus Tuscus, & Faustina Roverella parentes amantissimi, profusis lacrymis filio dulcissimo posuere. Anno salutis 1581. die 23. Novembris. Vixit annos 19. dies 24.

35 Prætèr hunc autem non defuerunt alii quoque perplures Cæsenates, qui nobilissimo equestri, & militari Ordini Hierosolymtano, ante, ac post præsentis sæculi [per quod versatur calamus] tempora meruerunt adscribi. Ac præsertim Neapoleo Tybertus Prior Venetus, Iseppus de Iseppis Commendatarius Imolensis. Necnon Franciscus Rossettus, Simon Vgolinus, Maximilianus Gennarius, Marcus Agrippa Dandinus: omnes insigni Cruce Melitensis Ordinis decorati: qua equidem & ego quoque, qui hæc scribo, immeritus nunc exornor. Habet ipsemet præclarus Ordo apud Cæsenam, Ecclesiam parochialem, Domus Dei nuncupatam, quam regit Sacerdos, & parochus amovibilis, ab Equite commendatario nominatus.

CA-

CAPUT XXVIII.

Res Ecclesiasticæ Cæsenates, à Pontificatu *Julii II.* usque ad *Clementem Papam VIII.*

SUMMARIUM.

1 *C Ardinalis* Fatius Sanctorius *præficitur Episcopatui Cęsenæ: pluraque de illo referuntur.*

2 *Erat vir ditissimus. Possidebat Romæ ingens palatium. Decidit deinde à gratia Papę. Ac obiit ictu fulminis.*

3 *Cęnobium Cælestinorum igne ferè consumptum. Conventus Fratrum tertii Ordinis S. Francisci erigitur.*

4 *Patriarcha* Christophorus de Spiritibus *obtinet Ecclesiam Cæsenatem, & quędam ad illum spectantia.*

5 *Cæsena transiens, ibi morte sublatus est, Petrus Cardinalis Isuallies Siculus, vir multæ famæ.*

6 *Hadrianus PP. VI. quasdam Indulgentias concedit Cæsenatibus: & Indultum, ne beneficia exteris conferantur*

7 *Floruit sedente Christophoro Episcopo,* Hieronymus Malusellus, *Ordinis Boni Jesu institutor.*

8 *Cęsena octo ministros Generales dedit Ordinibus regularibus: & in dicto Hieronymo Institutorem unius.*

9 *Agitur de* Clarina de Candolis, *cui apparuisse fertur B. V. & de erectione Conventus Lizzani.*

10 *Zelus patriciorum Cæsenatum ad cohibendos irreverenter se gerentes in Ecclesiis, Censurarum incursu.*

11 *Ante obitum Christophorus Episcopus Coadiutorem sibi designavit Jo. Baptistam nepotem, sed res caruit effectu.*

12 *Successionem in Episcopatu obtinuit* Odoardus Gualandus, *qui solemnitèr ingressus est Cæsenam.*

13 Aca-

13 Academia Offuscatorum *Cęsenę memoratur: agiturque de Via Galaxia, & significatione illius.*

14 *Pręsedit Odoardus Capitulo generali Fratrum Servitarum, Cæsenæ celebrato.*

15 *Quod & iterùm fecit anno* 1588. *in quo statutum fuit, ut Fratres sectarentur doctrinam D. Thomę.*

16 Orphanotrophium *utriusq; sexus erigitur Cęsenę. Spurii binis in aliis Xenodochiis educantur.*

17 *Mulierum* Pænitentium Conventus *excitatur ibidem sumptibus Iosephi Isęi.*

18 *Odoardus Episcopus Ecclesiam Salæ in novam parochialem convertit pro animarum commodo.*

19 Seminarium *quoq.* Clericorum *erexit. Synodum Diœcęsenam celebravit. Interfuit Conc. Prov. Ravennati.*

20 *Floruit doctrina, studiisque addictus erat. Dimissa Ecclesia, Romę obiit anno* 1597.

21 *De Patruo in* Camillum Gualandum *nepotem Episcopatus transivit: quędamque de illo innuuntur.*

22 *At vero is progressu temporis in dementiam lapsus est: ex qua medicorum ope non valuit convalescere.*

23 Thomas Albitius *Episcopus Calliensis ex Ordine Prędicatorum, & alia plura de illo.*

24 *Item* Alexander Tibaldeus *Episcopus in Scotia*, & Petrus Antonius Angelinus *Episcopus Nepesinus.*

25 *Ex Abbate Casinensium Cęsenę Isidorus Clarius provectus est ad Episcopatum Fulginatensem.*

26 Hieronymus Dandinus *Cardinalis Cæsenas, & pręclara ejus opera.*

27 Anastasius Ubertus *fit Episcopus Imolensis.* Bartholomęus Veteranus *Pręlatus Romanę Curiæ.*

28 Franciscus Albitius *senior.* Nicolaus Schiavina. *Et* Hieronymus de Cæsena, *viri eximii &c.*

29 *Fr.* Bartholomęus de Cacciaguerris *Capuanus meritis claruit unà cum germano fratre, suo.*

30 *Alius item Fr.* Bartholomęus Cæsenas *ejusdem Ordinis apud suos valdè commendatur.*

1 SEdebat in solio Vaticano Julius PP. II. quando Petrus Mentius Cæsenæ Antistes, & in antè prætergresso Capite memoratus, ad æternam requiem transivit. Successor autem ei datus est *Fatius Santorius Episcopus Cæsenus LXXXVI.* electus anno 1504. & natus apud Viterbum (1). In antiquis memoriis nuncupatur quoque Fatius de Gattis (2). Meritis præfulgens ornatus fuit purpura Cardinalitia, titulo S. Sabinæ à Julio præfato Pontifice (3). Cujus familiarem in minoribus extitisse ferunt. Vocabatuque communitèr Cardinalis Cæsenatensis (4). A' Papa obtinuit quoque Pampilonensem Episcopatum, sed obstitit constantèr Joannes Rex Navarræ, ne possessionem illius consequi posset. Velut autem noster Præsul efficacitèr laboravit pro componendis jurgiis, & dissidiis, quæ ferebant inter Cæsenates, partim hinc, partim indè factionibus contrariis inhærentes (5).

2 Fatius vir ditissimus censebatur (6). Et Romæ possidebat spectabile palatium, quod posteà fuit familiæ Roboreæ Ducum Urbinatum, deindè ad Aldobrandinam transivit, & nunc est Principis Pamphilii, propè Diaconiam S. Mariæ in Via Lata. Super cujus palatii nonnullis januis adhuc cernuntur marmorea insignia dicti Cardinalis, continentia palmam erectam, & dispansam cum zona transversa. Præfuit autem Fatius Cardinalis Ecclesiæ Cæsenati usque ad annum 1510. quo in alma Urbe fato cessit die 22. Martii (7) mærore confectus, quod à gratia Julii Pontificis decidisset, atque in Vaticano sepultus est (8). Legitur alicubi, occubuisse ictu fulminis: quod si verum est, impegit in mortem forma non insolita etiam viris eximiis. Nam & Hatto Archiepiscopus Moguntinus appetitus lapsu fulminis repentini decessit (9): prout contigit quoque S. Simeoni Stilitæ (10). Ne loquamur de Tullio Hostilio Romanorum Rege (11). Et de Caro, atq. Anastasio Imperatoribus [12] consimili morte sublatis. Nec non de celebri Medico Esculapio (13) quem concernunt carmina Maronis (14).

[1] *Ciacon. Vit. Pont. in ter Card. Iul. 2.*
(2) *Claramon. Histor. Cæsen. lib. 16 fol. 750.*
[3] *Hier. Garimbert. Vit. Pontif fol. 118*
[4] *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 41.*
(5) *Vide supra cap. praeced n. 8*
[6] *Scip. Claram loc. cit.*
(7) *Idem Claram. fol. 755. Manz. ubi sup.*
[8] *Ughel. Ital sac to. 2 in Episc Cæsen. n. 69.*
(9) *Crantzius lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 4*
[10] *Card Baron in not ad Martyrol. 5. Ianuar.*
(11) *Valer. Max. lib. 9. cap. 12 Plin lib 28 cap. 2.*
(12) *Sabellic lib Ennead. 7. & aliis int itis Imperat.*
(13) *Plin. l. 29. cap. 1.*
[14] *Virgil. Æneid. lib. 7.*

Ipse

Ipse repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phebigenam stigias detrusit ad umbras.

3 Cardinali Santorio ad clauum Cathedralis nostræ sedente anno 1505. *Monachorum Cœlestinorum* Cænobium ferè totum fuit igne consumptum: quod postmodùm in ampliorem, venustoriemque formam conualuit. Circa pariter hæc tempora, vel paulo ante, initium habuit Conventus *Fratrum tertii Ordinis* S. Francisci: de quo Chronologista ipsius Instituti hæc recenset.: *Conventus S. Rocchi Cæsenæ propè mœnia huius ciuitatis, & ad latus fluminis extabat ante annum* 1505. *quo eidem donata fuit una petia terræ hortivæ* 40. *tabularum circiter, propè quam erat jam ædificatus Conventus, cum onore unius Missæ singulis ebdomadis pro anima equitis Vincentii quondam Francisci Cassini de Cæsena donatoris, & suorum* (15).

4 Defuncto Cardinali Episcopo præfato, datus est successor *Christophorus de Spiritibus Episcopus LXXXVII.* itidem patria Viterbiensis, electus anno 1510. (16). Reperitur quoque nominatus, Petrus Christophorus, fulsitque titulo Patriarchæ Hierosolymitani: & Romæ possedit Canonicatum Basilicæ Liberianæ [17]: ubi quotannis celebratur ejus Anniversarium, sub denominatione Episcopi Cæsenati. Interfuit Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. eique subscripsit (18). Fuerat præcedenter Apostolicus Referendarius. Et de illo perplura effatur Octavianus Vestrius (19). Quo tempore Cæsenati Ecclesiæ præerat Christophorus, Paulus Papa III. illum una cum Episcopo Bononiensi constituit Judicem Hebræorum, ex Hispania venientium, ut apud Anconam lares figerent permanentèr.

5 Eo quoque sedente apud nos, in mortem impegit Cæsenæ die 22. vel 24. Septembris, *Petrus Isuallis* Cardinalis S. Cyriaci (20): natione Siculus, ortus Messanæ, atque Archiepiscopus Rhegii apud Calabros, unde Cardinalis Rhegiensis communitèr vocabatur (21). Purpuram obtinuit ab Alexandro PP. VI. deprecante pro eo Ferdinando

(15) *Franc. Bordon Chronol. Frat 3. Ord. cap.* 18.
(16) *Claram. Histor Cæsen. lib.* 10. *f.* 157.
(17) *Paul. de Angel. descrip. Basil S. Mar. Maior lib.* 3. *cap* - *f.* 40.
(18) *Labbe to.* 14. *Concil. fol.* 203. & 282.
(19) *Octav. Vestrius in Pract. lib.* 5. *cap.* 3. *tit. de Vtraq. Signat.*
(20) *Manzon. Chronol. Cæsen fol.* 41.
(21) *Garimber Vit. Pontif. &c. fol.* 107.

illius locum apparitionis, dictum *Fontana vecchia* ejusdem villæ Lizzani, dono dederunt Fratribus Franciscanis Conventualibus: qui Ecclesiam, & Conventum sui Ordinis ibidem ædificaverunt (33): & adhuc ipsum possident. Quo & in memoriam præfatæ apparitionis, tam Cæsenates, quam finitimi populi, peculiaris devotionis ergo confluere sæpe solent.

(33) *Vide Rodulph. de Tussignan in Hist. Seraphic. lib. 2 fol. 209.*

10 Placet hic referre admodum commendabile factum, vereque pium, & religiosum, pertinens ad ætatem, quam præsens caput concernit. Invaluerat Cæsenæ pravus mos, ut quidam laxioris vitæ, se minus religiose gererent in Ecclesiis, per eas obambulando, etiam tempore divinorum: immemores, quod *Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est* (34). Cœtus ergò Senatorius Cæsenatum, zelo divini honoris, & reverentiæ sacris ædibus debitæ concitatus (absente fortè tunc Episcopo, vel aliter non valente talem abusum eliminare) anno 1546. apud Cardinalem Legatum provinciæ Romandiolæ instantèr egit, ut districtè quibuslibet inhiberet sub pæna excommunicationis, nè præsertim tempore divinorum officiorum, auderent per Ecclesias obambulare [35].

[34] *Antiphon in Offic. Dedic. Ecclesiæ.*

[35] *Iusso Legati Dat. Faventiæ 30. August. 1546. in Archiv Communit.*

11 Ad senium denique properans Christophorus Episcopus, Coadjutorem in Episcopatu sibi designavit Joannem Baptistam de Spiritibus, ejusdem ex fratre nepotem die 20. Novembris 1545. (36): quem immeritò non nulli adsiscunt Elencho Antistitum Cæsenatum (37). Quandoquidem nunquàm fuit approbatus, neque consecratus: tametsi se Coadjutorem electum nuncuparet. Sanè Paulus PP. III. & sequentes Pontifices restiterunt, nè hujusmodi Coadjutoria intentum sortiretur effectum. Quamobrem Joannes Baptista, ne hoc qualitercumque adepto denudaretur honore, illum spontè deposuit anno 1556. (38). Quo & patruus quoque Christophorus Episcopus die 6. Novembris, ætate longæuus obdormivit in domino: fama ingentis doctrinæ commendatus.

(36) *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 42.*

(37) *Claram. lib. 16. fol. 757*

(38) *Manzon. loc. cit. f. 19.*

12 Ejus

12 Ejus locum implevit *Odoardus Gualandus Pisanus Episcopus Cesenæ LXXXVIII.* (39). Is laurea Doctorali Bononiæ adepta, Romam se contulit: ubi à Julio PP. III. benignè susceptus, eo defuncto invenit gratiam coram oculis Pauli PP. IV. qui dedit illum Antonio Carafæ nepoti suo, ut apud eum fungeretur munere secretarii: Deindè ab ipsomet Pontifice obtinuit Episcopatum Cæsenatem anno 1557. vel sequenti. Et ad hunc regendum se conferens, solemni pompa, cunctorumque plausu, & lętitia Cæsenam intravit: atque ibi per annos 30. fulsit magna doctrina, & probitate, nec minori pastorali sollicitudine. Insistebat, ut Ecclesiæ tàm urbanæ, quàm diæcesenæ restaurarentur, ac mundæ, atque ornatæ servarentur. Sermones item ad populum habebat, & ut Clerus quoque se addiceret prædicationi verbi Dei, satagebat.

[39] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen fol.* 757

13 Sed & delectabatur Academicis actionibus ad studia bonarum artium fovenda. Undè incæpit invalescere apud Cæsenam Consortium illud literarium, Poetices, Oratoriæ, amænorumque studiorum, exercitiis incumbens, quod nostra ætate honorificum nomen habet, *Academię Offuscatorum*, exhibens pro stemmate *Viam Galaxiam* cum lemmate *Juncta renident*: allusivo fortasse carmini Manilii: Collato fulgore nitent. Dè ipsa fascia cælesti, quæ dicitur etiam *Via Lactea*, cecinit Ovidius.

Est via sublimis Cælo manifesta sereno

(Lactea nomen habet) candore notabilis ipso.

Hac iter est superis ad magni regna Tonantis. [40] De illa, variisque, ac miris ejus effectibus, non nulla refert Plinius [41]. Constatque ex *congerie plurium stellularum invicem collucentium* (42). Et Phænoschema præfatum, vulgò *Impresa*, significat, quod quemadmodùm astra Galaxiæ, tametsi exigua rutilant, quia simul conjuncta, sternuntque iter ad regna tonantis, ita & scientiarum cultores concordia uniformi, ac mutua opitulatione clarescunt, atque ad immortalitatem famæ feruntur.

(40) *Ovid. Metamorphos. l.* 1.

(41) *Plinius l. 8. c.* 29.

[42] *Hieron. Vital. Lexic. Mathemat. V. Galaxia.*

14 Anno 1570. convocatum fuit apud Cæsenam Capitulum

CAPUT XXVIII.

Res Ecclesiasticæ Cæsenates, à Pontificatu *Julii II.* usque ad *Clementem Papam VIII.*

SUMMARIUM.

1 *C*ARDINALIS Fatius Sanctorius *præficitur Episcopatui Cæsenæ: pluraque de illo referuntur.*

2 *Erat vir ditissimus. Possidebat Romæ ingens palatium. Decidit deinde à gratia Papæ. Ac obiit ictu fulminis.*

3 *Cænobium Cælestinorum igne ferè consumptum. Conventus Fratrum tertii Ordinis S. Francisci erigitur.*

4 *Patriarcha* Christophorus de Spiritibus *obtinet Ecclesiam Cæsenatem, & quædam ad illum spectantia.*

5 *Cæsena transiens, ibi morte sublatus est, Petrus Cardinalis Isuallies Siculus, vir multæ famæ.*

6 *Hadrianus PP. VI. quasdam Indulgentias concedit Cæsenatibus: & Indultum, ne beneficia exteris conferantur*

7 *Floruit sedente Christophoro Episcopo,* Hieronymus Malusellus, *Ordinis Boni Jesu institutor.*

8 *Cæsena octo ministros Generales dedit Ordinibus regularibus: & in dicto Hieronymo Institutorem unius.*

9 *Agitur de* Clarina de Candolis, *cui apparuisse fertur B. V. & de erectione Conventus Lizzani.*

10 *Zelus patriciorum Cæsenatum ad cohibendos irrexenter se gerentes in Ecclesiis, Censurarum incursu.*

11 *Ante obitum Christophorus Episcopus Coadiutorem sibi designavit Jo. Baptistam nepotem, sed res caruit effectu.*

12 *Successionem in Episcopatu obtinuit* Odoardus Gualandus, *qui solemnitèr ingressus est Cæsenam.*

13 Aca-

13 Academia Offuscatorum *Cæsenę memoratur: agiturque de Via Galaxia, & significatione illius.*

14 *Pręsedit Odoardus Capitulo generali Fratrum Servitarum, Cæsenæ celebrato.*

15 *Quod & iterùm fecit anno* 1588. *in quo statutum fuit, ut Fratres sectarentur doctrinam D. Thomę.*

16 Orphanotrophium *utriusq; sexus erigitur Cęsenę. Spurii binis in aliis Xenodochiis educantur.*

17 *Mulierum* Pænitentium Conventus *excitatur ibidem sumptibus Iosephi Isęi.*

18 *Odoardus Episcopus Ecclesiam Salæ in novam parochialem convertit pro animarum commodo.*

19 Seminarium *quoq.*Clericorum *erexit. Synodum Diœcesanam celebravit. Interfuit Conc. Prov. Ravennati.*

20 *Floruit doctrina, studiisque addictus erat. Dimissa Ecclesia, Romę obiit anno* 1597.

21 *De Patruo in* Camillum Gualandum *nepotem Episcopatus transivit: quędamque de illo innuuntur.*

22 *At vero is progressu temporis in dementiam lapsus est: ex qua medicorum ope non valuit convalescere.*

23 Thomas Albitius *Episcopus Calliensis ex Ordine Prędicatorum & alia plura de illo.*

24 *Item* Alexander Tibaldeus *Episcopus in Scotia*, & Petrus Antonius Angelinus *Episcopus Nepesinus.*

25 *Ex Abbate Casinensium Cęsenę Isidorus Clarius provectus est ad Episcopatum Fulginatensem.*

26 Hieronymus Dandinus *Cardinalis Cæsenas, & pręclara ejus opera.*

27 Anastasius Ubertus *fit Episcopus Imolensis*. Bartholomęus Veteranus *Pręlatus Romanę Curiæ.*

28 Franciscus Albitius *senior*. Nicolaus Schiavina. *Et* Hieronymus de Cæsena, *viri eximii &c.*

29 *Fr.* Bartholomęus de Cacciaguerris *Capuanus meritis claruit unà cum germano fratre, suo.*

30 *Alius item Fr.* Bartholomęus Cæsenas *ejusdem Ordinis apud suos valdè commendatur.*

1 SEdebat in solio Vaticano Julius PP. II. quando Petrus Mentius Cæsenæ Antistes, & in antè pretergresso Capite memoratus, ad æternam requiem transivit. Successor autem ei datus est *Fatius Santorius Episcopus Cæsenas LXXXVI.* electus anno 1504. & natus apud Viterbum (1). In antiquis memoriis nuncupatur quoque Fatius de Gattis (2). Meritis præfulgens ornatus fuit purpura Cardinalitia, titulo S. Sabinæ à Iulio præfato Pontifice (3). Cujus familiarem in minoribus extitisse ferunt. Vocabaturque communitèr Cardinalis Cæsenatensis (4). A' Papa obtinuit quoque Pampilonensem Episcopatum, sed obstitit constantèr Ioannes Rex Navarræ, ne possessionem illius consequi posset. Velut autem noster Præsul efficacitèr laboravit pro componendis jurgiis, & dissidiis, quæ ferebant inter Cæsenates, partim hinc, partim indè factionibus contrariis inhærentes (5).

2 Fatius vir ditissimus censebatur (6). Et Romæ possidebat spectabile palatium, quod posteà fuit familiæ Roboreæ Ducum Urbinatum, deindè ad Aldobrandinam transivit, & nunc est Principis Pamphilij, propè Diaconiam S. Mariæ in Via Lata. Super cujus palatii nonnullis januis adhuc cernuntur marmorea insignia dicti Cardinalis, continentia palmam erectam, & dispansam cum zona transversa. Præfuit autem Fatius Cardinalis Ecclesiæ Cæsenati usque ad annum 1510. quo in alma Urbe fato cessit die 22. Martii (7) mærore confectus, quod à gratia Julii Pontificis decidisset, atque in Vaticano sepultus est (8). Legitur alicubi, occubuisse ictu fulminis: quod si verum est, impegit in mortem forma non insolita etiam viris eximiis. Nam & Hatto Archiepiscopus Moguntinus appetitus lapsu fulminis repentini decessit (9): prout contigit quoque S. Simeoni Stilitæ (10). Ne loquamur de Tullio Hostilio Romanorum Rege (11). Et de Caro, atq. Anastasio Imperatoribus [12] consimili morte sublatis. Nec non de celebri Medico Esculapio (13) quem concernunt carmina Maronis (14).

Ipse

[1] *Ciacon. Vit. Pont. in ter Card. Iul. 2.*
(2) *Claramon. Histor. Cæsen. lib. 10 fol. 730.*
[3] *Hier. Garimbert. Vit. Pontif. fol. 118*
[4] *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 41.*
(5) *Vide supra cap. præced n. 8*
[6] *Scip. Claram loc. cit.*
(7) *Idem Claram. fol. 755. Manz. ubi sup.*
[8] *Ughel. Ital. sac. to. 2 in Epis. Cæsen. n. 69.*
(9) *Crantzius lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 4*
[10] *Card. Baron in not. ad Martyrol. 5. Januar.*
(11) *Valer. Max. lib. 9. cap. 12 Plin. lib 28 cap. 2.*
(12) *Sabellic lib Ennead. 7. & aliis in vitis Imperat.*
(13) *Plin. l. 29. cap. 1.*
[14] *Virgil. Æneid. lib. 7.*

Ipse repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phebigenam stigias detrusit ad umbras.

3 Cardinali Santorio ad clauum Cathedralis nostræ sedente anno 1505. *Monachorum Cælestinorum* Cænobium ferè totum fuit igne consumptum: quod postmodùm in ampliorem, venustoriemque formam convaluit. Circa pariter hæc tempora, vel paulo ante, initium habuit Conventus *Fratrum tertii Ordinis* S. Francisci: de quo Chronologista ipsius Instituti hæc recenset.: *Conventus S. Rocchi Cæsenæ propè mœnia huius civitatis, & ad latus fluminis extabat ante annum 1505. quo eidem donata fuit una petia terræ hortivæ 40. tabularum circiter, propè quam erat jam ædificatus Conventus, cum onore unius Missæ singulis ebdomadis pro anima equitis Vincentii quondam Francisci Cassini de Cæsena donatoris, & suorum* (15).

4 Defuncto Cardinali Episcopo præfato, datus est successor *Chrisophorus de Spiritibus Episcopus LXXXVII.* itidem patria Viterbiensis, electus anno 1510. (16). Reperitur quoque nominatus, Petrus Christophorus, fulsitque titulo Patriarchæ Hierosolymitani: & Romæ possedit Canonicatum Basilicæ Liberianæ [17]: ubi quotannis celebratur ejus Anniversarium, sub denominatione Episcopi Cæsenati. Interfuit Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. eique subscripsit (18). Fuerat præcedenter Apostolicus Referendarius. Et de illo perplura effatur Octavianus Vestrius (19). Quo tempore Cæsenati Ecclesiæ præerat Christophorus, Paulus Papa III. illum una cum Episcopo Bononiensi constituit Judicem Hebræorum, ex Hispania venientium, ut apud Anconam lares figerent permanentèr.

5 Eo quoque sedente apud nos, in mortem impegit Cæsenæ die 22. vel 24. Septembris, *Petrus Isualli's* Cardinalis S. Cyriaci (20): natione Siculus, ortus Messanæ, atque Archiepiscopus Rhegii apud Calabros, unde Cardinalis Rhegiensis communitèr vocabatur (21). Purpuram obtinuit ab Alexandro PP. VI. deprecante pro eo Ferdinando

(15) *Franc. Bordon Chronol. Frat 3. Ord. cap. 18.*

(16) *Claram. Histor Cæsen. lib. 10. f. 157.*

(17) *Paul. de Angel. descrip. Basil S. Mar. Maior lib. 3. cap. f. 40.*

(18) *Labbe to. 14. Concil. fol. 203. & 282.*

(19) *Octav. Vestrius in Prac. lib. 5. cap. 3. tit. de Utroq. Signat.*

(20) *Manzon. Chronol. Cæsen fol. 41.*

(21) *Garimber Vit. Pontif. &c. fol. 107.*

Siciliæ Rege. Legatione item functus est ad Reges Hungariæ, Bohemiæ, ac Poloniæ. Ipsique Regi Bohemiæ adstitit, eunti contrà Hæreticos Fossarios. Romandiolæ quoquæ præfuit Apostolici Legati officio (22). Et quamvis doctrina, splendoreque natalium deficeret, ita nihilominus aliis virtutibus, & meritis prævaluit apud Principes, ut moderator diceretur Orbis, & Urbis (23). Missus tamen à Iulio PP. II. cum acie militum contra Ioannem Bentivolum occupatorem Bononiæ, clade accepta, retrocessit confusus. Denique sive mærore inde concepto: sive defatigatus ex cursu, quia nimium citatis equis Romam properabat; Cæsenæ obdormivit in Domino: illiusque corpus Romam delatum, in Basilica S. Mariæ Majoris humatum est: cujus Archipresbyteratu fulgebat (24).

[22] *Ciacon. Vit. Pontif. in Card. 27. Alex. 6.*

(23) *Io. Palat. Fast. Cardinal. in Card. 20. Alex. 6. f. 470.*

(24) *Morer. Diction. Histor. Verb. Isualles Ciacon & Palat. locis cit.*

6 Ejusdem Christophori Antistitis nostri, & Patriarchæ tempore, Hadrianus Papa VI. Indulgentiam plenariam concessit adscribi se facientibus Confraternitati sanctissimi Sacramenti, erectæ in Cathedrali: & visitantibus, ac manu liberali adjuvantibus Montem Pietatis [25]. Nec non præclaro fovit Cæsenates Indulto, ut cuncta Beneficia Ecclesiastica, Civitatis, & Diæcesis, non nisi civibus, & incolis ejusdem conferri possent. Salvis attamèn quibusdam limitationibus ibi expressè indicatis (26). Notaque dignum est, quod Clemens PP. VII. ejusdem successor, cum Præposituram, primam post Pontificalem in Cathedrali dignitatem, Federico Manfredo contulisset, id Canonicis, & Capitulo ejusdem Ecclesiæ suis literis Apostolicis denunciavit, ut eundem ad obtentæ Præbendæ introducerent possessionem (27).

(25) *Brev. Hadrian. 6. in Archiv. Communit.*

[26] *Hadrian. PP. 6. die 26. Iunii 1523.*

[27] *Breve Clement. 7. anno 1520. in Archiv. Communit.*

7 Christophorus item Episcopus, & Patriarcha præfatus dilexit summoperè *Hieronymus Malusellium*, Cæsenati Clero ab eo insertum, & honestis parentibus natum haud longè à Civitate in pago territoriali Cęsenæ, cui nomen *Mensa*. Probitatis, & virtutum hujus laudabilissimi viri, Antistes captus amore, illum fovit, adjuvit, & ad sacros Ordines benigne promovit [28]. Ac equidem optimo re-

(28) *Bernard. Manzon. Chron. ... Cæsen. fol. 100*

rum

rum eventu. Nam idem Hieronymus de die in diem semper proficiendo, ad ingens meritorum culmen ascendit: pietate, fervore spiritus, & vitæ sanctimonia, ita factus illustris; ut profectus deinde Ravennam ad commorandum; ibi cunctis gratum sè redderet; omniumq; oculos ad se traheret. Quam ab rem convocatis multis propositi sui sociis, anno 1530. instituit Religiosum Ordinem, *Boni Jesus* Ravennatensis nuncupatum, cooperantibus duabus Beatis fæminis Margarita, & Gentile (29).

8 De hoc Instituto Regulari agunt plures Auctores (30). Viguitque 120. annis, & ultrà: donec diminutus numero, & disciplina languescens, auctoritate Apostolica suppressus fuit. Recolendum vero est hic, quod Cæsena dedit alios octo Generales Ministros, Præpositos, sive Priores, diversis Ordinibus Regularibus. Et sunt *Paulus de Angelinis*, ac *Stephanus Claramontius*, ambo Generales Capucinorum. *Placidus Fantinus* Tertii Ordinis S. Francisci. *Basilius de Berardis* Præmonstratensium. *B. Bartholomeus Malerba* Eremitarum S. Hieronymi. *Michael Fuscus* totius Ordinis Minorum, tunc nondùm divisi plures in partes. Et *Matthæus*, atque *Marcus de Cæsena* Augustinianorum Jambonitarum: ac equidem taliter, ut Prior Conventus Augustiniani S. Mariæ de Cæsena censeretur quoque Prior Generalis ipsius Instituti. Ad culmen igitur honorificentiæ hujusce speciei deerat, ut haberet quoque Fundatorem alicujus Ordinis Regularis. Et hunc habuit in mox fato Hieronymo, itidem sui Ordinis Boni Jesus Ministro Generali. Cujus vita cum jam typis impressa sit, sufficiat eam indicasse (31).

9 Religioso item habitu Christophorus Episcopus Cæsenas induit *Clarinam de Candolis* virginem piissimam, in villa Lizzani agri Civitatis nostræ, natam honestis parentibus, cui Deiperam visibilitèr apparuisse anno 1535. constans traditio est. Puella ista successivè ingressa Conventum Sanctæ Claræ Cæsenæ, virtutibus floruit, & meritis plena: demùm ad cælites evolavit anno 1583. (32). Parentes verò

illius

(29) *Simone Marinus in Vit. borum triam.*

[30] *Silv. Marul. Ocean. Relig. l. 5 fol. 398 Barbos. Iur. Eccl. lib. 1 cap. 41 n. 157. & aliis*

(31) *Simon Marinus Vit. delle Beate Margarita, e Gentile, e del P. D Girolamo &c. Venetiis ann. 1617.*

(32) *Bernardo Manzon Chronol. Cæsen. fol. 67.*

illius locum apparitionis, dictum *Fontana vecchia* ejusdem villæ Lizzani, dono dederunt Fratribus Franciscanis Conventualibus: qui Ecclesiam, & Conventum sui Ordinis ibidem ædificaverunt (33): & adhuc ipsum possident. Quo & in memoriam præfatæ apparitionis, tam Cæsenates, quam finitimi populi, peculiaris devotionis ergo confluere sæpe solent.

(33) *Vide Rodulph. de Tussignan in Hist. Seraphic. lib. 2 fol. 209.*

10 Placet hic referre admodum commendabile factum, vereque pium, & religiosum, pertinens ad ætatem, quam præsens caput concernit. Invaluerat Cæsenæ pravus mos, ut quidam laxioris vitæ, se minus religiose gererent in Ecclesiis, per eas obambulando, etiam tempore divinorum: immemores, quod *Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est* (34). Cœtus ergò Senatorius Cæsenatum, zelo divini honoris, & reverentiæ sacris ædibus debitæ concitatus (absente fortè tunc Episcopo, vel aliter non valente talem abusum eliminare) anno 1546. apud Cardinalem Legatum provinciæ Romandiolæ instantèr egit, ut districtè quibuslibet inhiberet sub pæna excommunicationis, nè præsertim tempore divinorum officiorum, auderent per Ecclesias obambulare [35].

[34] *Antiphon. in Offic. Dedic. Eccl.*

[35] *Iusso Legati Dat. Faventiæ 30. August. 1546. in Archiv. Communit.*

11 Ad senium denique properans Christophorus Episcopus, Coadjutorem in Episcopatu sibi designavit Joannem Baptistam de Spiritibus, ejusdem ex fratre nepotem die 20. Novembris 1545. (36): quem immeritò non nulli adsiscunt Elencho Antistitum Cæsenatum (37). Quandoquidem nunquàm fuit approbatus, neque consecratus: tametsi se Coadjutorem electum nuncuparet. Sanè Paulus PP. III. & sequentes Pontifices restiterunt, nè hujusmodi Coadjutoria intentum sortiretur effectum. Quamobrem Joannes Baptista, ne hoc qualitercumque adepto denudaretur honore, illum spontè deposuit anno 1556. (38). Quo & patruus quoque Christophorus Episcopus die 6. Novembris, ætate longævus obdormivit in domino: fama ingentis doctrinæ commendatus.

(36) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 42.*
(37) *Claram. lib. 16. fol. 757*
(38) *Manzon. loc. cit. f. 19.*

12 Ejus

12 Ejus locum implevit *Odoardus Gualandus Pisanus Episcopus Cesenæ LXXXVIII.* (39). Is laurea Doctorali Bononiæ adepta, Romam se contulit: ubi à Julio PP. III. benignè susceptus, eo defuncto invenit gratiam coram oculis Pauli PP. IV. qui dedit illum Antonio Carafæ nepoti suo, ut apud eum fungeretur munere secretarii: Deindè ab ipsomet Pontifice obtinuit Episcopatum Cæsenatem anno 1557. vel sequenti. Et ad hunc regendum se conferens, solemni pompa, cunctorumque plausu, & lętitia Cæsenam intravit: atque ibi per annos 30. fulsit magna doctrina, & probitate, nec minori pastorali sollicitudine. Insistebat, ut Ecclesiæ tàm urbanæ, quàm diæcesenæ restaurarentur, ac mundæ, atque ornatæ servarentur. Sermones item ad populum habebat, & ut Clerus quoque se addiceret prædicationi verbi Dei, satagebat.

[39] *Scip. Claramon. Histor. Cæsen fol. 757*

13 Sed & delectabatur Academicis actionibus ad studia bonarum artium fovenda. Undè incæpit invalescere apud Cæsenam Consortium illud literarium, Poetices, Oratoriæ, amænorumque studiorum, exercitiis incumbens, quod nostra ætate honorificum nomen habet, *Academię Offuscatorum*, exhibens pro stemmate *Viam Galaxiam* cum lemmate *Iuncta renident*: allusivo fortasse carmini Manilii: Collato fulgore nitent. Dè ipsa fascia cælesti, quæ dicitur etiam *Via Lactea*, cecinit Ovidius.

Est via sublimis Cælo manifesta sereno

(Lactea nomen habet) candore notabilis ipso.

Hac iter est superis ad magni regna Tonantis. [40]

De illa, variisque, ac miris ejus effectibus, non nulla refert Plinius [41]. Constatque ex *congerie plurium stellularum invicem collucentium* (42). Et Phenoschema præfatum, vulgò *Impresa*, significat, quod quemadmodùm astra Galaxiæ, tametsi exigua rutilant, quia simul conjuncta, sternuntque iter ad regna tonantis, ita & scientiarum cultores concordia uniformi, ac mutua opitulatione clarescunt, atque ad immortalitatem famæ feruntur.

(40) *Ovid. Metamorphos. l. 1.*

(41) *Plinii. l. 3. c. 29.*

[42] *Hieron. Vital. Lexic. Mathemat. V. Galaxia.*

14 Anno 1570. convocatum fuit apud Cæsenam Capitulum

tulum generale Fratrum Servitarum, cui Odoardus Episcopus præsedit nomine Cardinalis Farnesii Protectoris ejusdem Ordinis: Ibidemque fuit electus Magister Generalis Fr. Stephanus Bonuccius de Aretio (43), qui munus Theologi exercuerat in Concilio Tridentino, indè apud Hugonem Cardinalem Boncompagnum (posteà Gregorium PP. XIII.) dum fungeretur Hispanica Legatione: Demùmque Cardinalatum, & Episcopatum Aretinum adeptus est (44). In eodemque Capitulo Præses Odoardus inhærens jussioni Cardinalis Michaelis Bonelli, Alexandrini appellati, legi fecit Bullam S.Pii PP.V. mandantis unionem Congregationis, & Ordinis Servorum (45).

15 Sed & ipsiusmet Odoardi Gualandi Episcopi tempore, iterum Cæsenæ celebratum est capitulum generale præfati Ordinis Servorum B. Virginis Mariæ die 4. Junii 1588. in quo ad officium Prioris generalis assumptus fuit Fr. Joannes Baptista Librantius de Butrio. Et præterea sanctione capitulari promulgata fuerunt varia decreta in posterum observanda: quorum primum fuit, quod tàm Regentes studiorum, quàm discipuli, doctrinam sequantur D.Thomæ Aquinatis, atque hujusce Summam intrà triennii cursum perficiant (46).

16 Ad hæc Odoardus Episcopus pacificandis, quæ suboriebantur in populo discordiis, libentèr operam dabat. Orphanos quoque, ac derelictos adjutorio destitutos colligebat, ut & alerentur, & instruerentur in via Domini, & ut manuale aliquod artificium edíscerent, quo adulta ætate sibi possent victum providè comparare. Unde anno 1576. habuerunt initium bina Orphanotrophia, alterum pro pueris, alterum pro puellis educandis, legitimè natis, & destitutis utroq; parente. Ad spuriorum differentiam utriusque sexus, qui alibi respectivè aluntur, educantur, instruuntur magno numero in binis xenodochiis, dictis SS. Crucifixi, & S. Antonii Abbatis: ubi & infantuli expositi recipiuntur: & puellæ adolescentes traduntur nuptui subsidio adjutæ dotali.

17 Con-

(43) Garbius Annal. Servor. Centur. 4. lib. 3 cap. 11. f. 221.

(44) Ciacon. Cit. Pontif. in Card. 23 Sixti 5. tom. 3.

(45) Garbius loc. cit. cap. 12.

(46) Idem to. 2 Centur. 4. lib. 5 cap. 4. fol. 282.

17 Contemporaneè quoquè consultum fuit resipiscentiæ, atque honestati mulierum, quæ post vitam lubricè ductam, castitatem colere decreverunt: erecto Conventu, in quo recipiantur, & alantur, prævia susceptione habitus monastici, & professione religiosa solemnitèr emissa, non secus ac fit ab aliis Sanctimonialibus. In Ecclesia, cui Conventus idem adhæret, lapidaria extat Inscriptio, ita resonans: *Deo, Optimo, Maximo: Hanc sacram Ædem, & conjunctam Domum, quibus pœnitentium mulierum pudicitiç, pietatique consuleretur, Scipio Gottifredus de Isgo Comes ęre proprio fundandas, atque exædificandus curavit, anno salutis 1576. Gregorio XIII. Pontifice maximo, Adeardo Gualando Episcopo.*

18 Qui pariter Antistes anno 1584. Ecclesiam S. Mariæ de Sala constituit parochialem, eique subjecit regendas in spiritualibus varias familias, per loca finitima commorantes; detractas Archipresbyteralibus Curis Portus Cæsenatici, Bulgariæ, atque Ruffii; ad quas propter nimam respectivè distantiam, non nisi difficulter poterant accedere, ut Missam audirent, & reciperent Sacramenta: sine quibus perpluriès contingebat ægrotantes ex hac vita decedere: Talibus verò deordinationibus, & eventibus luctuosis, pro vidum remedium attulit dictæ novæ parochialis erectio.

19 Præterea Odoardus Episcopus erexit *Seminarium Clericorum*, illudque Regulis benè conceptis instruxit. Diæcesanam item Synodum celebravit, quæ typis impressa reperitur. Necnon interfuit Concilio Provinciali Ravennatensi suo tempore convocato (47). Addidit & Episcopio ædes depressiores, dextrorsum illi adhærentes, quæ prius erant Præposituræ Cathedralis: data huic Præbendæ compensatione quarumdam terrarum ruralium. Nonnunquàm æstivari solebat in Castro Carpinetæ, ubi mansionem Episcopatus propriam, restauravit, fulcivit, ornavit, & in ejusdem impluvio, ad colligendas aquas de Cælo labentes, elegantem condidit Cisternam, adhuc extantem, & comptam exterius columnis marmoreis; quarum

[47] *Hieron. Rubeus in Histor. Raven.*

rum ſimili ſuperliminari cernuntur inſculpta ejus inſignia gentilitia.

20 Diuturnitas regiminis graves attulit eidem tribulationes: in quibus prudentiæ ſuæ ſpecimen dedit. Neque inter has, neque à curis paſtoralibus diſtentus, literaria ſtudia dimiſit, legalibus præſertim addictus: compoſuitque (48) Opus de *Moribus, & civili facultate* in 15. libros diſtinctum. Deniquè anno 1588. dimiſſa Eccleſia, ut in ſuum nepotem tranſiret, Romam ſe contulit. Ubi decrepitæ jam ætatis diem ſuum clauſit extremum die 17. Martii 1597. *Vir omnigena doctrina, ſumma prudentia, morumque integritate nunquam ſatis laudatus* [49]. Ejus epiſtolam Romæ datam die 29. ſeptemb. 1560. & Neapolim directam Alphonſo Rotæ, refert Bartholomæus Zucchius (50). Et ipſius Odoardi effigies, expreſſa naturalitèr arte pictoris, continetur in Icone Altaris Capituli Canonicorum Cathedralis, à parte dextera.

[48] *Vivian. de Jurepatronat. par. 1. lib. 3 c. 2 n. 95. fol. 139.*

(49) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæſen. f. 42*

(50) *Zucchi Idea del ſecreto. pag 233.*

21 Odoardo patruo ſuffectus eſt nepos *Camillus Gualandus, Epiſcopus Cæſenæ LXXXIX* (51): Electus die 30. Martii anno 1588 (52). Fuerat prius Parochus Eccleſiæ S. Mariæ de Boccaquatuor: indè Præpoſitus Cathedralis. Præſtabatque bonis moribus, ac libentèr pauperes eleemoſynis adjuvabat: nec non officium paſtorale laudabilitèr exercebat. Controverſiam habuit cum Magiſtratu propter familiares, quos poſt ſe ducebat occaſione Proceſſionis ſanctiſſimi Corporis Chriſti; renuentibus Conſervatoribus ſubſequi aulicos Epiſcopi. Romaque advenit juſſio, ut Antiſtes unicum poſt ſe duceret miniſtrum à Syrmate (53). Tunc nondùm prodierat Cæremoniale Epiſcoporum Clementis VIII. quod aliter diſponit.

(51) *Claram. Hiſtor. Cæſen. l. 16 fol. 757.*

[52] *Manzon. loc. cit. fol. 42.*

(53) *Epiſtol. Card. Sege. 24 Martii 1592. in Archiv. Communis*

22 Progreſſu temporis Camillus in gravem ægritudinem lapſus, ita hebetatus eſt mente, ut ſtolidus videretur. Nedùmque remediis humanis adhibitis, ac longe à cura Medicorum non convaluit; ſed imo tandem in dementiam formalem proruit omnino inſanabilem. Quapropter à conſanguineis Piſas in patriam traductus, ibi poſtremo fatuas occu-

occubuit die 11. Februarii anno 1609. Illi ergò contigit infortunium, quod etiam Episcopis advenire posse, sacri Canones prævidenderunt (54). Ejus effigies penicillo formata cernitur in Icone Altaris Capituli Canonicorum, à parte sinistra.

23 Nùnc de viris illustribus Cæsenatibus, qui dignitatibus Ecclesiasticis emicarunt, currente periodo temporis, præsenti capite circumscripti. Et in primis occurrit *Fr. Thomas Albitius*, filius Nicolai, nati ex Maso, quem genuit Raynaldus Florentinus, patria exclusus propter dissidia, quę habuit cum Cosmo Medico, prout meminit Jovius (55). Idem Thomas matrem habuit Castoriam filiam, vel sororem Flavii Blondi Foroliviensis historici notissimi (56). Qui Blondus, ut inquit Pius PP. II. *mortuus est Romę pauper, ut Philosophum decet: familiam bene institutam reliquit utriusque sexus. Patrimonium, quod habuit tenue, dotium causa inter fœminas divisit: masculis, præter doctrinam, bonosque mores, nihil reliquit: id morienti sat fuit, ejus ętatis filios dimisisse, qui sibi ipsis consulere possent* (57).

24 Et quoad Thomam præfatum; hic adolescens Ordinem Prædicatorum ingressus profecit in eo usque ad Magisterium sacræ Theologiæ: quo ex gradu a Leone Papa X. Episcopatu Calliensi honoratus fuit anno 1513. Eidemque Ecclesiæ admodùm profuit per decennium [58]. Interfuit Concilio generali Lateranensi quinto: & in eo libertatem Ecclesiæ strenuè propugnavit (59). Ad Episcopatus deinde Bethlemitani titulum translatus est anno 1524. & ad nativum Cænobium Cæsenate regressus, ibidem obiit (60). Alium civem nostrum simili dignitate ornavit mox fatus Leo Papa, videlicet *Alexandrum Tibaldeum*, factum Episcopum in Scotia (61). Successivè pari honore decoratus refulsit *Petrus Antonius de Angelinis*, Protonotarius Apostolicus, & almæ Urbis Gubernator, qui à Paulo PP. III. constitutus fuit Episcopus Nepesinus, & Sutrinus die 7. Augusti 1542. (62): illasque unitas rexit Ecclesias usque ad annum 1553. quo e vivis raptus est (63).

[54] *Cap. Pastoralis de Cleric. egrot. in 6. cap. indicas. 14. caus. 3. qu. 9.*

[55] *Paul Iovius Homin. Illustr in Cos. Medic.*

(56) *Manzon. ubi sup fol. 95.*

(57) *Pius 2. Comment. l. 11 f. 310.*

(58) *Gio. Michel Pio Huom illust. di S. Domen. par. 2. l. 4. fol. 48.*

[59] *Ughel. Ital. Sacr. in Episc. Calliens*

(60) *Manzon. Chronol Cæsen f. 95 & 208.*

[61] *Claramon Histor. Cæsen. l. 16 fol. 757.*

[62] *Ughel. & Lucent. Ital. sacr tom. 1. in Episc Nepesin & Sutrin.*

(63) *Manzon. loc. cit. fol 91.*

Bbb 2 25 Sunt

25 Sunt qui Cæsenatem putant etiam *Isidorium Clarium* Episcopum Fulginatem, virum pium, & doctum, omnique veneratione dignum. Sed re vera prodierat ex Castro Clario diæcesis Brixianæ, humilibus ex parentibus (64). Ad nos verò pertinet, quatenùs cum esset Monachus Benedictinus, per varios gradus ad Abbatiale decus ascendit, & hoc munus tempore diuturno exercuit in Monasterio Cassinensi Cæsenæ: indeque assumptus est ad Insulas Fulginates die 29. Januarii 1547. [65]. Plures literarios fætus elucubravit, de quibus Antonius Possevinus (66). In Concilio Tridentino adeò eluxit, ut ejusdem dicta oraculi quodammodo loco à Patribus haberentur. Cujus & eximiam devotionem in Deiperam, & alienationem à consanguineis commendat Abbas Lucentius (67).

[64] *Idem ubi supr. fol. 206.*
(65) *Ughel. & Lucent. It. l. sacr tom 1. in Episc Fulgin.*
[66] *Possevin. Apparat. sacr. tom 1. Verb. Isidor. Clarus.*
(67) *Lucentius Ital. sacr to. 1. in Episc Fulgin num. 51.*
[68] *Claram. Histor. Cæsen. l. 16. fol. 737.*

26 Patriam per idem tempus illustravit *Hieronymus Dandinus Cardinalis* (68), Anselmi ejusdem cognominis, & Joanne Moratinæ filius. Qui post varios gradus Ecclesiasticos Cæsenæ obtentos, Romam profectus adhæsit Alexandro Cardinali Farnesio, ejusdem à secretis: eoque in munere perrexit etiam postquam Alexander versus est in Paulum PP. III. A quo successivè Casertanum Episcopatum obtinuit anno 1542. Et quadriennio post Imolensem. Nuncius quoque Apostolicus ad Franciscum I. Galliarum Regem accessit. Alia demùm præclara munia exercuit, quibus in dies meritis auctus, Cardinalatu tituli S. Matthæi in Merulana decoratus fuit a Julio PP. III. anno 1551. Illum Olivetani Monachi, nec non Fratres Ordinis Servorum B. Virginis, Protectorem habuerunt. Functus est item Legatione Apostolica pro concilianda pace inter Carolum V. Imperatorem, & Henricum II. Regem Gallorum. Denique Romæ mortem subiit die 4. Decembris 1559. ætatis suæ 50. in Ecclesia S. Marcelli tumulatus: ubi ejus imago, & epitaphium patet, à Manzonio nostro relatum (69), imago, inquam, expressa penicillo Titiani: cujus en exemplar.

(69) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 79. & c.*

27 Ad



27 Ad nepotem ex sorore transeamus ejusdem Cardinalis, nimirùm ad *Anastasium Ubertum*, professum Regulam S. Benedicti anno 1533. & Monachorum Casinensium Cenobii Cæsenatis Decanum: qui anno 1552. à Julio PP. III. assecutus est Episcopatum Imolensem, ab Avunculo resignatum, rexitque illum usque ad annum 1558. quo mortuus est. Ac tunc idem Cardinalis adhùc superstes, eandem Ecclesiam iterum administrandam suscepit (70). Sed & ipse illam citò rursus dimisit, morte sublatus anno sequenti, ut dictum est. Dedit quoque Cesena, currente hoc ipsomet sæculo, alium Prælatum Romanæ Curię, cui nomen *Bartholomęus Veteranus*, tempore Clementis Papę VII. (71). De illo verò pręter nomen, cognomen, & dignitatis titulum, ad nos alia notitia non pervenit.

[70] *Bernard. Manzon Chronol. Cęsen. f.* 71

[71] *Idem loco cit fol.* 102.

28 Proderit & hic non silere *Franciscum Albitium* seniorem, Ioannis Baptistæ filium, Iurisperitum egregium, qui per annos 14. magna integritate, ac prudentia fungens officio Vicari generalis, operam suam navavit Nicolao Cardina-

dinali Sfondrato Episcopo Cremonensi, assumpto denique ad summum Pontificatum sub nomine Gregorii XIV. ac post paucos menses extincto. De quo Francisco plura Bernardinus Mauzonius (72). Fiat & mentio *Nicolai Schiavinæ* Theologi, per diversos gradus evecti usque ad munus Procuratoris, indè quoquè Vicarii generalis totius Ordinis Servitarum, quem fuerat professus (73). Deniquè in hoc ipsomet Instituto regulari resplenduit *Fr. Hieronymus de Cæsena* (cujus cognomen ignoratur) insignis verbi Dei proclamator super ambonibus ecclesiasticis (74). Quem in Annalibus illius Ordinis affirmatur fuisse *in declamando eius eloquentiæ, ac virtutis, ut Ecclesiæ plerumque auditoribus capiendis minimè sufficerent: ideòque per plateas verbum Domini enunciare aliquando teneretur*. Floruit anno 1565. (75).

(72) Ipsemet. Mauzon. f. 75.

(73) Gianus Annal Servor tom 2. fol. 114. 120. 131. 136. 154

[74] Mauzon. Chronol. Cæsen. f. 118.

[75] Gianus loc cit. Centur. 4. lib. 9. cap. 20.

29 Dandus est hic quoq; locus memoriç *Fr. Bartholomçi de Cçsena* Instituti Capucinorum professi, nati ex familia de Cacciaguerris patricia Cçsenate, ac dominatrice olim castri Roversani. Qui ob peculiarem solitudinis amorem appellari solebat frequenti vocabulo, *Eremita*. Provinciæ Picenæ alumnus fuit, Novitiorum magister, Definitor, & Provincialis, virtutibus religiosis, & vitæ probitate apud suos eximiè commendatus. Decessit in Conventu Murri Vallis ejusdem provinciæ anno 1592. ætatis suæ 75. suscepti habitus religiosi 46. relicto post se in eodem Ordine fratre germano, cui nomen erat *Fr. Ambrosius Cæsenas*, vir paritèr laudibus distinctus in Annalibus Capucinis (76).

(76) Bover. Annal Capuc. cin ann. 1592. nu 70. & ann. 1007.

30 Deniquè non omittenda mentio alterius *Fr. Bartholomçi Cæsenatis*, itidèm Ordinis Capucinorum, spectantis ad Provinciam Bononiensem. Ex quanam prosapia natus sit, nobis usque adhuc non innotuit. Scimus verò magisterii Novitiorum, Definitoris, & Provincialis muneribus functum esse: optimamq; opinionem sanctimoniæ vitæ de se reliquisse. Diem suum clausit extremum in Conventu Faventiç longa confectus çtate, anno 1592.: & in historiis Regularis cçtus, cujus fuit alumnus, præconiis affici promeruit (77).

[77] Ibidem an. 1592. n 13.

CA-

CAPUT XXIX.

De Laicalibus negotiis Cæsenam, Cæsenatesque tangentibus, à tempore *Clementis* Papæ VIII. usque ad annum 1700.

SUMMARIUM.

1 *Post tres breves Pontificatus electus fuit Clemens PP. VIII. ab historicis commendatus.*

2 *Jacobus Malatesta Cæsenas strenuus in armis, & ejus præclara merita in rebus militaribus.*

3 *Medea Ferretta ejus uxor, & inscriptio continens ipsius præconia.*

4 *Papa rediens Ferraria, constitit Cæsenę per biduum. Cęsar Brissius obtulit ei Relationem &c.*

5 *Rubico inflatus aquis itineri Papæ infestus. Nepos ejusdem PP. Magistratum gessit Cæsenæ.*

6 *Ob præjudicia, quę patiebantur à dominis directis bonorum emphiteuticorum, Cæsenates reclamant.*

7 *Gregorius XII. & Paulus II. Papę quid statuerint circa talia bona Cæsenę.*

8 *Innocentii VIII. Hadriani VI. & Pauli III. sanctiones circá caducitates, & renovationes investiturarum.*

9 *Pius IV. & Gregorius XIII. quantitatem laudemii statuit. C emens VIII. hęc omnia confirmavit.*

10 *De intelligentia Brevium dictorum Pontificum, innuuntur plures Decisiones Rotales.*

11 *Paulus PP. V. favit Cęsenatibus respectu ad Collegia Doctoralia, Statuta, Causas primæ instantię &c.*

12 *Idem Papa promovit ad Purpuram* Michaelem Angelum Tontum, *natum patre Cæsenate.*

13 *Vr-*

13 *Urbanus VIII. reduci posse indulsit Cœtum decurionalem ad solos octoginta.*

14 *Collegio S. R. E. Cardinalium inseruit* Joannem Franciscum de Balneo, *de quo plura.*

15 *Ob sonitum festiuum hujusce promotionis, magna campana Populi, vulgò* il Campanone, *fracta est.*

16 *Familia Cardinalis erat Cæsenas: ibique habebat palatium, bona, locum Senatorium, sepulchrum &c.*

17 *Idem Cardinalis erat abnepos primi illius ex progenie de Balneo, qui venit habitare apud Cæsenam.*

18 *Quando volebat denominari ab* urbe *patria, dicendus erat Cæsenas: secus si à patria provincia.*

19 *Legatus Romandiolę Donghius systema dedit Annonæ frumentariæ Cæsenati.*

20 Franciscus Albitius *consors factus Purpurę Cardinalitię: pluraque de illius gestis.*

21 *Floruit doctrina, & varios libros composuit, atque à Scriptoribus coetaneis laudatur.*

22 *Alexander PP. VII. auget privilegia Collegii Juristarum pro laureandis Doctoribus.*

23 Nicolaus de Balneo *armis addictus: genuit Fabricium simili exercitio incumbentem.*

24 *Idemque Nicolaus à militia ad Clerum transductus, Cardinalitio pileo denique decoratur.*

25 *Erat patria Cæsenas, & in eo finem habuit ramus illius familiæ: cui successit alius ramus Mantuanus.*

26 Jacobus Mazzonius, Scipio Claramontius, Joseph Isæus *doctrina celebres memorantur.*

27 *Claruit etiam per hæc tempora* Celsus Rosinus, *plurium auctor librorum.*

28 *Ex ejus epitaphio sepulcrali dignoscitur qum esset in scientiis excellens.*

29 Hannibal de Albertinis, & Fulvius de Angelinis *Philosophia, & Medicina præstantes.*

30 *Item* Tobias Aldinus *in re Medica, Chimicaque prędoctus: ut ex ejus Operibus.*

31 *In-*

31 *Inter Jurisconsultos claruere* Gratiosus Ubertus, *atque* Hippolytus Merenda.
32 *Recensentur qui scripserunt de materia* Concionatoria. *Et alii, qui de rè* Historica.
33 *Perplures enumerantur Cæsenates, qui libros Poeticos post se reliquerunt.*
34 Lucius de Arcano: & Maurus Verdonius: *atque* Matthæus Braschius *fœtus literarios elucubrarunt.*
35 *Fit memoria eorum, qui* militaribus *in rebus per hanc ultimam ætatem prævaluerunt.*

POst brevem Pontificatum Urbani VII. Gregorii XIV. & Innocentii IX. qui simul omnes ad complendam arctam periodum quatuordecim mensium temporis minimè pervenerunt; electus fuit Hippolytus Aldobrandinus sub nomine Clementis PP. VIII. die 30. Januarii 1592. (1). *Vir qui omni ætate, ac variis, quę obivit muneribus, egregium prudentię, probitatis, justitięque specimen dederat: adeoque singulari apud omnes existimatione præstabat* [2]. Sub hoc Principe optimo res Cæsenates prosperum habuerunt eventum. Sed antequàm de illis ulteriorem ineamus elocutionem, placet hic sermonem convertere ad unum ex præclarioribus civibus, qui honorem attulerint urbi nostræ armorum in exercitio.

[1] *Ciacon. Vit. Pontif. in Clem. 8.*

(2) *Spondanus an. 1592. n. 1.*

2 Is est *Jacobus Malatesta*, Leonidi filius (ex illa prçclari hujus cognominis familia Equestris Ordinis, quæ diù floruit Cæsenæ: prædita prius Comitatus, & deinde titulo Marchionatus). Jacobus, inquam, iste militaribus operibus, & bellica virtute, nedùm paterna, & avita merita strenuè adęquavit, verùm etiam felicitèr superavit: provectus felicitèr usque ad sublimem gradum imperii militaris phalangium Venetarum, contra hostes christiani nominis arma tractantium. Ecclesia Fratrum Minorum Observantium Reformatorum Cæsenæ, testem tantę rei exhibet lapidem hujusmodi verbis luculentèr inscriptum.

Jacobus Malatesta Leonidi filius, Roncofrigidi, Montis Giani Marchio, Montis Cogarutii Comes &c. Fide, Religione, ac Fortitudine singularis Disciplina, ac virtute militari intèr Duces clarissimus. Animi magnitudine, & in Ecclesiis, piisque locis erigendis, Castrisque suæ ditionis ampliaudis, priscis Malatestis Principibus merito comparandus: per varios casus, discriminaque semper invictus: In multis expeditionibus bellicis pro Christiana Fide: & in auxilio Melitæ à Turcarum classe obsessæ M. M. peditum Dux. In Regno Cypri, in Epiro &c. generalis gubernator: ubi strenuè pugnans, fortuna, non virtute subacta, è vulneribus penè vivus Turcarum Imper. Constantinopolim captivus ductùs. Post intercessione Caroli IX. Galli Regis in libertatem restitutus, universæ militiæ Venetæ clarissimus Imperator creatus, anno Jubilei MDC. ætatis suæ LXX. Hebdomidæ sanctę, die, & hora, in qua Salvator mundi expiravit, placidè, intrepidèque diem clausit. A Clemente VIII. P. M. omnibus benedictionibus, absolutionibusque receptis, pulcherrimum exemplum militaribus viris. Antonius Maria Sanctius Eugubinus Domino suo clementissimo, benemerito, paruum hoc monumentum poni curavit.

3 Jacobo ad cælites properanti præiverat jam judè à quadriennio *Medea Ferretta* ejus uxor æquè conspicua,

&

& virtutibus plena: quæ tumulari voluit in Ecclesia Fratrum Capucinorum Cæsenæ. Solebant porrò hi præclarissimi jugales, & eorum familia Malatestia ęstivo præsertim tempore residere in arce illorum Comitatus Montis Cogorutii Cæsenæ proximi: ubi habebant mansionem nobilissimam. Inestque adhùc districtui ejusdem Castri prædium dotale dictæ Medeæ, quod nostro quoque tempore nuncupatur *la Ferretta*. Et in Ecclesia item ipsiusmet Castri, olim Fratrum Conventualium, extat lapidea tabula, continens hanc Inscriptionem.

Medeę Ferrettæ Malatestæ, Jacobi Marchionis I. Conjugi dulcissimæ, animi candore, probitate, religione, & pietate insigni, pauperum, familiarumque piissimæ tutrici, in regendis subditis, ac domo gubernanda prudentiæ incomparabilis. Quæ cum ad virtutis Christianæ exemplum innocentèr vixisset, gravissimo morbo jam diu excruciata constantèr, ac sanctè requievit in Domino octavo idus Augusti anno Domini 1596. Et cum suum corpus in Capucinorum ęde extra Cæsenam condi jussisset, gratum hoc monumentum hic Antonius Maria Sanetius, sui in illam devoti animi Patronæ S. P. M. P. C., *Idest* sua pecunia memoriam poni curavit.

4 Regredimur sermone ad Clementem PP. VIII. pro eo, quod concernit Civitatis nostræ negotia: & favores, ac beneficia eidem liberalitèr concessa. Magnanimus hic Pontifex profectus est Ferrariam, ut urbem, & ducatum ejusdem nominis, ad Sedem Apostolicam devolutum per obitum Alphonsi II. Ducis absque filiis, recuperaret, firmiusque

que sua præsentia concorporeum faceret reliquo statui temporali Ecclesiæ Romanæ (3). In eundo, per Oppidum Portus Cæsenatici transivit: & in redeundo, Cæsenam advenit. Utraque vice Oratores nostræ Civitatis ei *obviam missi* sunt *ad territorii fines*; *ulterius enim ipse inhibuerat* (4). Constitit autem Cæsenæ per biduum, hospitio condignè receptus in magno Palatio Prætoriali, olim ædificato ab Ægidio Cardinali Carilla. Ex quo mane procedens ad proximam Ecclesiam Parochialem, olim Cathedralem S. Joannis Evangelistæ, ibi Missam celebravit: ut ex publica memoria ibi apposita, & adhuc omnibus manifesta. Tunc *Cæsar Brissius* patritius Cęsenas Relationem succinctam conscivit recensentem statum, qualitates, & honorificentias Cæsenæ, quot, & quales brevi temporis interstitio colligere potuerat: eamque typis impressam obtulit reverenter eidem Pontifici (5).

5 Abiens deindè Clemens, ut pervenit ad proximum fluvium Rubiconem, inflatum illum reperit aquarum exuberantia, in dubium revocante, num tutus esset transitus per pontem lapideum ipsi superinsidentem, & jungentem latera Vię Æmiliæ aquis fluvialibus interupta (6). De quibus Claramontius: *In recessu hinc Romam Clementis Octavi*, *tanta* in Rubicone *aquę copia fuit*, *ut non minus negotii nunc Pontifici*, *quam olim Cæsari in transeundo attulerit* (7). Benignam verò propensionem animi hujus Pontificis, ac ejusdem inclytæ Familiæ in Cæsenates, id comprobat, quod progressu temporis Silvester Aldobrandinus, ipsiusmet Papæ nepos, & Meldulæ Princeps, nedùm gratum habuit adgregari cætui Senatorio Consulum nostrę urbis, verùm etiam sibi complacuit in mensibus Maii, & Junii 1630. Magistratum Cæsenæ præsens gerere solemnissimè [8]: occupans inter sex Conservatores, Magistratum ipsum componentes, primum locum, quem tenere non solent, nisi Comites, & Marchiones, vel Optimates Equestri Cruce distincti, aut alio honorifico Titulo decorati.

6 Porrò dum adhuc Pontifex Clemens Ferrariæ subsiste-

(3) *Spondan. ann. 1590. n. 1.*

(4) *Scip. Claram. Histor. Cæsen. lib. 14. fol. 664.*

(5) *Cesar. Brisso Relat. di Cesena a PP. Clemen. 8*

(6) *Vincent. Cæsenas de Rubicon. fol. 20. & 78.*

(7) *Claram. Histor. Cæsen. Apparat. par. 2 f. l. 35.*

(8) *Ex Regest. Communit. Cęsen. eiusd. anni.*

ftcbat, ibique *rebus ordinandis* incumberet, *ac Principibus & legationibus undique ad ejus pedes ac edentibus excipiendis* (9). Oratores quoque Civitatis Cæsenæ ad illum properarunt, ut inter cætera, ipsius patrocinium, & providentiam implorarent contra præjudicia, quibus sępè sæpiùs implicabatur propter bona emphiteutica, & livellaria Locorum piorum. Cum enim innumera sint hujusmodi speciei bona, quæ à Cæsenatibus possidentur; irrepserat abusus nimiæ facilitatis, parumque discreti modi; quo Domini directi, titulo devolutionis, vel ob lineam, tempusve finitum: vel ob Canonem non solutum, intrave debita tempora non exhibitum: aut ob deficientiam agnatorum lineæ masculinæ: sive aliquo alio prętextu, bònis familias denudabant: sin minus easdem gravibus litigiis, & vexationibus fatigabant.

(9) *Spondan. ann. 1590. n. 1.*

7 Hinc Cæsenates multotiès præsidium Sedis Apostolicæ reverentèr implorarunt, ut adeò gravi deordinationi, rerumque perturbationi, remedium apponeret opportunum. Et equidem usque ab anno 1413. à Gregorio Papa XII. literas Apostolicas impetrarunt: quarum vigore fas esset emphiteutis bona sua liberare à jugo livellariæ servitutis, quadam congrua mercede directis Dominis persoluta (10). Quæ cum taxata non fuisset; in reditu Cæsenæ ad Sedem Apostolicam, a Paulo Papa II. anno 1468. obtinuerunt, ut pro libertate ipsa consequenda emphiteutæ solvere deberent Dominis directis quinque pro quolibet centenario justi valoris bonorum (11). Qua de re Paulus literas quoque dedit Rectori Provinciæ Romandiolæ.

(10) *Breve Greg. 12. ann. 1413. in Archiv. Commun.*

(11) *Breve Pauli II. 24. Febr. 1468. in eod. Archiv.*

8 Subsequentèr Innocentius Papa VIII. anno 1489. novo diplomate statuit pro Canone persolvendo, ultra biennium temporis adhùc dandum esse alium annum ad moram purgandam: Et hæc pupillis, minoribus, insciis, aut alia justa causa distentis, non decurreret, nisi à die juridicæ intimationis. Prætereà masculis deficientibus, fæminæ in investituris comprehenderentur. Nec non in casu devolutionis per lineam, tempusve finitum; pro-

xi-

ximioribus deberet concessio emphiteutica renovari, salva masculini sexus prærogativa (12). Deinde Hadrianus Papa VI. Indulto generali Cæsenatibus remisit quascumque caducitates emphiteuticas incursas usque ad annum 1523. (13). Duodennio post Paulus Papa III. diploma civitati nostræ contulit, cavens, ut quoties per lineam, tempusque finitum, locus fuerit devolutioni, emphiteusis renovanda esset magis proximis laudemium debitum persolventibus (14).

9 Mox Pius Papa IV. suis literis definivit, quantitatem laudemii persolvendi ab emphiteutis novas investituras adipiscentibus, excedere non debere summam à jure communi statutam (15). Videlicèt duorum pro quocumque centenario veri valoris bonorum [16]. Easdemque Pii literas novo diplomate confirmavit Gregorius Papa XIII. anno 1575. (17). Hæc autem omnia cum Oratores Cæsenates exposuissent Clementi Papę VIII. Ferrariæ consistenti, supplicantes pro eorum confirmatione, ampliorique concessione, qua indemnitati emphiteutarum consuleretur; Pontifex referentibus Cardinalibus Bandino, Aldobrandino, & Cesio, re benè perpensa; Indulta Innocentii VIII. Pauli III. Pii IV. & Gregorii XIII. novo diplomate confirmavit, ampliatione superaddita, quod in quocumque casu devolutionis, non liceret Dominis directis possessionem bonorum propria capere auctoritate, sed convenire deberent possessores eorum coram Judice competente, itidemque servatis dę jure servandis [18].

10 De intelligentia Brevis Innocentii Papa VIII. sunt plures decisiones *Rotę Romanę* coram Albergato, Merlino, Pamphilio, & aliis, *par.* 4. *tom.* 3. *recent. dec.* 741. *&* *part.* 11. *dec.* 111. ubi & aliæ similes decisiones enunciantur. Indulta item Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. non esse personalia, sed realia, & ad quoscumque bonorum possessores livellarios transitoria, declarat alia Rotalis decisio anni 1656. in contradictorio judicio cum Antistite Sarsinæ promulgata *part.* 12. *dec.* 199. Sed

&

[12] *Breve Innoc.* 8. 20. *Feb.* 1489. *in eod. Archiv.*

(13) *Breve Hadrian.* 6. 26 *Iunii* 1523. *in eod. Archiv.*

(14) *Breve Paul.* 3. 3. *Decemb.* 1535. *Statut. Cæsen. fol.* 375.

[15] *Breve Pii* 4. 12. *August* 1564. *Statut. Cæsen. fol.* 97.

[16] *l. eg. fin. Cod. de jur. emphiteut. & ibi Iason. num.* 39. *Gratian discep to.* 1. *c.* 180. *n.* 1

(17) *Breve Greg.* 13. 13. *Martii* 1575. *Statut. Cæsen. fol.* 98.

[18] *Breve Clem.* 8. 17. *Aug.* 1598. *in Archiv. Communit.*

& contrà Episcopum Cæsenatem contendentem sibi deberi laudemium quatuor pro unoquoque centenario, est Decisio Rotalis anni 1613. coram *Cocino part.* 1. *recent. dec.* 454. Deniquè adversus Præsulem Cerviensem indultis præfatis reluctantem, habentur binę similes decisiones coram Buratto die 9. Decembris 1619. & 4. ejusdem mensis 1624.

11 Post Clementem VIII. & brevissimum principatum Leonis Papę XI. tiaram Pontificalem adeptus est Paulus Papa V. Huncque paritèr Pontificem fautorem, & beneficum experta est civitas nostra. Nàm ipse Collegia Doctoralia, Jurisconsultorum, & Physicorum specialitèr confirmavit (19). Et idem fecit de Statutis municipalibus, cunctisque aliis privilegiis: ac præsertim de illo Pauli III. die 30. Decembris 1535. circa civiles causas, non alibi quam Cæsenæ in prima instantia cognoscendas, atque de alio Gregorii Papę XIV. anni 1591. circa officium Ædilicium (20).

12 Sed & non parvipendendum est, quod inter S. R. E. Cardinales adscivit *Michaelem Angelum Tontum* Archiepiscopum Nazarenum, & Datariæ Apostolicæ præfectum, his verbis à Ciaconio denotatum: Est *natus Arimini, patre Cæsenate, tenuis fortunę viro* (21). Ac proculdubiò vera familia de Tontis, ex qua idem Cardinalis per lineam rectam prodibat, erat naturalis Cæsenas. Et ego centies ab antenatis audivi nominariquosdam Presbyteros de Tontis incolas Cæsenę: atque cognovi ultimum, qui vixit ex hac sobole Fratrem Minorem Conventualem Theologiæ Magistrum, vocatum *il P. Tonti*; degentem in Conventu S. Francisci Cæsenæ, ibique defunctum, dum essem puer. Interim quia de ipso Cardinali plura dicturi sumus, ubi de ipso agemus tamquàm Episcopo Cæsenate, ulteriora hic non addimus, Icone sola illius aspectus relata.

(19) *Vid supr. c. 27. n. 17. &* 18.

[20] *Brev. Paul. 5. 1. Sep.* 1505. *in Archiv. Communit.*

(21) *Ciacon in vit. Card. Tonti sub Paul V. num.* 12.

13 Quæ



13 Quæ Paulus PP. V. Cæsenatibus indulsit circa Privilegia, & Statuta civitatis, Officium Ædillicium, cognitionem Causarum civilium;& Collegium Doctorale; Gregorius quoque PP. XV. confirmavit (22). Illum subsecutus est Urbanus PP.VIII. A quo nova sanctio publico nomine obtenta, prodivit, ut Cætus Decurionalis, sive Consiliariorum, de antiquo, constanterque custodito, numero 96. ad solos posset octoginta reduci [23]. Concessit quoque Conservatoribus Civitatis, ut in Oratorio sui palatii magistralis, quotidie Missæ sacrificium (exceptis quibusdam anni festis præcipuis) posset perpetuò celebrari (24).

[22] *Brev. Greg. 15. 17. Maii 1621 in Archiv. Com munit.*

(23) *Brev. Urban. 8. 8. Junii 1633. in Archiv. Com munit.*

(24) *Brev. Urb. 8. 20. Decemb. 1631. in Archiv. Com munit.*

14 Florebat hac ętate præclaris meritis *Joannes Franciscus ex Comitibus Guidiis de Balneo*, Patricius Cæsenas, & frater germanus major natu Marchionis Nicolai, qui erat unus ex Optimatibus, sive Consiliariis ejusdem urbis [25]. Adolescens Joannes idem Franciscus studuit Pisis: & cum in scientiis profecisset, insertus Clero, habitum Prælatitium

[25] *Claram. Histor Cæsen. post lib. 16. fol. 705.*

tium assumpsit, variasque successivè Civitates Status Ecclesiastici gubernavit. Indè Cerviēsi Episcopatui præfuit, & auctus honore Archiepiscopi Patrani; munere functus est Nūcii Pontificii apud Gallorum Regem Ludovicum XIII. Denique à Præfato Urbano PP. VIII. Purpuram Cardinalitiam obtinuit, anno *1629*. (26). Species frontis ejus est hæc.

(26) *Ciacon. Vit. Pontif. to. 4. in Card. 27. Urban. 8.*



15 Audita promotione hujusmodi eximii Civis ordinis Senatorii, tanta fuit lætitia Cæsenatum, ut magna Populi campana dicta *il Campanone*, præ nimio sonitu ingentem rimam fractura susceperit: reparatam subindè novo fusili opere Melchiorris, & Anthimi de Ambronibus Cæsenatum (27). Idem deindè Cardinalis Episcopatum Reatinum possedit per quadriennium, & ultra, usque ad annum *1639*. (28). Mox eo dimisso Romæ decessit die 25. Julii *1641*. ætatis suæ *63*. tumulatus in Ecclesia S. Alexii titulari sua: ubi marmorea, elegansque statua ipsius, & epitaphium continetur (29). De illo agit Jacobus Philippus Tomasius Episcopus Aenoniæ in elog. Virorū literis, & sapientia illustrium.

(27) *Chron. M. S. Cæsen. f. 275.*
(28) *Ughel. &c Lucent. Ital. Sac. tom. 1. in Episc. Reatin. num 69.*
(29) *Ciacon. loc. cit. in Io. Franc. Card. de Balneo.*

16 Familia hæc Marchionalis Comitum Guidiorum de Balneo (quoad propaginem, ex qua prodierat Joannes Franciſcus Cardinalis) erat proculdubiò patricia, decurionalis, & ſenatoria Cæſenæ uſque à pluribus ſæculis (30). Ubi habebat ſuum locum Conſularem cum aliis Optimatibus (ut mox diximus de Nicolao, Joan. Franciſci fratre): Palatiū quoque urbanum ſuæ propriæ permanentiæ in eadem civitate obtinebat penès Eccleſiam Servitarum. Magnam item partem ſibi aſſumebat in prævalendo ſuper negotiis civilibus, & bellicis quoque, tempore diſcordantium hinc inde civicarū Factionum: in quo terribilem ſe ſe reddidit præſertim Guidoguerra de Co. Guidiis à Balneo, valdè ſtudioſus Cæſenatis Guelphæ Factionis (31). Denique multa bona eadem familia poſſidebat in territorio Cæſenate. Ac ne quidquam ei deeſſet comprobativum illius rei, de qua nùnc loquimur; inerat ipſemet familiare ſepulchrum ſuum proprium, & gentilitium in Eccleſia Dominicanorum ipſiuſmet urbis.

(30) *Manzon. Chronol. Cæſen. f. 81. Claram. Hiſtor. Cæſen. lib. 10. f. 380.*

(31) *Idem Claram. lib. 16. à f. 742. ad 745.*

17 Attulimus aliquantò ſupra epitaphium funereū ſitum in mox ſata æde ſacra, & inſcriptū Joanni Franciſco ex Com. Guidiis dè Balneo (32). Quem Scipio Claramontius tradit fuiſſe primum ex hac progenie habitatorem Cæſenæ (33). Is prior Joannes Franciſcus ex Armelina Malateſta uxore genuit Guidoguerram, Nicolaum, & Rogerium filios. Ex Nicolao natus eſt alter Joañes Franciſcus præclarus ductor militarium acierum, qui fuit pater Fabricii. Et ex hoc Fabricio ſortiti ſunt natalia Joannes Franciſcus Cardinalis, atque Nicolaus junior fratres germani & ipſe ſucceſſivè præditus dignitate Cardinalitia (34). Itaque Joañes Franciſcus ille primus ex Comitibus Guidiis de Balneo, qui venit habitare Cæſenā, & qui tumulatus jacet apud Dominicanos, erat abavus Joan: Frāciſci Cardinalis: & hic viceverſa erat abnepos illius.

[32] *Vid. ſup. cap. 15. n. 36.*

[33] *Claram. l. 10. f. 380. & l. 16. fol. 742.*

(34) *Idem l. 16. f. 742. & 755.*

18 Adde quod quouſque perduravit inclyta hæc familia, nullo alio in loco Romandiolæ, quod ſciamus, palatiū habuit urbanum, nullibi civicum indigenatū, & honorificentiam ſenatoriā, quàm Cæſenæ: tametſi alioquin ei non deeſſent manſiones in feudalibus caſtris, & ditionibus juriſdictio-

ctio-

ctionalibus, quæ possidebat intra eandẽ provinciam, Flaminiæ dictam. Æstivoque quidem tempore crebrò comorari solebat apud castrum Glageoli, locum venustissimũ, decem circitèr milliaribus à Cæsena distantẽ, & caput ditionis temporalis, quæ illi obtemperabat, ubi erat arx valdè sumptuosa, quassata postmodùm, & ferè diruta injuria terremotus. Undè idem Cardinalis, quando volebat denominari ab originaria sua *Urbe patria*, non poterat nisi dici Cæsenas. Quandò vero denotari malebat à *patria Provincia*, ex qua prodibat, liberum ei erat se denominare ex Flaminia: eo modo, quo quilibet Florentinus dicere se valet ex Etruria, Taurinensis ex Pedemontio, Januensis ex Liguria, Anconitanus ex Piceno, & sic de aliis.

19 Dum hæc autem ita se haberent, infaustus eventus dire fines Cæsenates afflixit. Nàm ex colligatis in unum quatuor Principibus Italicis contra Pontificiam, Classis nautica Venetorum die 26. Junii 1643. manè diluculò, repentino adventu, Oppidum Cæsenatici Portus, nil minus sibi metuens, utpote innoxium aggressa est: & assiduis bombardarum ictibus concussum, captum, direptum, luctuoso demùm incendio concremavit: lugente tantam militum immanitatem synchrono Dominico Pulacino (35), quod jam oppidum illud ita conculcatum repræsentaret.

Una Troja distrutta, anzi un' Inferno.

(35) *Pulacin. Albori Poetici pag. 167.*

20 Advenit deindè Pontificatus Innocentii X. quo decurrente, Joannes Stephanus Cardinalis Donghius utile systema dedit Annonæ frumentariæ Cæsenati; vulgò *l'Abondanza*: quæ quidem necessaria est in omnibus civitatibus, ut provida coadunatio tritici publico jure facta occurrat inopiæ populi, arceatque periculum deficientiæ alimenti, à famem patientibus postulati: prout cavendum esse docuit Joseph, cum præesset Egypto (36). Nullum enim est malum, inquiebat Cicero, quod non sit paritura *difficultas annonæ, summaque inopia rei frumentariæ* (37). Inerat profectò hæc providentia penès Cæsenam, & jam diu antea constituta: cujus ad commodum non nulla

(36) *Genes cap. 41. num. 47.*

[37] *Cicer. pro domo sua.*

ſtatuit Gregorius Papa XIV. anno 1591. (38). Eademque confirmavit Paulus Papa V. anno 1605. (39). Quia verò aliquæ irrepſerant deordinationes in adminiſtratione ipſiuſmet annonæ; idem Cardinalis Donghius peculiari ſollicitudine operam dedit, ut omnia ordine debito, & opportunis regulis Inſtituto reſpondentibus agerentur.

(38) Brev. Gregor. 16. 6. Aug. 1591. in Arch. Communit.
[39] Brev. Paul. 5. 1. Sept. 1605. in eodem Archiv.

21 Idem ipſe Innocentius, natura propenſus ad viros doctos præmiis afficiendos, id in uno ex noſtris civibus generosè complevit. Is fuit *Franciſcus Albitius*, primo tempore conjugatus, & legitimus pater plurium filiorum utriuſque ſexus. Qui uxore defuncta, & Clericali militiæ adſcriptus, Romam profectus eſt: ubi ab initio patrocinandis cauſis judicialibus operam dedit. Deindè Neapolim, poſteà in Hiſpaniam, ſucceſſivè in Germaniam miſſus, varia exercuit munia, ſibi ab Apoſtolica Sede commiſſa. Romam regreſſus, Canonicatu Baſilicæ Vaticanæ auctus eſt: longo tùm tempore Aſſeſſoris ſancti Officii munus exercuit, denique rubri pilei ornamentum ab ipſo Pontifice obtinuit anno 1654. poſtquam diù laboraverat circa examen propoſitionum Cornelii Janſenii, quæ tunc doctiores homines in Urbe commorantes detinuerant occupatos, ac ſuæ familiæ decus auxit, dum Violantem ejus ex filio neptem in Illuſtrem, ac prænobilem Calcagninorum familiam matrimonio junxit, à qua inter præclaros tranſactarum ætatum Doctrinæ Viros ex dicta Violante procreatis liberis, ad ornamentum præſentis ætatis, floret R. P. D. Carolus Calcagninus, Humanarum litterarum ſingulari eruditione præditus, Philoſophiæ, & Theologiæ laurea inſignitus; ac Canonici, & Civilis Juris eximia paritèr doctrina profundè imbutus, ita ut inter celeberrimos cujuslibet ætatis Juris conſultos juſtè comparetur, quemadmodùm Viri primæ notæ in Romana Curia perſepè mihi obteſtati ſunt, atque non pauci exteræ nationis probati Viri per Epiſtolas præfati Præſulis nomen, & famam commendarunt. Suoque aſſiduo, ac penè incredibili labori, ac ſingulari ſapientiæ poſt Deum Optimum Maximum

ximum

ximum debet gradus, per quos hactenùs transivit; opus legale practicum edidit, ex post nollens, sed imperante Clem. XI. munus Auditoris Generalis Legationis Aven. obivit, dein. inter Signaturæ Votantes adscitus; postmodùm ad Auditoratum Rotæ evectus, ac in Congregationibus Aven. Lauretana, Immunitatis, Rituum, Fabricæ S. Petri, atque examinis Episcoporum, in quibus muneribus exercendis summa cum laude se gerit, quem tamquàm ex materno latere Cæsenatem, huc referre duxi, & ad decus Patriæ, & Patrui; En Simulacrum ipsiusmet Francisci.



22. Doctrina profectò, & eruditione floruit Franciscus (40): plurésque orbi literario dedit fætus scientiæ, qua pollebat. Scripsit enim librum *de Inconstantia in Fide*: alterumque *de Inconstantia in Judiciis*. Itèm tractatum *de Potestate S.R.E.* Card. in suis Ecclesiis titularibus. Edidit & Responsionem dicteriis *Fr. Pauli Servitæ*, contra jurisdictionem Pontificiam pervulgatis. Plenis demùm enco-

(40) *Oldoin. in Vit. Pont. 4. in Card. Innoc. 10. n. 26.*

encomiis a scriptoribus coetaneis commendatur (41). Quievit in pace Romæ anno 1684 ætatis suæ 93. Sepulturæ mandatus in æde S. Mariæ Transpontinæ. Cujus morte audita Card. Vincentius Maria Ursinus Episcopus Cæsenas (postea Bened. Papa XIII.) tunc Neapoli existens, typis impressam scripsit Epistolam Cæsenatibus, condolens ipsis de tam gravi tanti viri jactura (42).

(41) *Scip. Claramon. Histor. Cæsen. l. 10. fol. 740. Bernar. Manzon. Chronol Cæsen. fol. 98.*

(42) *Epistol. Cardinal. Ursin. 10. Octobr. 1684.*

23. Deindè nobis profuit Pontificatus Alexandri Papæ VII. quatenus hic summus Antistes collegio Juristarum Cesenę sustulit præcedentem limitationem; qua coarctabatur in concedenda Laurea Doctorali determito annuo numero promovendorum: indulgens, ut eadem decorare posset illimitatè tot, quot illam deposcerent, & undecumque venirent, dummodò prævio diligenti examine digni reperirentur ipsomet honore (43): Quod subinde Indultum etiam Clemens Papa X. confirmavit, & novo Apostolico Diplomate roboravit, ad preces Sanctis de Pilastris Cæsenatis Romanæ Curiæ Prælati [44].

[43] *Brev. Alexandr. 7. 3. Novem. 1657.*

[44] *Brev. Clement. 10. 28. Sept. 1675.*

24 Vigebat tunc in eadem Curia *Nicolaus ex Comit. Guidiis de Balneo*, & ipse unus ex Senatoribus Cæsenatibus (45): ac frater germanus Joannis Francisci Cardinalis de Balneo paulò superius memorati. Qui Nicolaus in sæculari vita uxorem duxerat Theodoram Gonzagam, & ex ea susceperat filium nomine Fabricium, armis tractandis plurimum addictum, intantum, ut ductor equestris turmæ militum in exercitu Hispano fuerit, ubi citò, ætatis annorum 29. obiit Brugis in Belgio anno 1646. prout ex lapide constat, Romæ sito in Ecclesia S. Alexii. Sed & ipsemet quoque Nicolaus in sua virili ætate operam dedit militaribus exercitiis, functus muneribus præsertim Præfecti Ecclesiasticæ militiæ status Ferrariensis, atque custodis Vallis Tellinæ nomine Pontificio [46].

(45) *Claram. Histor. Cæsen. f. 785. Manz. Chronol Cæsen. fol. 84.*

[46] *Idem Claram. l. 15. fol. 755.*

25 Uxore denique jam defuncta, viam Clericalem ingressus, primò Abbatiæ, deindè Prælaturæ honore adepto, postremò Archiepiscopi Athenarum gradu insignitus, Apostolici Nuncii apud Ludovicum XIV. Gallorum Regem

gem perfunctus est (47): Ac successivè ab mox fato Alexandro Papa VII. inter Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinales meritò cooptatus anno 1657. atque muneratus Ecclesia Senogalliensis, quam deinde dimisit: & paulò post octogenarius obiit Romæ anno 1663. ibidem tumulatus in Ecclesia Capucinorum (48). Aspectus illius forma ita se habet

(47) *Manzon. Chronol. Cæsen. f. 84. & 207.*

[48] *Oldoin. in Vit. Pont. to. 4. in Card. Alex. PP. 7.*



26. Nedùm autem ex officio, & loco, quem Nicolaus ad instar suorum antenatorum obtinebat inter Senatores Cæsenæ, constat eum fuisse patria Cæsenatem; verum etiam ex cuctis aliis rationibus, & motivis, quæ idipsum supra demonstrarunt de Cardinali Joanne Francisco illius fratre germano: nec necesse est illa inutilitèr hic repetere (49). Is autem Cardinalis Nicolaus fuit ultimus masculus ex conspicua familia Marchionali DD. Com. de Guidiis à Balneo, quæ lares, & palatium urbanum, ac locum Senatorium habebat Cæsenæ, atque in territorio ejus multa bona patrimonialia possidebat: itidemque pluribus ditioni-

(49) *Vide supr. in hoc capit. n. 16. 17. 18.*

tionibus jurisdictionalibus præerat, in illius adjacentiis sitis per Flaminiam. Qua progenie deficiente, illius hæreditas, ac præsertim Palatium Cæsenas, locus Consularis, & bona patrimonialia districtus Cæsenatis transitum fecerunt ad alium nobilissimum ramum ipsiusmet familiæ de Balneo, quæ nunc viget, ac Mantuæ commoratur: sic tamen, ut & interdùm pro libito in eodem Palatio Cæsenatensi consistat.

27. Loquamur nunc de viris, doctrinæ, ac respectivè armorum peritia notabilibus, qui à tempore Clementis PP: VIII. usque ad annum 1700. claruerunt. Et in primis dirigendus esset sermo ad celebrem *Jacobum Mazzonium*, cujus fama usquequaque diffusa est, & illum prædicat omnigena literatura conspicuum. Sed quia de illius præstantia ex proposito, & fusiùs eloquemur in Diatribis Cæsenatibus (50); hic satis erit ipsius nomen simplicitèr innuisse. *Scipionem* quoque *Claramontium* prædoctum utique virum, dumtaxat indicamus in isto loco: quippè caput subsequens debebit mentionem ipsius facere magis adaptata occasione (51). Memoretur hic ergò prius *Joseph Isæus* Canonicus Basilicæ Vaticanæ, qui scripsit notas in Lactantium Firmianum, & ex illis elucescit, quàm doctus esset, ac in eruditione profundus (52).

28. Excelluit & doctrina *D. Celsus Rosinus* Abbas, Definitor, Visitator, & Commissarius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, Philosophus, Theologus, Historicus, Orator, omnigenæ denique literaturæ peritus: plurimumque auctor librorum, tam latino idiomate scriptorum, quàm lingua Italica. Hi sunt: *Musæum Peripateticum — Quæstiones naturales in Philosophiam — Disquisitiones Dialecticæ — Gymnasium Lateranense — L. Iliade Sacra — Il Sacro Museo*. Et quædam alia (53). Erat facie rubicundus, & brevis obtutus: proindeque solitus apparere munitus conspiciliis, tametsi non semper. Lege, si placet, epitaphium, quod ei erexerunt ipsius Religiosi.

(50) *Brasch. in Diatrib. Cæsen*

(51) *Vid. infra cap. 30.*

(52) *Lactantius Firmian. cum notis Joseph. Isæi.*

(53) *Bernard. Manzon Chronol. Cæsen. fol. 111. & 132.*

18. D.R.

29 R. P. D. Celso Rosino Cæsenati Can. Reg. Later. Præstantissimo viro, æternęque memoriæ digno. Qui Prælatura Canoniæ hujus per annos XXX. feliciter functus, Visitatoris etiam munere ditatus, triennium æqua lance complevit. Doctor eximius Rem Scholasticam, ac Canonicam, publice professus, Cathedras illustravit. Musas coluit. Gręcum idioma, Hebraicum, & Chaldaicum familiari verbo sic effatus est, ut in hoc studio nemini secundus haberetur. Verè pius. Nam prę sentem Basilicam Choro, ac Altaribus erectis decoravit. Sanctuarium corporibus quatuor SS. Martyrum insignivit. Et quod est maximum, pretiosissima de Christi Domini serto cruenta Spina coronavit. Plera sunt quæ sapienter dixit, scripsit, fecit. Tandem octogenario major, sensibus integris, lætoque vultu religiose quievit 9. Augusti MDCLXXII.

Lineamenta faciei ejus cernere si desideras, illa hic habe.



30 Et quoad alios Cæſenates diverſis Facultatibus ſcientificis imbutos, quorum doctrinæ monumenta ſuperſunt; inter *Philoſophos, & Medicos* commendantur *Hannibal de Albertinis*; cujus manſio, ut audivimus, verſa eſt in Eccleſiam S. Criſpini, ſcripſit, & evulgavit Tractatum de affectionibus cordis naturalibus: de pal pitatione, ſyncope, ac eorum curatione: de membror um principatu, & ſede animæ (55). Iiſdemque ſcientiis excelluit *Fulvius Angelinus*, qui opuſculum edidit, de Verme admirando per nares egreſſo [56]: eidemque lucubrationi commentariolum edidit Vincentius Aſlanius à Cruce Genuenſis, ad eundem Fulvium directum, ac typis impreſſum anno 1610. [57].

31 Adde his *Tobiam Aldinum* medicum chimicum Urbani PP. VIII. qui volumen condidit, & publici juris fecit, de variis plantis, contentis Romæ in Horto Farneſiano, adpoſitis etiam earum figuris [58]. Inventor quoque fuit cujuſdam Balſami præcellentis, de quo ita effatur Petrus Servius Spoletinus: *Romæ quidem celebre eſt, & vulnerariorum omnium medicamentorum longe præſtantiſſimum (id enim teſtantur unanimes experti Chirurgi) Balſamum à Tobia excellentiſſimo Chimico, & Botanico ſcientiſſimo optimi principis Franciſci Barberini Cardinalis preparatum: à quo ſolo operationes omnes vulneribus neceſſariæ, quas abſterſio, concretio, expulſio, generatio, glutinatio habeatur* (59): Romæ Tobias deceſſit poſteris de sè minimè relictis.

32 Inter *Iuriſconſultos* coruſcavit *Gratioſus Ubertus*: qui plures meritis ſuæ fætus prælo dedit: videlicet *Congreſſus legales*: Tractatum *de Citationibus*: Librum *Carminum moralium*: & Italicè Opuſculum, cui titulus, *Contraſto muſico* (60). Iuriſconſultus item egregius à Iano Nicio Erythreo nuncupatur *Hippolitus Merenda* (61). Qui Romæ diu cauſis judicialibus defendendis incubuit, & nonnulla opera legalia compoſuit; non adhuc tamen typis impreſſa. Ibidem quoque in Eccleſia S. Mariæ de Victoria erexit ſacellum elegans marmoreis laminis incruſtatum: tabu-

[55] *Ioan. Anton. Vander. Linden. Catal. Scriptor. Medic. fol.* 131.
[56] *Bernard. Manzon Chronol. Ceſen. fol.* 138
[57] *Idem Vander. Linden. fol.* 191.
[58] *Ipſemet. Vander Linden. fol.* 569. *Manz. f.* 219.
(59) *Petr. Servius de Unguen Armar. f.* 147.
[60] *Leo Allatius de Apibus Urbanis fol.* 12 *Manzon. fol.* 139
(61) *Ian. Nic. Erythr. Pinacotec. 4 vit. 39 fol.* 158.

bulisque decoratum pictis à celebri Dominichino. Moriens demùm pinguem suam hæreditatem Sororibus pænitentibus S. Iacobi de Longaria almæ Urbis reliquit: in qua æde cernitur marmorea ipsius imago, & epitaphium, à Cardinali Francisco Barberino seniore ipsius nomini adpositum.

33 Inter *Concionatores* fulsit *Thomas Guazzettus* Ordinis Prædicatorum, qui edidit in lucem librum dè *Rosario B. Virginis* (62). Fulsit & *Fr. Antonius Albertinus* Ord. Minor. Conventualium S. Theologiæ magister, & studiorum regens, cujus extat impressus liber Concionum. Inter *Historicos* exhibuit se laudabilem *Fr. Bernardinus* Manzonius ejusdem Ordinis Magister, Definitor, & Inquisitor Fidei apud Pisas, ac Senas. Conseruit *Chronologiam Cæsenæ*, suppeditante illi materiæ partem *Christophoro Manzonio* itidem historico, & ipsius avo: qui antiquitates patrias, à Carolo Verardo, Iosepho Bonzanellio, Antonio Casario, Stephano de Partis, & aliis Cæsenatibus respective notatas, in unum corpus redegerat (63). Historicis item adde *Vincentium Cæsenatem*, qui scripsit *de Rubicone antiquo*.

[62] *M. intecr. Chrono. Cæsen fol. 219.*

(63) *Idem fol. 116. & f. 153.*

33 Inter *Poetas* adepti sunt famam *Thomas Palatius*, cujus est liber hunc præferens titulum; *L'adolescenza vaneggiante*. Item *Dominicus Paluzzinus* vulgator metrici codicis ità inscripti, *Albori poetici*. Pariter *Ioannes Baptista Ambronius* auctor Elegiarum, & carminum editorum sub hoc titulo, *Melpomene Offuscata*: ubi & dulci metro latinè cecinit & ingenioso artificio multimodas Acrostichides per sua carmina sparsit [64]. *Simon* quoque *Claramontius* fuit elucubrator Poematis, cui nomen, *Li santi Martiri d'Egea*, loquens de SS. Cosma, & Damiano: & prosaice pariter conseruit librum nuncupatum *Cesena trionfante*. Sed & *Franciscus Borghettus*, nec non *Cajetanus Burghesius* poeticas compositiones, typis editas reliquerunt. Ac *Dominicus Bertus*, atque *Malatesta Strinatus* plures pias cantilenas, quas Oratoria vocant, de diversis sanctis præ-

(64) *Idem ubi supr. fol. 158. 135. & 143.*

lo publicatos elucubrarunt. Nec omittendus *Dominicus Manzinius* compilator luculenti, operis scenici, sub hoc titulo concepti; *Non avvien quel, che si spera*.

35 Adde his alios tres, qui postremo tempore scripserunt, in præsenti capite connotato. Ii sunt *Lucius de Arcuno*, Cardinalis Albitii ex filia nepos, & Innocentii Papę XI. Cosmeta honorarius: qui contexuit Romæ solertem, & eruditam reprehensionem excessivi luxus fæminarum, epistolari forma sub hoc themate concinatam, *Lettera di Ragguaglio ad un nobile Veneziano &c.* Similitèr *Maurus Verdonius* Archibresbyter S. Victoris in Valle Cæsenate, Humanista Orator, Poeta, & Antiquariæ rei admodum eruditus, qui varia compegit Opuscula de *Cæsenatico*, de *Tribubus antiquis*, & alia tam soluta oratione, quam cantu metrico, doctorum virorum laudibus commendata. Denique *Matthæus Braschius*, Canonicus Cathedralis Cæsenatis, Iuris utriusque Doctor, Examinator Synodalis, & S. Officii Consultor: qui legaliter egit *de Pleno arbitrio* humanæ voluntatis, in condendis, & retractandis ultimis voluntatibus. Ac Theologicè tractatum edidit *De Pace in scriptis* danda offensori ab offenso.

36 Et ne sileamus Cæsenates quoque armis præstantes in sæculo, de quo agimus, pręter *Iacobum Malatestam & Nicolaum*, atque *Fabricium de Balneo*, quorum facta est locutio intra seriem præsentis capitis (65); occurrit memorandus *Didacus Bettinius* excellens ductor turmarū, pedestrium, & operator facinorum bellicorum, tempore Vrbani PP. VIII. Dandus est & locus *Ioanni Baptistæ Albitio*, filio legitimo Cardinalis ejusdem cognominis, præsidi militiæ Pontificiæ plurium provinciarum. Denique famam extulit inter arma tractantes *Ioannes Franciscus Venturellius*, ætate sua nulli secundus in exercitiis, & rebus bellicis tractandis, administrandis, operandis. Nec silentio reticendus quidam alienigena, qui laribus fixis Cæsenæ, taliter in militaribus exercitiis prævalebat, ut per antonomasiam appellaretur, *il Gran Soldato*.

(65) *Vide supr in hoc cap. n. 2. & 23.*

CA-

CAPUT XXX.

De Pertinentiis Ecclesiasticis, ad rem Cæsenatem facientibus, ab initio Ponificatus *Clementis* Papæ VIII. usque ad annum 1700.

SUMMARIUM.

1 CArdinalis Tontus *fit Episcopus Cęsenę, pluraque de illius initiis, & progressu eventuum ejus.*

2 *Fuit Archipresbyter Basilicę Liberianę: Laudatur ab Oldoino quoad munerum dispensationem.*

3 *Elanguit postea benevolentia Papę in illum. In officio Episcopali exercendo egregiè se gessit.*

4 *Erexit Confraternitatem S.Caroli Borromæi, & aliam Sarcinatorum.*

5 *Ad commodum populi S.Homoboni parochiali assistentia indigentis, auxit novas Curas animarum.*

6 *Conventus Monialium Capucinarum suo tempore, ac qualiter fuerit excitatus.*

7 *Litigia & perturbationes illi advenerunt. Romę obiit. Fundavit Collegium Nazarenum almę Urbis.*

8 *Pervenit Episcopatus ad* Cardinalem Sacratum: *de quo plura: isque citò Romæ decessit.*

9 *Successorem habuit* Camillum Campegium; *translatum deinde ad Sedem Senogallię, ac mortuum in Hispania.*

10 Petrus Bonaventura *infulis Cęsenatibus ornatur: de cujus moribus, & operibus fit sermo.*

11 *Orationi multum deditus erat. Fulsit charitate in pauperes. Laudabiliter officio pastorali functus est.*

12 Congregatio Oratorii *fundata Cæsenæ à* Scipione Claramontio: *de cujus doctrina multa referuntur.*

13 *Uxo-*

13 *Uxore defuncta factus est Presbyter. Et in eadem Congregatione vixit, ac mortuus est.*

14 *Voluit, filios ejus, qui erant multi, primæ Missæ interesse à se celebratæ.*

15 *Quatuor ex ipsis, qui erant Capucini, fert fama, quod patrem defunctum ad tumulum pertulerant.*

16 *Episcopatui præficitur* Flaminius Marcellinus *optimus, & doctus Antistes.*

17 *Multa de illius probitate virtutibus, & exercitio ministerii episcopalis.*

18 *Pia ejus mors. Populus certatim exuvias ipsius adipisci curabat funeris tempore.*

19 Iacobo Elephantucio *Episcopatus obtigit. Lis ejusdem cum Fratribus Hospitalitatis. Citò interiit.*

20 Cardinalis Vrsinus *Ecclesiæ Cæsenati præficitur, & ingressu solemni ad suam sedem accessit.*

21 *Illius mores, & vigilantia pastoralis. Cathedralem ornavit, & consecravit: aliaque de illo.*

22 *Graves habuit lites, nullam tamen cum Clero, qua de rè solebat sibi complacere.*

23 *Alia de ipso. A Cæsenate translatus fuit ad Cathedram Beneventanam. Demùmque fuit electus Papa.*

24 *Vacuam implevit Sedem Episcopalem Cæsenæ Card.* Io. Casimirus Denhoff *Polonus. & bonus Ecclesiasticus.*

25 *Visitavit Diœcesim, Synodum celebravit. Cum Regularibus utriusque sexus in graves contentiones impegit.*

26 *Romæ dimissa Ecclesia morbo contabuit suffectus, ac illi fuit* Ioannes Fontana.

27 M. Agrippa Dandinus, & Barzelinus de Barzelinis *Cæsenates, ad Episcopatum promoti.*

28 *Nec non* Anselmus, & Mutius Dandini, Sigismundus Isæus, Nicolaus de Arcano, & Io.Bap. Braschius.

29 *Prælatus in Romana Curia fuit* Anselmus Dandinus senior. *Itidemque* M.Aurelius Maraldus.

30 *Sed &* Ioannes Ghinius, *atque* Camillus *ejus nepos, honore Prælatitio potiti sunt.*

31 Si-

31 *Similiter &* Sanctes de Pilastris, *at* Hiacyntus *ejusdem cognominis, Prælatura functi sunt.*

32 *Sic quoque* Raynaldus Albitius. *Cesena de tempore in tempus produxit homines illustres.*

33 *Fit finis Memoriis Cesenatibus: In quibus si quidquam defuerit, benignus Lector id suppleat.*

35 *De iis, quæ contigerunt post annum* 1700. *plenè fiet sermo in Parte sequenti.*

1 EO tempore, quo præsens Caput sumit exordium, præerat Ecclesiæ Cæsenati Camillus Gualandus: illamque possedit usque ad initium anni 1609. prout supra dictum est (1). Ipso autem defuncto, pastorale munus ejus vice suscepit *Michael Angelus Tontus Episcopus Cæsenę XC.* & Cardinalis S. R. E. [2]. Is origine civis noster extitit, utpote natus *patre Cæsenate*, juxta Oldoinum (3). Sed quia Tonti genitor uxore ducta in Diœcesi Ariminensi; genuit ibi Michaelem Angelum; & hic ibidem educatus incubuit studiis literarum, & Clero insertus est; solebat Ariminensis denominari. Bononiæ sumpsit lauream doctoralem: Romamque profectus, Curiam secutus est: ac partem habuit in dirigendis negotiis familiæ de Burghesiis: apud quam gratiam invenit in oculis Camilli Cardinalis Burghesii, ad Pontificatum successive provecti sub nomine Pauli V.

2 Ab hoc ergo, virtute duce, comiteque fortuna, Tontus citato gradu ad munus Datarii Apostolici provectus est, inde ad honorem Archiepiscopi Nazareni, ac denique ad Romanum Cardinalatum: ubi fulsit quoque prerogativa Archipresbyteri Basilicæ Liberianæ (4). His additus est Episcopatus Cæsenę: refertque Paulus de Angelis Bullam ejusdem Papæ, de rebus ipsiusmet Basilicæ agentem, editam anno 1610. & directam pro executione præfato Episcopo (5). In ejus præconium hoc habet Oldovinus: *Tonto multum debet Romana Curia, quia tribus illis annis, quibus summæ rerum potitus est, ad palatii & fori publica,*

(1) *Vide supra cap. 28. num. 2*

[2] *Scip. Claram histor Cesen. l. 16. f. 757*

[3] *Ciacon. Vit Pont. in Card. 15. Paul. Pap. V.*

(3) *Idem Ciacon. & Ioan. Palat. Fast. Cardinal. in ejus Vita.*

(5) *Paul. de Angel. de Basil S. M. Maior. l. 5. c. 8. f. 79.*

blica, & privata munia assumpsit eos, quos muneri aptiores existimabat, non quos privatum proveheret desiderium. At ut citò convaluit, sic & citò *fatigata fortuna visa est deseruisse Tentum: gratia enim erga illum Pontificis sensim refrixit, sua, an aliena culpa, incertum* [6].

(6) Oldoin. Vit. Pont. to. 4 in Cardin. 15. Pauli 5. f. 416

3 Elanguit profectò taliter benevolentia Pontificis in ipsum Cardinalem, ut varias perpessus sit displicentias, & graves perturbationes. Ad Episcopatum Cæsenæ, quem adeptus fuerat die 22. Februarii 1609. (7) progressus, apud suam Ecclesiam, strenuè, ac solerter officium exercuit pastorale; fervens zelo divini honoris, & vigil custos ecclesiasticæ disciplinæ. Civitatem, & Diæcesim sacra Visitatione diligentèr perlustravit. Clerum doctrina, & laudabilibus moribus florere curavit: & Ecclesiarum nitorem, sacrarumque functionum religiositatem toto studio promovit. Seminarium Clericorum novis, ac magis accuratis Regulis, quæ typis impressæ sunt, communivit. Canonicis Cathedralis vacationem annuam trimestrem, qua præcedenter carebant, ab Apostolica Sede impetravit. Nec non Collegio Iuristarum obtinuit à Pontifice, ampliari priscam facultatem in laureandis Doctoribus adhibendam.

(7) Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 41.

4 Peculiari devotione Michael Angelus colebat sanctũ Carolum Borromæum: cujus & Confraternitatem instituit apud Cæsenam, in Ecclesia parochiali S. Geminiani (diruta postmodùm, & inserta Cænobio Monachorum Cælestinorum, tempore Cardinalis Ursini Episcopi, translata cura spirituali populi ad Vicarium parochialem Cathedralis). Erexit quoque Confraternitatem Sarcinatorum: eique dedit facultatem ædificandi à fundamentis ære proprio Ecclesiam S. Homoboni: in qua Confratres illi ex instituto habent, ut cunctos inopia laborantes, cum obierint, propriis humeris, & pia processione, canentes preces emortuales, deferant, atque peractis exequiis, ibidem tradant gratis omninò Ecclesiasticæ sepulturæ.

5 Sed & animadvertens Cardinalis Episcopus, quod multæ familiæ, tum urbanæ, tum rurales, jure parochiali

sube-

ſuberant Eccleſiis nimis remotis, talibuſve, ut incommodus eſſet acceſſus ovium ad paſtorem: undè pluries contingebat, quod in caſibus repertinis, nocturnoque tempore, decedebant Chriſtifideles abſque præſidio ſacramentorum; tantæ deordinationi occurrendum duxit novarum parochialium adjectione. Atque ita currente anno 1612. curam animarum commiſit Eccleſiæ S. Chriſtinæ intra urbem: Eccleſiæ S. Mariæ Gratiarum in ſuburbio: & Eccleſiæ S. Andreæ de Marturano. Idemque ad munus provexit anno 1615. Eccleſiam S. Michaelis extra portam flumentanam: ſubiiciens hiſce novis parochialibus familias, quæ à præcedentibus erant nimium diſtractæ.

6 Ad huc & eodem Epiſcopo ſedente, fuit erectus Conventus, ac ſacra Ædes Monialium Capucinarum, ex fundatione, propriiſque ſumptibus Lælii de Locatellis: qui & nonnulla ſua bona oneravit obligatione ſubminiſtrandi alimenta Virginibus illis, quoties deficerent eleemoſinæ ipſis neceſſariæ ad victum, & ſubſiſtentiam opportunam. Itaque Cardinalis Tontus Epiſcopus anno 1616. primum lapidem impoſuit pro ejuſdem Eccleſiæ conſtructione: & die 22. Aprilis anni 1618. primam Miſſam in ipſa jam ędificata celebravit. Deindè anno 1621. ex Peruſia deductæ fuerant Cæſenam tres Moniales Capucinæ, quæ inſtruerent, & normam vivendi præberent 18. novis Monialibus Capucinis Cæſenatibus per aliquot menſes, ac poſtea redirent ad patrium ſuum Conventum.

7 Gravi ſuborta lite inter dictum Epiſcopum, & Communitatem Cæſenæ propter bona emphiteutica Epiſcopali menſæ ſubjecta, prævaluerunt jura ipſius Communitatis (8). Alia quoque improſpera contigerunt Cardinali Tonto, junctis vexationibus non exiguis, quibus ejus tum patientia, tum prudentia probaretur. Succeſſivè Romam profectus eſt occaſione Conclavis habendi. Ubi cum permaneret, pedem S. Iuſtinæ incluſit argenteæ thecæ conventus S. Agathæ in ſuburra Monachorum Montis Virginis, quorum erat Protector (9). Similequę patrocinium impen-

(8) *Rota coră Cocin. 31. Febr 1613.*

[9] *Piazza Gierarc. Cardinal in Sanct. Agat f. 825.*

pendebat etiam Ordini Fratrum S. Francisci de Paula. Deniquè in eadem alma Urbe consistens die 21. Aprilis 1622. ætatis suæ anno 56. pie obdormivit in Domino, ac in Ecclesia Domus professæ Iesuitarum tumulatus fuit sub trullo, e regione Capellæ S. Ignatii: pavimento legendum exhibente suum epitaphium. Opibus quas congesserat, præsertim sitis in territorio Cæsenate (cassata priori dispositione) fundavit Romæ Collegium, ab ejus titulo Archiepiscopali Nazarenum nuncupatum (10), & commissum regimini Patrum Scholarum piarum, sub patrocinio Auditorum Rotæ Romanę: qui progressu temporis hoc à sè patrocinium abdicarunt. Quoad reliqua Tontus *vir fuit sua dignus fortuna: erat enim Ecclesiasticus, & moribus commendabilis*. (11).

8 Datus est ei successor in pastorali officio alter Cardinalis, videlicet *Franciscus Sacratus Episcopus Cæsenæ XCI.* (12). Electus die 15. Junii 1622. Titulum Cardinalitium obtinens S. Matthæi in Merulana (13). Pridem functus officio Auditoris Rotæ Romanæ, ac Datarii Apostolici, honoreque Archiepiscopi Damasceni. Solemnissima pompa, etiam arcubus triumphalibus decorata, exceptus fuit in ejus primo ingressu à Cæsenatibus (14). Ad quos pervenit die 19. Februarii 1623. At apud susceptam Ecclesiam non resedit ultra bimestre, festinantèr visitans nonnullas Ecclesias Urbis, & aliquas quoque rurales: discedens, ut Ferrariam proficisceretur patriam suam. Ex qua successive regressus, Romam perrexit ad Comitia Pontificia celebranda post obitum Gregorii Papæ XV. Ubi & die 6. Septembris ejusdem anni morte vitam commutavit ætatis suæ anno 53. Cardinalatus 2. mens. 4. & aliquot diebus (15)

9 Ex tunc Pastorale officium adeptus est *Camillus Campegius Episcopus Cæsenæ XCII.* (16). Electus die 18. Decembris 1623. patriam sortitus Bononiam (17). Præcedentèr fuerat Prælatus Romanæ Curiæ: ac post rectas aliquot Civitates Ecclesiastici Dominii, titulo Gubernatoris, exercuerat quoque officium secretarii Congregationis

(10) *Rota par. 4. to. 3. rec. dec. 018*

[11] *Ciacon. Vit. Pont. tom. 4. in Card. 15. Pauli 5.*

(12) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. f. 757.*

(13) *Manzon Chronol. Cęsen fol. 43.*

(14) *Chron. Manusc. Cæsen. fol. 18.*

[15] *Ciacon. Vit. Pontif. in Card. sacrat. qui est 3. sub Gregor. 15. to. 4 fol. 479.*

(16) *Claram. Histor. Cæsen. lib. 16. fol. 757*

(17) *Manzon. Chronol. Cæsen. fol. 43.*

nis

nis Episcoporum, & Regularium. Cæsenam pervenit die 6. Aprilis, Cęlo ingentem pluviam effundente: Citòque Taurinum abivit, ut in gradu Nuntii Apostolici penès Ducem Sabaudiæ resideret. Ibi permanens translatus est ad Ecclesiam Senogalliensem anno 1628. Profectusque in Hispaniam, ut ibi quoque Pontificii Nuntii partes expleret; apud Matritum viam universę carnis intravit. Hujus Antistitis tempore, Conventum sibi ædificarunt Cæsenæ Fratres *Minimi S. Francisci de Paula*, in situ, quem dono eis dedit Amaducius de Amaduciis die 18. Maii 1624. (18).

(18) *Memoria Convent. Minim. Cæsen.*

10 Campegio ut supra translato, Infulas induit Pontificales *Petrus III. Bonaventura Episcopus Cæsenæ XCIII.* (19) Patricius Urbinas, & electus Antistes anno 1629. (20). Patrem habuit Federicum ejusdem cognominis, & Matrem Pantasileam Carpineam, primogenitus inter 12. fratres. Romæ didicit Humanitatem. Legalibus verò studiis indulsit Bononiæ, ubi & lauream Doctoralem adeptus est: & ad patriam regressus, obtento Archidiaconatu Cathedralis; hoc ex gradu ascendit ad Episcopatum prædictum. Suscepta Romæ consecratione tertia die Paschatis Resurrectionis, per Vrbinum Cæsenam advenit ingressu privato exceptus à Clero in janua Cathedralis. Rexit Ecclesiam omnigena probitate, ac sollicitudine pastorali. Consecravit Ecclesiam Fratrum Capuccinorum Cæsenæ: Synodumq; Diæcesanam celebravit, quæ typis impressa est (21). Solemnem Translationem fecit Corporum SS. Severi & Mauri Antistitum nostrorum (22). Magnam Campanam Communitatis librarum XI. millium solemni pariter benedictione perfudit [23].

[19] *Claram. loco citat.*
(20) *Manzon. ubi supr. f. 44.*

11 Fertur, optimum hunc Præsulem solitum fuisse quotidie recitare Officia, Divinum, B. Virginis, & Defunctorum genibus flexis, capiteque detecto, etiam tempore hiemali. Fulsit superlative charitate in pauperes promptus eis eleemosynas ministrando, tametsi pluries deceptorie poscentibus eadem die. Virtutibus demùm Episcopalibus cumulatus ad cælites evolavit die 3. Julii 1653. magna post

[21] *Synod Bonaventur. Cæsen.*
[22] *Let. Pastor. Bonavent. 1645.*
[23] *Act. Cancel. Episcopal. 27. Novembr. 1638.*

re relicta fama sanctimoniæ: in tantum, ut ad ejus tumulum in Cathedrali, devoti Christifideles sæpe sæpius vota deferant, & lucernas accendant. Referuntur etiam prodigia ejusdem intercessione patrata, in ipsius vita, quæ habetur manuscripta [24]. Ejusq; fides sit apud suum auctorem. Imago Petri picta servatur super janua interiore Capituli Cathedralis.

[24] *Franc. Maria Boldini Vit. di M. Bonaventura.*

12 Hoc sedente sacro Pastore, Cæsenæ fuit erecta *Congregatio Oratorii* Presbyterorum S. Philippi Nerii, opera *Scipionis Claramontii*, qui fuit Eques S. Stephani, preclarusque Philosophus, Mathematicus, Historicus, & linguæ Græcæ peritus. Is prius legitimo matrimonio conjunctus Virginiæ de Abbatibus, ex ea genuit duodecim filios, partim virilis, partim fæminei sexus. Et prævalens doctrina, studiisque impensè addictus, publicè scientias docuit in Lyceis Perusino, & Pisano. Elucubravit quoque perplures libros, inter quos *Historiam Cæsenæ* gravitèr, & eloquentèr compositam: Scripsit & de *Sede Cometarum*: nec non de *Arrabile quoad mores*: item de *Methodo ad Scientias attinente*: ac alia quædam Opuscula volitantia per manus Eruditorum (25). Quibus adde tractatum de *Conjectandis cujusque moribus* (26).

(25) *Bernard. Manzon. Chronol. Cæsen. fol.* 255

[26] *Vander-Linden. Catal. Scriptor. fol.* 536

13 Vxore defuncta, Capucinorum Institutum peroptavit amplecti: sed ætas nimium gravis obstitit ipsius propositi adimplemento. Nihilominus alio modo se addixit ecclesiasticæ professioni. Nam anno 1644. ætatis suæ 80. sacrum Presbyteratus ordinem suscepit, & ut innuimus, fundavit in patria Congregationem Oratorii S. Philippi Nerii in Ecclesia hodie dicta S. Marini: apud quam tunc se contulit ad commorandum cum aliis patribus eidem consortio adscriptis. Laudat illum Joannes Martianus (27): & nedùm doctrinæ, verùm etiam probitatis fama clarescit. Damus hic schema prospectus ejus in ætate senili.

[27] *Io. Martian. memor. della congreg. del Orator. t. 3*

14 Qua-



14 Quator ex ejus filiis Regulam S. Francisci professi sunt in Ordine Capucinorum, omnes variis respectivè gradibus regularibus notabiliter insigniti (28); nos alibi magis ex proposito de illis agemus (29). Hos quatuor fratres, necnon Hiacinthum, & Simonem itidem ejus filios voluit Scipio interesse primæ Missæ, quam ipse celebravit. Successiveque in eadem Congregatione permansit usque ad obitum, quem incurrit anno 1652. ætatis suæ 88. in mox nominata Ecclesia tumulatus. Ex qua deinde corpus illius translatum fuit ad sacram ædem S. Severi, quando ad hanc eadem Congregatio tansitum fecit. Post obitum Scipionis, filii ejus patri defuncto, in Ecclesia S. Francisci, solemnibus exequiis parentarunt, Dominico Josepho Rosinio funebrem orationem declamante.

(28) *Montoni Chronol. Cæsen f. 120.*

(29) *Braisch. in Diatrib. Cæsenat.*

15 Fama circumfert, quod præfati quatuor Fratres Capucini filii Scipionis, audito statu periculosæ infirmitatis decrepiti patris ad cælites migraturi; data opera, & ex condicto, sè sè ad patriam contulerunt: ibique mox defun-

defuncti genitoris cadaver super feretro conjunctis humeris ad tumulum comportarunt: pio sanè, religioso, clarissimo, tantundemque raro, & nunquam satis commendabili filialis obsequii, atque charitatis exemplo. Quod contraponas celeberrimo in Romanis historiis eventui *Cæcilii Metelli Macedonici*, a quatuor filiis ad monumentum sepulcrale perducati [30] nimirùm à *Quinto* Balearico, *Lucio* Diademato, *Marco* Metello, & *Cajo* Caprario (31) quorum unus fuerat *Prætor*, alter *Censor*: duo *triumphaverant*, ac tres functi fuerant *Consulatu* (32).

(30) *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 5.*
[31] *Plutarc. de Virtut. Roman.*
(32) *Plin. lib. 7. cap. 44.*

16 Optimo Antistiti Petro Bonaventuræ defuncto successor itidem optimus datus est *Flaminius Marcellinus Episcopus Cæsenæ XCIV.* apud patriam Romam antea Canonicus S. Laurentii in Damaso. De sua provectione literas ad Clerum, & populum direxit, datas die 20. Maii 1655. quæ manuscriptæ leguntur. Consecratus in æde S. Claræ almæ Urbis à Cardinali Francisco Barberino seniore, Cæsenam venit die 14. Junii ejusdem anni. Et ibi vitæ integritate, fervore spiritus, zeloque pastorali taliter enunciavit, ut mereatur insignioribus Episcopis coæquari. Sed & doctrina fulsit, præsertim Theologica: quasi quandoque Theses ei dicarentur, publicè disputandæ circulis adesset, ac & ipse arguere minimè dedignaretur. Pauperes pro viribus refovebat: Et quadam nocte detectus fuit inopi familiæ, quam mendicare pudebat, sarcinam tritici clam super propriis humeris detulisse.

17 Orationi deditus frequentèr eidem vacabat, & quandoque per annum, præsertim tempore Bachanalium, secedens in Conventu Capucinorum, exercitiis spiritualibus incumbebat. Sacra visitatione urbanas, & rurales Ecclesias repetitis viribus perlustravit. Diæcesenam synodum habuit. Functiones Ecclesiasticas cohire debitis temporibus non omisit. Cunctis ad eum facilis, & expeditus erat accessus: raro alioquin ex Episcopio ipse discedens, nisi necessitas, vel ad benedictionem infirmis ministrandam: vel ad Monasterium aliquod monialium invisen-

visendum, vel ad aliud pium opus explendum, quod ejus præsentiam postularet: ac tunc pedester, quadriga subsequente, atque oculis demissis incedens, alloquenque quot oporteret. Corpus suum vigiliis, ciliciis, flagellis, atque inedia macerabat. Iustitiæ cultor, probitatis amans, Ecclesiasticæ disciplinæ studiosus: Pastor denique omni ex parte laudabilis, prudens, pius, integerrimus.

18 Qui cum animo miti, & vigilanti sedulitate rexisset Ecclesiam annis 21. mensibus 9., & ageret annos ætatis suæ 65. ac menses 3. communi dolore cunctorum ordinum civitatis, & diæcesis, ad cælites evolavit die 11. Martii 1677. ex morbo contracto propter interessentiam longæ processioni, cinctus super nuda carne aspero cilicio. In ejus funere peroravit Maurus Verdonius Archipresbyter S. Victoris in Valle sermone, qui typis impressus est. Et ob generalem opinionem Sanctimoniæ ipsius, Cæsenates certatim pro posse, qua captis, qua subreptis quæcumque superfuerant ex ejus utensilibus, vel exuviis, eas veluti pretiosas reliquias acceperunt, apud se retinendas. Ego sanè mihi semper complacui, quod adolescentulus ab hoc præclaro Antistite in Clero fuerim cooptatus anno 1676. Et quod Matthæus Braschius Canonicus Cathedralis patruus meus pretio comparaverit illius Crucem auream pectoralem, & Scotulam, sive Buciam argenteam, apud se retinendas in obsequium tanti Præsulis: non secus ac si alioquin fuisset quodammodò præscius, quod & ego pari quandoque auctus dignitate, his instrumentis episcopalibus essem usurus. Ad Flaminii tumulum in Cathedrali sępe sępius Christi fideles accendunt luminaria, votaq. deferunt, & depictas tabellas, quas amovet hierophylex.

19 Vacuum ejus locum subinde implevit *Jacobus V. Elephantuccius Ravennas Episcopus Cæsenæ XCV.* Electus die 30. Augusti 1677. quæ literas typis impressas, & suæ provectionis denunciatrices Clero, & populo dedit. Fuerat in Hispania Nuntiaturæ Apostolicæ Auditor, Tuderti Gubernator, & Romæ Reverendæ Cameræ Pontificiæ

Com-

Commissarius. Cæsenam advenit privato ingressu: ibique residens, sacram visitationem incæpit. Et hujus occasione gravem litem suscepit cum Fratribus Hospitalitatis Divi Joannis de Deo: Quos equidem prædecessores Episcopi Cæsenates visitaverant; sed nunc jam contendebant, se vi novi Apostolici privilegii exemptos esse factos à subordinatione primæva. Mox Jacobus, ad quoddam munus explendum sibi à Romana Curia commissum, Ferrariam progressus est: ubi non diu post læthali morbo correptus, die 20. Novembris 1678. e vivis abivit.

20 Successor hujus advenit *Fr. Vincentius Maria Ursinus Episcopus Cæsenæ XCVI.* Cardinalis S. Sixti, ex Ducibus Gravinæ Ordinis Romanus, Professus Ordinis Prædicatorum, & antea Archiepiscopus Sipontinus. Erat ætatis annorum 31. circiter cum ad nos accessit: fama translationis ejus primò Cæsenæ audita est die 29. Decembris 1679. Quo & ipse successivè pervenit die 8. Junii 1680. Constititque in palatio suburbano Episcopalis, mensæ ad Collegium Spatianum. Undè digressus die 19. ejusdem per Portam Sanctorum ad Civitatem descendit ingressu solemni Pontificalibus indutis, & equitans usque ad Cathedralem, præeunte processione Cleri, tam sæcularis, quam regularis. Cujus ingressus adest Relatio Mauri Verdonii prælo vulgata (33). Præcurrerat autem opinio, quod ad rigorem propenderet: revera tamen cunctis cum eo modestè se gerentibus, benignus, & affabilis apparebat: procedentibus verò irreverenter, & superbo modo, intrepidè resistebat: facilis alioquin ad indignationem deponendam, si resipiscerent.

(33) *Maur. Verdon Historic Ponderat. &c. Cæsenæ* 1080.

21 Cleri reformationi totus intendit, & sacris functionibus decore agendis: Divina Officia, Missarum celebrationes, administrationem Sacramentorum, integram observantia sacrorum rituum perfici satagens, & compleri. De reparatione quoque, ornamento, & cultu Ecclesiarum peculiarem sibi curam assumpsit: & ipse primus Cathedralem gravi sumptu affabre decoravit: quam & subin-

subindè solemnitèr consecravit. Neque huic tantum Ecclesiæ, sed & pluribus aliis munus consecrationis adhibuit. Visitabat infirmos: sacramenta deposcentibus, etiam pauperibus libens ministrabat. Sæpè concionabatur: inopia laborantes alacritèr eleemosinis refovebat, nudosque vestiebat. Facilis erat cunctis accessus ad illũ alloquendum. Beneficus item, & officiosus opem ejus implorantibus prodesse gaudebat. Cum Regularibus versabatur assiduè: ac ipse in victu, vestitu, lectuli, & mansionis honestate, à religiosi viri mediocritate neutiquam discrepabat.

22 Sacra Visitatione, urbanis, & ruralibus Ecclesiis perlustratis; congressum Præsynodalem habuit, nonnullaque in eo decreta salutaria promulgatis; Parochiæ Cathedralis univit aliam S. Geminiani (hujus Ecclesia Monachis Cælestinis tradita, pro ampliatione Conventus) unde gravem passus est litem cum Confraternitate S. Caroli, quæ ibi erat erecta. Gravem itidem habuit controversiam cum Cæsenæ Gubernatore. Nec defuerunt quædam dissidia quoque cum Communitate, atque cum aliis: verum summatim litigia laici aliquot medii ordinis, nullum Clerus promovit. Qua de re solitus erat sibi blandiri, quod cum de illo multa conclamarentur; suus Clerus attamèn querimonias nunquàm ullas ad Romanam Curiam pertulisset, toto durantè sexennio, & ultra sui regiminis pastoralis.

23 Præbendas Canonicales Cathedralis, distributis per eas Ordinibus, in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales divisit. Episcopium reparavit, & compsit, expressa etiam ibidem arte pictoris Antistitum serie, qui præfuerant Ecclesiæ Cæsenati. Mansionem item Episcopalem Castri Carpinetæ jam penè ruituram, restauravit ad usum æstivæ moræ. Deniq; cum ob domestica negotia Neapolim abiisset; ibi adhuc existens, translatus fuit ad Archiepiscopatum Beneventanum. Quod ipse Cæsenatibus denunciavit Opusculo pastorali typis edito die 31. Decembris

1685. Ejus effigies juvenilis cernitur picta in leva parte Chori Cathedralis, unà cum aliis fratribus Dominicanis, qui fruerant Episcopi Cęsenates. Postremò die 29. Maii 1724. electus fuit Papa. Et qui prius in sæculo Petrus Franciscus, ac in Cænobio Vincentius Maria vocabatur; in summo Pontificatu Benedictus XIII. appellatus est. Ac deniquè transgressus ætatis suæ annum 81. obiit Romæ in Palatio Vaticano, die 21. Februarii anno 1730. pridie feriam quartam Cinerum, depositus tunc in Basilica S. Petri, ac deindè translatus ad Ecclesiam S. Marię super Minervam.

24 Post Ursinum, Ecclesiam nostram regendam assumpsit. *Jo. Casimirus Denhoff Episcopus Cæsenę XCVII.* natione Polonus, & Cardinalis S. Joannis ante Portam Latinam: consecratus Romæ die 14. Decembris 1687. ut ex ejus Epistola Pastorali ad Clerum, populumque data, & edita typis (34). Fuerat præcedenter Canonicus Cracoviensis: missusque ad Urbem à Joanne III. Poloniæ Rege, ut negotia quędam cum Innocentio Papa XI. pertractaret, à Regia gratia tandem decidit, & Pontificię augmentum acquisivit: citò muneratus officio Præfecti Archiohospitalis S. Spiritus in Saxia, & paulo post Purpura Cardinalitia, moxq. nostro Episcopatu. Cæsenam venit ingressu privato, à cunctis grato animo acceptus. Bonis moribus præstabat, & Ecclesiasticam disciplinam in vigore debito continebat. Lautis aliquantò epulis utebatur, tametsi corpore gracilis, & statura esset mediocris: subque suis initiis quandoque Canonicos Cathedralis, quandoque primores Civitatis laicos ad convivium invitabat.

(34) *Romæ Typis Camer. Apostolic. ann.* 1687.

25 Sacram Visitationem Vrbanam, & ruralem peregit; Synodumque Diæcesanam celebravit, quę impressa est arte Typographi. Cum nonnulla interdixisset fieri diebus festis, peragi solita præcedenter: & Monasteriis Monialium ordinamenta quædam displicentia pręscripsisset, in graves contentiones impegit; nedùm cum istis; verùm etiam

etiam cum laicis communiftis. Alias item incurfit cum Monachis Cafinenfibus, & Fratribus Dominicanis: quorum Conventus curabat ad reformatos tranfire. Cum Capitulo tamen, & Clero fęculari nulla ei fuit controverfia. Suo tempore fuit erectum Hofpitale Invalidorum. Senum, & Egenorum in ædibus S. Mariæ de Confolatione. Item ex integro conftructa nova Ecclefia monialium Spiritus Sancti, ubi domus erat Romuli Gennari, qui patrimonii fui fcripfit hæredes ipfas met Sanctimoniales pręcedentèr habentes Ecclefiolam parum congruentem.

26 Valdè poftmodùm attenuata benevolentia fubditorum in fuum Paftorem, Cardinalis Romam perrexit, & non diu poft Epifcopatui ceffit: citòque contabefcens ex mala valitudine ibidem obiit die 20. Junii 1697. humanatus in Ecclefia S. Caroli ad quatuor fontes, ubi ejus in pavimento legitur epitaphium. Tunc fucceffor eidem in officio paftorali datus eft *Joannes Fontana Epifcopus Cęfenæ XCVIII.* Cujus regimen ficut multa recenfenda complectitur; ita quoniam per tria luftra fęculi fubfequentis prolungatum eft; ideo fit, ut res aptius peragatur, fi tota feries narrandorum ad Secundam Partem refervabitur.

27 Et interim fermonem inftituemus de civibus Cęfenatibus, qui per temporis periodum, in quo verfatur caput hoc, Pręlaturis Ecclefiafticis effulferunt. Occurritq; in primis *Marcus Agrippa Dandinus* Epifcopus Aefinas, qui non diù illam rexit Ecclefiam. Synodum verò Diœcefanum habuit anno 1600., & Monialefque S. Annę ad Claufuram reduxit (35). In patria quandoq; confiftens antiquum templum S. Petri Martyris Fratrum Prędicatorum confecravit, hodie deftructum. Denique obiit Cæfenę die 19. Octobris 1603. in æde S. Francifci conditus cum patribus fuis (36). Sequitur *Barzelinus de Barzelinis* prius Vicarius generalis Archiepifcopi Neapolitani, poftea

(35) Vghel. & Lucent. Ital. fac. to. 1. in Epifcop. Aefin.

(36) Bernard. Manzon Chronol. Cęfen. f. 87

 Se-

Senensis: deindè Referendarius Apostolicus, & Abbas Ecclesię Collegiatę S. Barbarę Mantuę: demum Episcopus Campanien (37): electus die 14. Maii 1609. pręfuitque illi Ecclesię usque ad annum 1618. quo septuagenarius decessit (38).

28 His addantur *Anselmus Dandinus* Episcopus Cerviensis, ab Alexandro PP. VII. illi Ecclesiæ præpositus: & haud multò post festinata morte sublatus. Nec non *Sigismundus Isæus* provectus ad Episcopatum Comaclensem: qui demum Cæsenæ defunctus est, & apud Fratres Franciscanos Conventuales terræ conditus in sepulchro patrum suorum. Huic successor datus est in Sede Comaclensi *Nicolaus de Arcano*, qui longo tempore ibidem exercuit officium pastorale. Deindè *Mutius Dandinus*, præfati Anselmi frater, ab Innocentio PP. XI. Senogalliensem assecutus est Episcopatum: in eoque vixit usq; ad longævam ætatem. Novissimè verò præclarissimo huic ordini adscriptus fui ego quoque *Joanne Baptista Braschius*, tametsi meritis inpar, ab Innocentio PP. XII. provectus ad Episcopalem Cathedram Sarsinaten anno 1699. à qua successivè translatus fui ad ampliorem honorem Archiepiscopi Nisibeni, Ecclesiæ universali famulaturus in alma Utbe, donec divina miseratio me dignabitur sospitare, atque ad aliquid utile operandum idoneum conservare.

29 Plures quoquè Prælatos Romanæ Curiæ dedit Cæsena per curriculum temporis, quod præsens caput concernit. Hi fuerunt *Anselmus* senior *Dandinus* variis functus muneribus Prelatitiis, tàm Romæ, quàm in statu Ecclesiastico, & etiam Nuncii residentis in Gallia: de quo agunt Ughellius (39), & Scipio Claramontius (40), atque Bernardinus Manzonius (41): nec nos habemus quid addamus ulterius. Nisi alterum Anselmum ejusdem nobilissimæ Familiæ Presulem Signaturę Justitiæ Votantem nuperime Cęsenę defunctum anno 1728. . Fulsit quoque inter Prælatos *Marcus Aurelius Maraldus*, ab Au-

(37) *Jo. Marang Thesaur. Parochor. to. 2 c. 2. n. 24. f. 29.*

(38) *Manzon. loc. cit. fol. 73.*

(39) *Ughel. Ital. Sac. inter Episcopos Imolens. agens de Card. Dandin.*

(40) *Claram. histor. Cæsen. l. 16. f. 758.*

(41) *Manzon. Chronol. Cæsenat. fol. 80. & 101.*

Augustino Barbosa nuncupatus, *integerrimus Pauli V. Datarius* : *& meritissimus Utr. Signaturæ Referendarius* (42). Apud Urbanum deinde VIII. officio secretarii Brevium functus est. Dotavit Lecturam textus Canonici Cæsenæ in universitate publicè dictitandi. Edificavit in patria sumptuosum Palatium: accumulavit quoque pingue patrimonium. Denique plenus meritis [43] defunctus est Romæ sedente Innocentio PP. X. & sepultus in S. Marię de Victoria: ubi ejus, Lucæq. Angeli sui ex fratre nepotis, & Canonici Basilicæ Vaticanæ, atque aliorum de ipsius agnatione adstant memoriæ.

(42) *Barbos de off. & pot. Episcopi p. 3. all. g. 60. n. 88.*

[43] *Claram. ubi sup. Manzon. loc. cit. fol.* 80.

30 His adnectendus est *Joannes Ghinius* gravissimus Jurisconsultus, R. Cameræ Apostolicę Commissarius, multisque dignus pręconiis ob pręclara merita, quibus effulsit: dignus proindè, qui patrię singulare ornamentum à Cæsenate historico nuncupetur (44); individuè notante, quod ejus domus erat olim conspicuę familiæ Montefeltriæ, ac deinde Manzoniæ, nunc versa in sumptuosum Palatium. Joannis item nepos *Camillus Ghinius* insigni Prælatura coruscavit Referendarii utriusque Signaturæ. ac Protonotarii Apostolici de numero Participantium: qua potitus est ab anno 1644. usque ad annum 1667. (45), quum Romæ diem suum clausit extremum: tumulatus apud patruum in sanctæ Mariæ super Minervam.

[44] *Idem Claram. l. 15. fol.* 706

(45) *Ex Regest. Colleg. Protonotarior.*

31 Per similem Jurisprudentiæ tramitem clarificavit nomen suum etiam *Sanctes Pilastrius*, Commissarius, & ipse R. Cameræ Apostolicæ, Referendarius utriusque Signaturæ, ac Subdatarius. A' Clemente PP. X. privilegium impetravit, ut Collegium Jurisconsultorum Cæsenæ tot, quot oporteret, posset Doctorali Laurea perornare (46). Cathedralem patriam ditavit sacris Reliquiis S. Mancii Cæsenatis, thecæ argenteæ inclusis; Et cum esset generalis substitutus Commissarius Cameræ Apostolicæ tempore Alexandri VII. operavit, ut Ecclesia S. Marci Ordinis Cruciferorum extra, & propè Menia Civitatis nostræ ab eodem

Pon-

[46] *Brev. Clem. X. die 28. Septembr* 1675.

Pontifice suprimeretur, & erigeretur in Abatiam secularem cum titulo SS. Marci, & Mantii, quæ prima vice concessa fuit Andreæ de Pilastris germani fratris ejusdem *Sanctis*, & hodie possidetur à D. Jo: Baptista Cantoni ex satis antiqua Cæsenati Familia, in Jurisprudentiæ, ac Antiquitatum studiis admodum versato. Denique idem *Sanctes* Romæ decessit anno 1688. perpetua dote assignata Prælaturæ, quæ in ejus esset familia: eamque statim assecutus est *Hiacynthus Pilaster* ipsius nepos Vtr. Signat. Referend. Qui deinde functus est munere Gubernatoris plurium successivè Civitatum status Ecclesiastici usque ad Maceratensem: obiit nuper Cæsenæ, longa occupatus infirmitate.

32 Nec prætereundus est *Reynaldus Albitius*, cujus nomen pariter descriptum fuit inter Prælatos Romanæ Curiæ: officium Vicelegati ditionis Urbinatis explevit, & urbibus non nullis dominii Pontificii titulo præfuit Gubernatoris. Post quæ reversus ad patriam, ibi constitit, & postremò Ravennæ diem suum clausit exstremum. Itaque Civitas nostra, sicut poetica modulatione cecinit Franciscus Vbertus:

Consuluit Cæsena sibi, quæ semper alumnos
Romano Imperio fida ministra dedit. (47)

[47] *Franc. Vbert. l. 1. de tempor. suis.*

Sic ex hucusque relatis liquet, quod de tempore in tempus Ecclesiastico regimini plures dedit Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos: nec non Præpositos generales Ordinum regularium; virosque inclytos doctrina uniusquisque speciei: preter multos pariter, quos produxit armis insignes, aliisve titulis commendatos.

33 Et hic sit finis *Memoriis Cæsenatibus*, tam sacris, quam profanis, per nos in unum collectis. In quibus recensendis, si aliquid fortasse omissum est, quod ad nostram notitiam non pervenerit; aut aliter positum esse contingat, quam evenerit, quatenus nobis non fuerit cognitum adequatè; humanissimus Lector dignabitur sua benignitate indulgere: non enim omnia novimus omnes, ut fert

com-

commune proloquium. Vel si doctrina præstat, suppleat ipse sua eruditione, quod superaddendum, vel laiter adaptandum esse non inconsulto judicabit. Calamum hic sistimus, quia statuimus pro præsenti Opere terminum limitaneum anni 1700. neutiquam transilire: salvis nihilominus juribus earum rerum, quæ pertinere noscentur ad tractum temporis subsequentis.

34 Nàm quoad notabiliora facta, quę contigerùnt post dictum annum, vel evenient in posterum quousque divina miseratio nos incolumes conservabit: De Episcopis, qui successive præfuerint Ecclesiæ Cæsenati: de civibus ejusdem urbis, qui ad celsiores dignitates Ecclesiasticas. Pręlatitias, Episcopales, altiorisque ordtnis fuerint elevati: de viris doctrina conspicuis, vel militari virtute insignibus, qui floruerint, donec vis nobis inerit ad scribendum de hominibus denique, ac negotiis peculiari nota dignis, quorum deinceps ratio historica sit habenda, plenè fiet sermo in Parte sequenti: quam nos jam, & mente concepimus, & calamo elaboramus, & speramus, posse haud multo post superis faventibus, ad optatum finem, perducare,

FINIS.



INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Prior numerus paginam : posterior numerum marginalem significat.

A



cen-

B

✠ 2 Bal-

Cœno-

ta

✠✠ con-

Ceula

Eugu-

F

mia

G

Ghini

H



Raven-

I

Italiæ

✠✠✠ 2 Leo

M

Diruit

Cæsenę

✠✠✠✠ in

R

 nus

S

T

V

Z



